Universidad de Deusto
Biblioteca

Exemplar
82
Balsom

Universidad de Deusto
Biblioteca

BIBLIOTECA DE LOYOLA
Sala 4 Estante 4 Plúteo 2 3

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

L. DOMITII BRVSONII CONTVRSINI LVCANI, VIRI CLARISS. FACETIARVM EXEMPLORVMQVE LIBRI VII.

Opus quidem eximium, ac mirabili cum rerum tum Sententiarum scitu dignissimarum atque iucundissimarum varietate refertissimum: nunc primùm ab innumeris, quib. scatebat, erratorum monstris repurgatum, inq; lucem editum.

LVGDVNI,
Apud Antonium Vincentium,
1560.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PETRVS GRAVINA.

Persarum regis non plures arcula gemmas
Clusit, quam hoc varias nobile clusit opus.
Nulla tibi ad vitam deerunt exempla legenti,
Tristiáque inuenies, læta, seuera, iocos.
Munera Pompeius tam rara Columnius heros
Iure habeat Domiti pignora tanta sui.
Ipsa sibi placeat quantumuis docta vetustas,
Nostra suum retinent hoc duce sæcla decus.

THAMYRAS.

Et sapida & salsa est omnis tua pagina Luci,
Seria dum misces ingeniosa iocis.
Pondere liber abi lector tot millibus aucte,
Quot cepere prius scrinia pixis habet.
Egregium fuit gyro concludere parco,
Quæ lato in campo grandis aceruus erant.
At tibi pro meritis Domiti debere fatentur,
Priscus auus nostri temporis, atque nepos.

M. ANTON. CASANOVA.

Et Domiti studium, & generosa cura Columnæ,
Vtilis ingenijs omnibus esse solet.
Hæc facit à Culice magnum resonare Maronem,
Arma virum, hæc Domiti gloria magna sui est.
Sed facit vtilitas, superos si sola negabit
Quis geminos meritò me celebrare deos?

IDEM, *alludens ad caput de Miraculis.* p.282
Inter tot Domiti miracula, miror amice,
Tantum vnum ingenij te tacuisse tui.

LVCII

SOCIETATIS JESU * BIBLIOTHECA COLLEGII LOYOLÆI

L. DOMITII BRVSONII LVCANI AD REVERENDVM POMPEIVM

Cardinalem, Columnam Mecœnatem, Principem optimum, Facetiarum Exemplorúmque Libri primi, Præfatio.

*

CAium Lucilium, hominem doctum atque perurbanum dicere solitũ legimus, Mecœnas, ea quæ scriberet, neque se ab indoctissimis, neque à doctissimis legi velle: quòd alteri nihil intelligerent, alteri plus fortasse quàm ipse. Ego verò ab illo facilè dissentiens, mea scripta à doctissimis legi vehementer exopto: quia si quicquam in iis boni nacti fuerint, pleno ore laudabunt: sin mali, moderatioribus vtẽtur aculeis, obtusioribúsque obelis. Nam indoctissimi quique quod probandũ est, non modò non probant, sed etiam improbant, adunco suspendunt naso, obganniunt, mordent atque lancinant: ex hac vna re sibi gloriã aucupantes. Quãobrem quum mecum ipse cogitarẽ, cui meos Facetiarum exemplorúmque libros essem destinaturus: ex omnib. te elegi vnum, tum doctissimum, tum de bonarum literarum studiosis optimè meritum, atque merentem. Non enim eos modò tua frequentia, tuáque consuetudine dignaris: sed omneis etiam ornas munerib. officiis & dignitate: omnes rursus te vnum celebrant, conueniunt, obseruânt: humanitatis studiíque tui in illos singularis, om

ris,omniúmque virtutum quæ regię appellantur, fortitudinis,iuſtitiæ,ſeueritatis,conſtantię,beneficentię,liberalitatíſque teſtes grauiſsimi,Mecœnatem te vnum non ſolum appellant, verum etiã ſentiunt,vident, experiuntur. Nam quòd me ornaſti plurimis muneribus, quum nihil alioqui in te contulerim officij : poteróne humanitatis magnitudiníſque tuæ nõ eſſe perpetuus buccinator? Sed vt me aliquãdo recipiã (nam tua virtus tranuerſum agit)eo ſtudio de Facetiis exemplíſque libros congeſsi, quòd tibi fore non iniucundos putarem, legendos ſucciſiuis horis, quibus animum tot patrociniis defatigatum poſsis aliquantulum reficere. Nam quamuis in Columnẽſi familia viri ſunt complures, conſilio rebúſque geſtis nulli mortalium ſecundi:te tamen vnum ſuſpiciunt, à te domus omnis penè dependet, in tua baſi Colũna omnis innititur : tuũ optant in conſulendo iudicium, tuum in iudicando conſilium. Sed quoniam pleroſque Theones eſſe audiui:qui meos labores meáſque vigilias fruſtra ſuſceptas eſſe arbitrentur:quum nihil à me excuſſum, nihil eſſe dicant elaboratũ, ſed me omnia ex aliorum archetypis deprompta collegiſſe,ac veluti furacem in vnum locum contuliſſe:iis zoilis, ſi qui ſunt (nam nullos eſſe exiſtimo,qui rerum aliquam cognitionem ſint aſſecuti)pro æneo muro Ciceronẽ,Vergil.Plin. Valerium, mille obiicio. Quod autẽ fortaſſe me dilacerabũt,quòd de re tam leuicula, vtpote de Facetiis ſcripſerim : ſentient defenſores mei

mei cataphractos, M.Catonem illum Cẽſorium, qui multorum facetè dicta collegit,quæ vocantur ἀποφθέγματα. Poſt hunc Domitiũ Afrum;C. Cæſarem, qui librum vnum : Tyronem, Ciceronis libertum, qui libros treis de patroni facetiis cõpoſuit:è Græcis Plutarchum,atque(vt arbitror)pleróſque alios.conſtat enim,Byzãtios,Rhodios,Atticos, huiuſce rei fuiſſe ſtudioſiſsimos. An turpe fuit Gracchis, Luciliis, Craſsis, Læliis, Auguſto, Veſpaſiano,Ciceroni, Philippo regi, Demoſtheni,Lyſiæ,Hyperidi,Demadi,cæteríſque viris clariſſimis, qui in his libris cõmemorantur, facetiis, dicacitate,vrbanitate, iocis, cauillo, & (vt ita dicam) ſalſitate vti? An neſciunt, vrbanitates facetiáſque oratori eſſe perneceſſarias? An ignorant, Ciceronem (vt de noſtris loquamur) L. Flaccum repetũdarum reum, iocorum opportunitate criminibus exemptum reddidiſſe? Quamuis,ſi inſpiciant, in hiſce facetiis totam moralẽ philoſophiã abſtruſam eſſe cognoſcent. Exempla verò appoſui in vtrámque partem, vt contrarium contrario magis appareret:mala quidem vt fugeremus, bona vt ſequeremur. Quotus enim quiſque eſt, qui turpibus aliorum fœdíſque exemplis ſuopte ingenio non ſtomachetur? At quis eſt,qui optimę actionis παράδειγμα non laudet modò,ſed etiã neſcio quo pacto ſiue æmulatione,ſiue gloriæ ſtudio inflammatus amplexetur? Quicquid igitur memoratu dignum in hiſtoria, humaníſque literis continetur, in his ſeptem libris pro virili parte comple

complexus sum : atque veluti apes, quæ ex vario succorum genere mella conficiunt, ex tot authorum floribus decerpentes, Opus confecimus. Si verò quispiam admiretur, quòd eadem exempla sæpe repetierim : ea gratia me feciſſe intelligat, quòd viderem variis Capitib. conuenire. Debet igitur boni conſulere: nam quicquid expetat; licebit ſine labore eueſtigiò in manibus habere. Multa præterea quæ ad inſtitutum non videntur accommodata, vt lectori prodeſſem, addidi : ſuſtuli multa, vt breuitati conſulerem. in primíſque facetiarũ genera tacui: quæ qui noſſe volet, apud Ciceronẽ cùm pleriſque in locis, tum in Oratore inueniet: inueniet & apud Fabiũ. Sed iam opus aggrediar, ac primùm de Auaritia, vitiorum peſtifera parente, vipereáque altrice, quæ corpus animúmque virilem (vt Criſpus ait) effœminat, in ſinuabo.

L. DOMITII BRVSONII FACETIARVM, ſiue Exemplorum Liber I.

DE AVARITIA I.

QVidam ſe videre ouum ſomniauerat, extremæ lodicis oræ alligatum. id ſomnium quum ad coniectorem retuliſſet, reſponſum eſt, theſaurum indicari : proinde eo in loco, vbi ſomniauerat ouum videre, foderet. vbi fodiſſet, reperit aurum argento circumiectum. miſitque paululum ex argento coniectori, diſſimulans inuentum aurum. Coniector verò argentum accipiens, atque ad ouum alludens Nihilne, inquit, de vitello?

Quum M. Cicero apud Damaſippum cœnaret, & ille mediocri vino poſito diceret, Bibite Falernum hoc, annorum quadraginta: ſubtaxans Cicero auaritiam Damaſippi, bene (inquit) ætatẽ fert. atque veniam dedit vino, vnde gloriam Damaſippus aucupabatur.

M. Craſſus ad Parthicam expeditionem proficiſcens, quum ex itinere Deiotarum Galatarum, qui iuxta Cappadociam ſunt, regem extremo iam ſenio confectum, nouam vrbem ædificantem offendiſſet: O rex, inquit, quidnam negotij hoc eſt: Quid, quum iam duodecima diei hora tibi adſit, nouam vrbem condere incipis? Ad hæc ſubridens Deiotarus, Craſſique auaritiam ſubcarpens: Tu verò, inquit, Imperator quum ſis, haudquaquam (vt videre videor) matutinus (erat enim ſexagenarius Craſſus) in Parthos cum exercitu feſtinas. Seneca de Moribus: Monſtro ſimilis eſt auaritia ſenilis. Cicero in Senectute: Auaritia verò ſenilis quid ſibi velit, non intelligo. Poteſt enim eſſe quicquam abſurdius, quàm quo minus viæ reſtat, eo plus viatici quærere?

Orœtes Perſa, quum de Polycrate perdendo, quo cum inimicitiæ interceſſerant, cogitaret, ſciens Polycratem pecuniarum auidiſſimum eſſe, legationem ad eum mittit, vt velit eſſe fœderis ſocius contra Cambyſem: magno auri pondere promiſſo. qui vt fidem dicto faceret, rogat, vt aliquem è ſuis fidum mittat, ad theſauros videndos. Mittit igitur Polycrates Mæandrum ſcribam. cui Orœtes octo ſcrinia quæ ſaxis oppleuerat, ſummum verò auro ſtrauerat, oſtendit. Polycrates igitur auaritia inſtigante, quamuis prohibentibus prodigiis, acceſſit: captúſque ab Orœte, ac cruci ſuffixus eſt.

Attalus,quum matrẽ vxorémq; Berenicen à medio sustulisset,paulo pòst tanquam facti pœnitens,squallida veste, barba capilloque promisso,diu non prodiit. Postmodum autem,omissa regni administratione,hortos fodere,graminaque serere cœpit.ab hoc studio,ærariæ artis fabricæ se tradidit.matri deinde sepulchrum facere instituit, cui operi intentus morbum contraxit,septimáque die decessit: & ex testamento pop. Romanum hæredem reliquit. Aristonicus verò, Eumenis,Attali patrui,filius ex pellice Ephesia,veluti paternum regnum inuadit. Non latuit res Romanos. Itaque Licinium Crassum consulem in Asiam mittunt:qui intentior Attalicæ prædæ quàm bello,ab Aristonico victus, pœnas inconsultæ auaritiæ sanguine luit. Lucanus:

Vsque adeò solus ferrum mortémque timere
Auri nescit amor.

Astapanis ad vnum in bello cæsis,in vrbe mulierũ impuberúmque non minor numerus concidebat:in succensúmque rogum sese præcipites dabant,ne Romanorum præda fierent.Superuenerunt victores Romani,ac primo conspectu parumper obstupuerunt. Deinde aurum argentúmque interfulgens auiditate humani ingenij quum rapere ex igne vellent,correpti sunt alij flamma,alij afflatu vaporis ambusti.

Semiramis Assyriorum regina,quum viuens sibi sepulchrum construxisset,in eo inscripsit: Qui regum pecuniis egerit, demoliens monumẽtum,quotquot volet sumito. Darius scriptura allectus,quum sepulchrum aperuisset,pecunias quidem nullas inuenit, sed in alias incidit literas,dicentes:Nisi malus & pecuniarum inexplebilis fores, mortuorum loculos nunquam mouisses.

Nero imperator tam perditæ fuit auaritiæ, rapacitatisque,vt nulli delegarit magistratum,quin addiderit:Scis,quid mihi opus sit.

Cestellius Bassus origine Pœnus,quum Neroni nunciasset,specum se miræ profunditatis in agro suo reperisse,in eóque thesauri magnã copiam,& fortasse Didonij esse: Nero statim adhibita fide,misit qui velut partam prædam adueherent. Dantur triremes. Interea oratores Neroni applaudebant,dicẽtes illum esse superis charum,quo regnante aurum tandiu occultum indicaretur:ipséque spe inani veteres opes interim consumebat. Tandem quum ventum est ad agrum,dum hunc vel illum locum promi specus aleuerat,magnáque effodiẽtium multitudo frustra conuenisset,posita vecordia,somnisque se falsum tunc primum admirans,pudorem & metum morte voluntaria effugit,inhia ntémque Neronem reliquit.

Timotheus musicus quum ab Archelao minus quàm speraret accepisset,canens subtaxabat Archelaum,dicens:At tu argentum terra genitum laudas?Succinuit illi vrbanissimè Archelaus: Tu verò,inquit,postulas.

M. Cato iunior, Martiam vxorem Q. Hortensio amicissimo roganti

tradidit:eo mortuo,illam traduxit. Is à Cæsare,cui cum Catone simultates erant,auaritiæ his verbis insimulatus est. Nam si indigebat,inquit,cur eam dimisit? si non indigebat,cur recepit? nisi videlicet illam mulierem tanquam escam à principio posuisset,atque iuuenem dimisisset vt diuitem reciperet. Idem quod fecit Cato de vxore, Tapiros facere scribit Strabo.

Thrasylus Cynicus quum drachmam petisset ab Antigono Asiæ rege,post obitum Alexãdri magni,authore Iosepho:Regi,inquit Antigonus,hoc dare non cõuenit. Sed illo subiiciente,Da mihi talentum: subdit,Atqui hoc Cynicum accipere non decet. Apud Senecam corruptè Tynicus legitur.

Tyberius imperator adeò auaritiæ obnoxius fuit, vt Galliarum, Hispaniarum,Syriæque & Græciæ principes confiscarit ob leue impudensque calumniarum genus vt quibusdam non aliud sit obiectum, quàm quòd partem rei familiaris in pecunia haberent.

C. Cassius tam nefariæ homo fuit auaritiæ, vt Sillum & Calphurnium cum pugionibus occidẽdi eius gratia deprehensos,quinquagies sestertium ab illo,ab hoc sexagies pactus,dimiserit.

Cleomenes Anaxandridæ filius,dicente quodam illi,Delicatus es: At melius est,inquit,quàm iniustum esse. Tu verò pecuniarum es studiosus,quamuis quæ tibi satis sint paraueris. Ouid.in Fastis:

Creuerunt & opes,& opum furiosa libido:
Et quum possideant plurima,plura petunt.

Aristonem philosophum maximè admiratũ ferunt,quòd homines potius superuacuis fortunæ bonis,quam necessariis commodisq; beati essent.

Scopas Thessalus, quum quispiam familiaris ab eo assequi quicquam contenderet,quod neque illi necessarium,neque satis commodum esset:Huiusmodi,inquit,rebus & fœlix sum,& locuples. Pli.li.33. Quæ malum amentia est,id in vita cupere,quod aut seruus contigerit,aut etiam ne in regibus quidem inueneris finem?

Socrates apud Platonem in litigioso ait Oportet illum qui beatus futurus est,non solum bona huiusmodi possidere,sed etiam vti.

Prænestę,quum ingenti premeretur obsidione,quidam in extrema fame murem captum ducentis denariis maluit vendere,quàm ipse leniendæ famis gratia vesci. Sed auaritiæ pœnas statim pependit.nã qui emerat,vixit venditore fame extincto. Valer. Plin. dicit,id factum esse Casilini: Strabo verò ait,in Casilino farris modium drachmis 200. venditum,venditore extincto,superstite emptore. Tranquillus verò in Galba ait,Militem quendam in arctissima annona tritici modium centum denariis vendidisse,prohibitum ob id à Galba cibos sumere, nec indigenti cibo ab aliquo opem ferri.

Quum Iugurtha pecuniâ Romanos exagitasset, iussúsque tandem esset à senatu paucis diebus Italia decedere, postquam Roma

egressus est, fertur sæpe tacitus respexisse, postremò dixisse: O vrbem venalem, & maturè perituram, si emptorem inuenerit.

Festiuum est Martialis epigramma in auarum, diuitijs parciorem, Cecilianum:

Quum tibi non essent sex millia Ceciliane,
Ingenti latè vectus es hexaphoro:
Postquam bis decies tribuit dea cæca, sinúmque
Ruperunt nummi, factus es ecce pedes:
Quid tibi pro meritis & tantis laudibus optem?
Di reddant sellam Ceciliane tibi.

Diogenes Cynicus, quum ab auaro quiddã popposcisset, tardarétque ille: Ad cibum homo, inquit, te postulo, non ad sepulchrum.

Vespasianus imperator tam indomitæ fuit auaritiæ, vt appositis amphoris in viis ad vrinas excipiendas, quæ fullonibus venderentur, vectigal commentus sit: sed increpitus à Tito, conticuit. Mox vero pecuniam ex prima pensione ad nasum filij admouit, sciscitans, num odore offenderetur? Illo negante, Atqui, e a è lotio est.

Eiusdem Vesp. bubulcus iam senex, quum post adeptũ imperium, vt gratuita libertate donaretur, peteret, atque nõ exoraret, prouerbialiter exclamauit, Vulpem pilum mutare, non mores. Seneca in prouerb. Auarus nisi quum moritur, nil rectè facit.

Martialis in Scæuolam, post opes partas auariorem:

Si dederint superi decies mihi millia centum,
Dicebas nondum Scæuola iustus eques,
Qualiter ô viuam, quàm largè, quámque beatè?
Riserunt faciles, & tribuere dei:
Sordidior multo posthæc toga, penula peior,
Calceus est sarta térque quatérque cute.
Déque decem plures semper seruantur oliuæ,
Explicat & cœnas vnica mensa duas:
Et Veientani bibitur fex crassa rubelli,
Asse cicer tepidum constat, & asse venus:
In ius ô fallax atque inficiator eamus:
Aut viue, aut decies Scæuola redde deis.

Seneca 4 Controuers. ex P. Syro: Desunt luxuriæ multa, auaritiæ omnia.

Vespasianus quum interrogaret, quanti funus cuiusdam & pompa constaret: vt ex procuratoribus audiuit, Sestertiũm centies: exclamauit, Centum sibi sestertia darẽt, ac se vel in Tyberim deiicerent. Eiusdem epigrammatum poetæ festiuum in auarum Epigramma:

Cras te victurum, cras dicis Posthume semper:
Dic mihi, eras istud Posthume quando venit?
Quàm longè eras istud vbi est? aut vnde petendum est?
Nunquid apud Parthos, Armenióque latet?

Iam

Iam eras istud habet Priami vel Nestoris annos:
Cras istud quanti dic mihi posset emi?
Cras viues hodie nam viuere Posthume serum est:
Ille sapit, quisquis Posthume vixit heri.

Iunius Bassus, querente Domitia Passanij, quòd taxans eius sordes, calceos eam veteres diceret vendere consuesse: Non mehercules, inquit, hoc vnquam dixi: sed dixi emere te solere.

Aspasia Xenophontis vxor, quum esset (vt muliebre ingenium est) rerum alienarum appetẽs atque inuida: interrogata, Si vicina tua melius quàm tu aurum habeat, vtrúmne illius an tuum malis? Illius, inquit. Quid si vestes, cæterúmque ornatum muliebrem precij maioris habeat, quàm tu? tuúmne, an illius malis? respondit, Illius. Agesis, si maiorem quàm tu habeat virum, vtrúmne tuum malis, an illius? Erubuit mulier.

Ochus, Artaxerxis Persarum regis filius, tam inuictæ fuit auaritiæ, vt quum esset mos regibus Persarum ex Cyri decreto, vt quoties irent in Persidem, singulis mulieribus singulos aureos distribuerent, nunquam accesserit: imò, ob vilissimæ rei parcitatem, se patriæ fecit exorrem.

Perseum, qui rapacitati studens, magnas pecunias cumulauerat, suæ ipsius opes in perniciem impulerunt. Victus enim à Paulo, quum in Samothraciæ asylum se recepisset, eséque à Cn. Octauio conclusus, cum Oroandro Cretense pactus est, vt noctu asportaretur in lembo. Quum igitur aurum argentúmque ad litus esset vectum, Oroander arte fretus Cretica, aurum abduxit: ipsum verò cum liberis, coniuge que ac necessariis, ad mare certa hora venire iussum, anticipata nauigatione reliquit.

Megadorus quum ab auaro diuite, ac timido Euclione filiam in vxorem velle expetere, dixisset que, Certè ædepol equidem te ciuem sine omni mala etiam malitia semper sum ratus, & nunc arbitror. Euclio, vt erat animo de auro semper sollicito, secum: Aurum, ait, huic olet ex Plauto, in Aulularia.

Demetrius Antigoni filius, quum Megara potitus esset omnésque seruos ciuibus abstulisset, Stilponem philosophum vocari iussit, ad eúmque conuersus; Liberam vestram, ait ô Stilpon ciuitatem relinquo (nam libertatẽ vrbi donauerat) Rectè, inquit Stilpon, nullũ enim seruum in vrbe relinquis.

Est & non infacetum Martialis epigramma in Baccharam.

Si quid opus fuerit scis me non esse rogandum:
Bis nobis dicis, Bacchara, térque, die.
Appellat rigida tristis me voce Secundus:
Audis, & nescis Bacchara quid sit opus?
Pensio te coram petitur claréque palamque:
Audis, & nescis Bacchara quid sit opus?

Esse queror gelidásque mihi, tritasque lacernas:
Audis, & nescis Bacchara quid sit opus?
Hoc opus est, subito fias vt sidere mutus:
Dicere ne possis Bacchara quid sit opus.

Est & aliud in Gallicum:

Hæredem quum me partis tibi Gallice quartæ
Per tua iurares sacra, caputque tuum:
Credidimus (quis enim damnat sua vota libenter?)
Et spem muneribus fouimus vsque datis.
Inter quæ rari Laurentem ponderis aprum
Misimus, Aetola de Calydone putes.
At tu continuò populúmque patrésque vocasti:
Ructat adhuc aprum callida Roma meum.
Ipse ego, quis credat, conuiua, nec vltimus hæsi:
Sed nec costa data est, caudáve missa mihi.
De quadrante tuo quid sperem Gallice, nulla
De nostro nobis vncia venit apro?

Midas Phrygiæ rex, quum incredibili amore auri detineretur, deos precatus, vt quicquid attingeret in aurum commutaretur, exorauit. Sed mox quum omnia quæ apponebantur ad mensam, aurum fierent: inedia miserabiliter interiit, vt est in fabulis.

Idem Midas quum Celenum Phrygiæ oppidum hiaret, atque plures domus cum mortalibus absorptæ essent, monitus oraculo vt res preciosas eò coniiceret (ita enim tellus coitura erat) nihil attulit. Vnde optimè à Platone dictum: Ei qui uelit esse diues, non cumulandam pecuniam, sed minuendam cupiditatem.

Milesij legati quum auxilij gratia Athenas venissent, verbáque pro Milesiis in senatu fecissent, Demosthenésque in illos acriter respondisset: ad eundem Demosthenem accesisse eos clàm nocte dicitur, accepisséque illum pactum aurum à legatis: pollicitúmque, postridie non facturum verbum vnum. Veniés ergo in senatum, lana multa collum obuolutus, & ad dicendum lacessitus, anginam se pati respondit. Sed vnus è populo vrbanè, Argentanginam (exclamauit) esse, non anginam. ex Gellio, siue Agellio: nam inter doctos controuersia est, Agellius, an Aul. Gellius dicatur.

Polymnestor, Thraciæ rex, Priami gener, Polydorum Priami filium, à patre cum auri magna copia missum ad se, confecit. Sed quum Polydori mater Hecuba in Thraciam captiua à Græcis ducta esset, Polymnestora sub spe thesauri indicandi ad se vocatum, ab aliis captiuis adiuta exæcauit. Dictys Cretensis ait, Polydorum à Græcis captum, lapidibúsque obrutum.

L. Imbricus, spoliante Campanos Annibale, Rusciũ filium magnis cum pecuniis penes Valerium Bestiam, eius generum, deposuit. sed quum audisset ille, Capuam esse ab Annibale captam, adolescentem conf

tem conficit. Quum verò Imbricus per suburbanum ambulans, filij cadauer offendisset, accitum generum, vt occultos à se thesauros perdisceret, effossis oculis cruci affixit.

Oppianicus Sassiæ, fœminæ Larinatis Appuli, pecuniarũ gratia nuptias petiit. illa abnegauit: quòd tres Oppianicus filios haberet ex alia coniuge. Sceleſtissimus ille, confectis filiis, Sassiam ducit. ex Cicerone, in oratione pro Au. Cluentio. Catilinam amoris gratia id fecisse, dicemus alibi.

In 6. libro belli Iudaici ait Iosephus, Iudæos quosdã esse cõpertos, qui aurũ deuorauerant. omnes idcirco Iudæi, qui captiui in Romanorũ manus veniebant, apertis visceribus necabãtur: ita vt vna nocte ob auri spem duorũ milliũ patefacta sint viscera. fuissétq; sæuitũ vsq; ad vnũ, nisi Titus graue edictum pronuntiari iussisset, ne quis eadem auderet.

In expugnatione Solomonis templi Hierosolymis, quum multi è Romanis templum cõscendissent, suppositó igni à Iudæis aliquot concremati sunt. Inter eos verò quos ignis obsederat, Argorius quidã appellauit clara voce Lucium quendam commilitonem, cõtubernalémque: Hæredem te (inquit) relinquo totius patrimonij mei, si me exceperis. Quum autem Lucius spe prædæ læto animo accurrisset, ipse, qui se in eum proiecerat, vixit: L. verò pondere oppressus, constratóque lapidibus solo illisus, continuò moritur, hoc parit habendi libido.

Caligula imperator tam auidus pecuniarum fuit, vt super immẽsos aureorum aceruos potentissimo diffusos loco, & nudis pedibus spaciatus, & toto corpore aliquandiu volutatus sit.

Galba imperator, acceptam à Tarraconensibus coronam 15. librarum, quum conflari in massam iussisset: treis vncias, quæ in conflatura euanuerant, ab artifice exegit.

Pertinax imperator dimidiatas lactucas, carduósque, in priuata vitã conuiuis apponebat.

C. Fabius in Africa, ob crudelitatem, auaritiámque, in prætorio viuus exustus est.

Valerius Flaccus, ob auaritiã inuisus exercitui, à C. Fimbria ipsius legato occisus est.

Pyrrhus Epirotarum rex è Sicilia rediens, quum Locros classe præteriueheret, thesauros è templo Proserpinæ eripuit, nauibúsque imposuit: postridie verò, classis fœdissima tempestate laceratæ omneis naueis, in quibus sacra erat pecunia, in litus fluctus eiecit: Italiáque pulsus, ingressus nocte Argos vrbem, à muliercula saxo occisus est. Vide exemplum in cap. de pecunia, Antiochus.

Ptolemæus, quum magnam pecuniam quoquomodo cumulasset, proptérque eam se ab hoste peti nouisset, de perdenda ea cogitauit. Non tulit auaritia, eúmque retinuit: sed à Romanis pecunia omnis extorta est, isque veneno fata præuenit.

Septimuleius, C. Gracchi familiaris, auro repensum caput illius

occisi ad Opimium tulit: plumbóque in cauas capitis partes addito, parricidio suo rempub. etiam circunscripsit. Mithridates rex, Aquilio duci capto aurum in os fudit: Parthi, Crasso.

Infames etiam auaritia Attici, item Pausanias, Perseus, Patroclus quidam, Cibiotates Aegypti rex. Apud Aethiopes auaritia signabatur, digitis sinistra compressis.

Alexander Macedo quum audisset Anaxarchum de mundorum infinitate disserentem, illachrymatus est, rogatúsque causam ab amicis: An non, inquit, dignum est flere, quum infiniti sint mundi, dominus vnius vix factus fuerim? Iuuen. Totus non sufficit orbis Pelleo inueni.

DE AMORE II.

Vid sit amor, Alcesimarchus adolescens in Plauti Cistellaria edocet: ait enim, Credo ego amorem primum apud homines carnificinam commentum: Hanc ego de me coniecturam domi facio, ni foras quæram: Qui omnes homines supero atque antideo cruciabilitatibus: Iactor, crucior, agitor, stimulor, versor in amoris rota miser: Exanimor, feror, differor, distrahor, diripior, ita Nullam mentem animi habeo: vbi sum, ibi non sum: vbi non sum, ibi est animus: Ita mihi ingenia sunt. quod lubet, non lubet iam id continuo. Seneca: Amans, ait, iratus multa mentitur sibi.

Eunuchus quidam, quum deprehensus esset cum pellice regis Babyloniæ, præsentem Apollonium rex interrogat, quid de eunucho faciundum iudicet? At ille: Quid, nisi vt viuat? Admiranti regi, ait: Omne supplicium, si viuet, ob amorem patietur.

Memmius quidam Terracinæ mulierculam deperibat, quam & rialis etiamnum Largius adamabat. Obortis autem aliquando inter illos rixis, eò iracundiæ prouectus est Memmius, vt Largij brachium mordicus arripuerit. Quæ res quinque literarum versiculo scripta est: L. L. L. M. M. id est, Lacerat lacertum Largij mordax Memmius.

Vespasianus imperator expugnatus à quadam, quasi amore sui deperiret, quum productæ pro cubitu sestertia quadringenta donasset, dispensatori dicenti, quemadmodum rationibus summam vellet referri: vrbanè, Pro Vespasiano (inquit) adamato.

Catilina quum grauiter deperiret Aureliam Orestillam, essétque vnum impedimentum, quo minus nuptiis inter se iungerentur, filius videlicet suus, hunc & vnicum, & ætate iam puberem nefarius pater veneno sustulit.

Phraates Parthorum rex, acceptam inter cætera dona à Iulio Cæsare Thermusam, venustam mulierem, primò pro concubina habuit: ac mox adeò illam ardere cœpit, vt suscepto ex ea filio, in coniugem legitimam asciuerit. Illa, vt legitimos Phraatis filios ex alia vxore, regni hereditate excluderet, suadet Phraati, vti eos Romam obsides destinet. Quod quum facile ab amatore vxorióque impetrasset, illis abdica

abdicatis, suum in regno nutrit. qui quum adoleuisset adiutrice matre, patri insidias struit: nam ferebatur etiam cum matre coire. Sed pro parricidio, nefarióque matris concubitu, genti exosus factus, ex regni potestate deiectus emoritur.

Argyrippus adolescens apud Plautum in Asinaria, quum nimis misèrè, ac non sine labore lachrymísque Philenium amicam, quacum fuerant inimicitiæ, amplexus esset, fest. ue Leonidas seruus: Fumus est, ait, mulier quam amplexaris.

Achilles ob raptam Briseidem præsente matre apud Homerum lachrymatur.

Idem Argyrippus quum in vicem equi Libano seruo se gereret, modò x x minas amicæ erogandas tribueret: festiuè, quum conscendisset Libanus, Sic (ait) solent superbi subdomari.

Phædria apud Terentium, quum dixisset, Totus Parmeno tremo, postquam aspexi hanc: excipiens Parmeno, ad tremorémque alludens, Animo (ait) bono esto, accede ad ignem hunc, calesces plus satis.

Martialis in Ruffum, ob amorem delirantem:

Quicquid agit Ruffus, nihil est nisi Næuia Ruffo:
Si gaudet, si flet, si tacet, hanc loquitur.
Cœnat, propinat, poscit, negat, innuit, vna est
Næuia: si non sit Næuia, mutus erit.
Scriberet hesterna patri quum nocte salutem:
Næuia lux, inquit, Næuia lumen aue.
Hæc legit, & ridet demisso Næuia vultu:
Næuia non vna est, quid vir inepte furis?

Idem in Quintum:

Thaida Quintus amat: quam Thaida? Thaida luscam
Vnum oculum Thais non habet, ille duos.

Quum in Plautino Curculione Phædromus amator lænam colloquuturus accederet, ac vereretur quòd argentum non ferret, dicerétque Palinuro seruo, Perij hercle, huic quid primùm dicam nescio: festiuè Palinurus, Hem istuc (ait) quod mihi dixti. Phædromus verò, Quid (inquit) est? Palinurus subdit: Vt periisse te dicas.

Pistoclerus adolescens, quum in Bacchidis amorem incidisset, dixisséque Lydo pædagogo audiente: Amor, venustas, venus, voluptas, gaudium, iocus, ludus, sermo suauis, suauiatio: Quid tibi (ait Lydus) commercij est cum diis damnosissimis? ex Plauti Bacchid.

Demipho quum in amoris retia incidisset, putarétque se esse, aut saltem videri velle iuuenem, quum senex esset, dixisséque Lysimacho amicò, Quid tibi ego ætatis videor? vrbanè Lysimachus: Acheruntius, inquit, senex, vietus, decrepitus. Ex Plaut.

Calliodorus adolescens quum Phœnicium meretricem deperiret, nec haberet quinque minas, quas illa petierat cum Pseudolo loquitur, auxilium expetens his verbis: Nihilne adiuuare me audes? Pseud. Quid

faciam tibi? Calliod. Heu. Pseu. Heu? id quidem herculè vt par sis dabo. Callio. Miser sum, argentum nunquam inuenio mutuum, Pseudole. Pseu. Heu. Callio. Neque intus nummus vllus est. Pseu. Heu. Callio? ille abducturus est mulierem cras. Pseu. Heu. ex Plauto in Pseud.

Adelphasium quum ostenderet se iratam Agatostocli amanti, illéque vocaret seruum Milphionem, Milphio ait: Ecce odium meum, quid me vis? atque ille quum dixisset, Cur mihi hæc irata est? festiuè Milphio subdit, Cur tibi hæc irata est? Plau. in Pœn.

Festiuissima sunt in Plauti Pseudolo Calliodori adolescentis verba, & Pseudoli serui. dixerat enim Calliodorus, Quid opus est? Pseudolus subdit: Potin aliam rem vt cures? Callio. At. Pseudo. Bat. Callio. crucior. Pseudo. cor dura. Callio. non possum. Pseudolo. fac possis, &c.

Apuleius quum Fotidem basiaret, ab illa hoc modo monitus est: Heus tu scholastice, dulce & amarum gustulum carpis: caue ne nimia mellis dulcedine, diutinam bilis amaritudinem trahas.

Biblis fratrem Caunum adamans, ab eo contempta, sequuta fratrem sororis conspectum fugientem, in Lyciam Cariámque vsque, in fontem ibi conuersa est.

Astynomen Chrysæ Apollinis sacerdotis filiam, captam à Græcis Lyrneso euersa, datam Agamemnoni quum pater repeteret, ac multis lachrymis donisque non potuisset Agamemnonem flectere ad reddendam: multa Græcis imprecatus est, breuique pestis mira Græcorum exercitum inuasit.

In Pseudolo Plautino Calliodorus amator Ballionem lenonem interrogat: Dic mihi, non habes venalem amicam tu meam Phenicium? Ball. Non ædepol habeo profectò: nam iampridem vendidi. Call. quomodo? Ball. sine ornamentis, cum intestinis omnibus. Call. Meam amicam tu vendidisti? Ball. valde, 20. minis. Call. 20. minis? Ball. Vtrum vis, vel quater quinis. minis Call. Eho Pseudole, i, gladium affer. Pseu. quid opus est gladio? Call. qui hunc occidam, atque me. Pseu. quin tute occidas potius, nam fames hunc iam occiderit. Pseudolus autem seruus erat Calliodori.

Acsacus Priami ex Alixothoe nympha filius, Hyperiem nympham, quam ardebat, dum insequeretur, atq; illa in fuga à serpente icta mox occubuisset: in tantam amoris doloríque vesaniam incidit, vt è scopulo se precipitem mari dederit. sed à commiserante Tethyde in mergum conuersus est: qui adhuc indignatus, quòd mori non licuerit, moriendi gratia se quotidie immergit.

Anaxarete quum ab Iphi Cyprio miserrimè amaretur, illúmque omnino contemneret, ad id furoris amantē induxit, vt ad ianuam illius Iphis se suspenderit. funere postmodum procedente, quum ea è fenestra lætabunda specularetur, in saxum commutata est.

Panætius adolescentulo quærenti, an sapiens amaturus esset: De sapient

sapiente, inquit, videbimus. Mihi & tibi, qui à sapiēte longè absumus, non est committendum vt incidamus in rem commotam, impotētem alteri emancipatam, vilem sibi.

Plato de amatore dicebat: Animus est suo quidem in corpore moriens, in alieno viuens.

Venus Cnidia à Praxitele sculpta, tantæ erat venustatis, vt ferant amore eius quendam captum, quum delituisset noctu, simulachro cohæsisse: eiusque cupiditatis esse indicem maculam.

Piasus Pelasgorum dux, Lariss æ filiæ, quam nefariè adamabat, vim intulit: sed mox meritas pœnas pependit. Nam quum in vini dolium pronus inspiceret, puella illius pedes tollens, in dolium demisit.

Nyctea quum in patris amorem incidisset, ope nutricis Nyctei patris pro amica suppositа est. cæterum re intellecta, patre ad vindictam tendente, in noctuam conuersa est.

Myrrha Cynaræ Cypriorum regis filia, quum patrem adamaret, parique modo patri pro amica suppositа esset: vlciscente patre, in arborem Myrrham fuit commutata.

Tarentini præsidii præfectus, à Brutiis Tarentinis datus, ardens mulierculam, cuius frater in Fabii exercitu militabat: ad proditionem à mulieris fratre, tradendúmque Tarentum pellectus est. atque hoc modo Tarentum à Fabio est captum. quo tempore ab Annibale dictum est: Et Romani suum Annibalem habent.

L. Quintius Flaminius famosam mulierem Placentiæ in cōuiuium accersit: atque ibi quum se iactaret, quòd acriter quæstiones exercuisset: negante illa, se quen quam vidisse securi ferientem, peruelléque id videre: tum Flaminius vnum è damnatis coràm adduci iubet, securíq; percutit. Ouid.

Quid deceat, non videt vllus amans.

Alexander, Thaidis gratia & precibus, Persepolim incendit.

Masinissa Numidarum Rex, quum victo Syphace, vxorem illius Sophonisbam captiuam in conspectu adductā, ob formæ venustatem arderet, inscio Lelio ducit vxorem: sed castigatus ab illo, factique pœnitens, venenum Sophonisbæ, ne in manus Romanorū deueniret, misit. Quod quum illa aspexisset. Accipio, inquit, nuptiale munus, eóque hausto expirauit.

Araspas à Cyro admonitus, ne cum puellis versaretur, quia per oculos paulatim amor irreperet: respondit, Si semper aspiciat, non posse vinci. Sed quum paulo pòst in amorem incidisset, atque ob pudorem confunderetur, ridens Cyrus, vocato ad se Araspe: Video (inquit) Araspa, te & metuere me, & maximo pudore detineri. quiesce igitur. Ego enim scio, & deos ab amore esse superatos.

Iuno apud Homerum, libr. 14. Iliad. Venerem his alloquitur verbis: Da mihi nunc Amorem & Cupidinem, quo tu mortaleis omneis immortalesque domitas. At Venus cestos discolorem, balteúmq; quem

circa

circa pectus gerebat, reuinctum soluit ibi insunt amores, cupidines, illecebræ, blandæ suadelæ: ibi deniq; omnia amatoria lenocinia, omnia veneficia.

Diotima mulier fatidica, apud Platonem in Amore ait: Amorem ex paupertate matre, & Poro abundantiæ deo patre ortum.

Solomon Mosaicas leges præuaricatus ob amorem est. nam trecentas habens concubinas, septuaginta vel septingentas vxores duxit, pellicúmq; alienarum gratia, illarum solēnitatibus mixtus, deos alienos colebat. Anuleium id etiam fecisse, ob coniugis externæ amorem, memoriæ proditum esse legemus.

Iason Glaucæ Creontis filiæ amore captus, vxorem eam expetit. Ea data, adeo exanduit Medea, vt comparato medicamento bituminoso in ipsis sponsalibus accenderit omnem regiam: exustósque esse Creontem, Glaucámque: Iasonem verò euasisse, fabulis proditum est. Cæterùm Medea omneis quos susceperat ex Iasone filios, præter vnum qui aufugerat, confodit: ad Herculémq; se recepit. Iason tantis calamitatibus confusus, quassatúsq;, mortem sibi consciuit.

Paulinam mulierem, Romana pudicitia dignitatéque perspicuam ac locupletem, Saturnini coniugē, Mundus nomine quidam ardebat: opulentus & ipse, atque ex equestri familia: eam quum neque precibus nec precio posset pellicere, in morbum incidit, ita vt mortem expeteret: sed hunc liberta Ida refecit. Accessit enim ad Isidis sacerdotes, pecuniáque eos corrupit, vt opem omnem præstare polliciti sint & cum primis antistes ipse, qui assimulans se ex Aegypto venisse, ab Anubi destinatum, ad portanda Paulinæ mandata: credulam puellam decepit. eam verò rem Paulina nō ad socias modò, sed ad maritum etiam retulit. Missa est ad templum Isidis, cuius erat diligens cultrix Paulina, à marito, eius pudicitiæ conscio: vbi quum ea cœnasset, quiescendique tempus aduenisset, a sacerdote clauduntur portæ: sublatisque luminibus, facto silentio, Mundus, qui intus latebat, ad Paulinam venit. illa Anubim esse reputās, æquo animo comprimi se passa est: atq; ita Mundus nocte tota per dolum Paulina potitus est. illa autem manè consurgens, Anubis ad se aduentum nunciat. Tertio verò die Mundus: Seruasti mihi, inquit ò Paulina xx myriadas. nam tecum integra nocte fui. At illa vehementi dolore correpta, protinus rem Saturnino nunciat. Saturninus Tiberio: imperator sacerdotes Idámq; in crucem iussit affigi, templum demoliri, Isidisq; statuam in Tyberim abiici: Mundum verò exilio condemnauit.

Ninus conspectam Semiramidem ardens petit à Memnone, illius viro, vt sibi vxorem condonet, accepturus Sosanem filiam in matrimonio. Renuenti comminatus est, illi se oculos, ni parēret, eruturum. Memnon igitur amore accensus timoréque perculsus, laqueo vitam finiuit: Ninúsque Semiramide potitus est.

Bubates missus à Megabazo cum copiis contra Macedonas, quoniam

niam legatos Persarum violassent, ante prælium amore Amyntæ, regis filiæ, captus, omisso bello nuptias facit.

Xerxes, quum Amastistis Darij filij vxorem deperiret, vt ea facilius potiretur, illius filiā Arteyntem vxorē Dario filio collocat. Sed ex consuetudine in nurus amorē incidit, relicta matre. Potiebatur ergo Xerxes & nuru. Adactus verò à puella sacramento, vt quicquid peteret, daret: petiit illa amiculū, quod Amestris Xerxi viro texuerat. quod quum egrè Xerxes dedisset, veritus, id quod accidit, Amestris furorem: illa amiculum induit. Amestris, re cognita adeò exanduit, vt iras in puellæ matrē, tanquam concubitus authorem, conuerterit. Accitam igitur à satellibus Amastistis vxorem excarnificat, māmas præcidit, canibúsq; obiicit: præcidit & aures, labra, linguā: excarnificatāq; domū remittit.

Artaxerxes quum Cyrum fratrem, quòd bellum ob regnandi cupiditatem tentasset, occidisset: Aspasiam illius pellicē in matrimonium accepit. Sed quum Dario filio indulgentissimè regnum viuus contra Persarum morem tradidisset, ingratus impudensq; filius Aspasiā etiā à patre petiit. quam quum pater ob imprudentiam aliquando obtulisset, ac mox negaret se daturū: Sceleratus filius cum quinquaginta fratribus (erant enim Artaxerxi filij centum ac quindecim) in patris mortem coniurat. Sed deprehensus cum sociis confoditur: coniuges quoq; omnium vnà cum liberis, ne quod tanti sceleris vestigium extaret, interfectæ sunt.

Ctesipho adolescens apud Terentium, patrem, quem verebatur ne ab amica abduceret, cupit ita defatigari rure, vt triduo hoc perpetuo prorsus è lecto nequeat surgere.

Communus rex quum Massilienses struere insidias, multos fortes & strenuos viros Floraliorum die hospitij iure in vrbem misit: plures scirpis latentes, frondibúsq; tectos, induci vehiculis iubet, atq; ipse cum exercitu in proximis montibus delitescit, vt apertis noctu vrbem ingrederetur. Cæterùm insidias mulier quædam regis cognata prodidit, quæ adulterari cum Græco adolescente solita, in amplexu iuuenis, miserata formam eius, insidias aperit. Ille ad magistratum tulit. itaq; Ligures comprehēduntur. Latentésq; de scirpis protrahuntur. atq; insidiis structis, rex Communus cum septem millibus hostium cæsus est.

Appius Claudius decemuir insano amore Verginiæ, Verginij filiæ, accensus, dum dolos vimq; puellæ parare intendit, occisa à patre Verginia, à populo Romano magistratu deiectus, in carcerémque coniectus, prius quàm dicta iudicij dies adesset mortem sibi consciuit.

Spatalem amicam hæredem amator instituerat: sed ea annos duodeuiginti nata occubuit. Vrbanissimè Crispus: O hominem, inquit, diuinum, qui sibi indulsit.

Cato maior mortua vxore, mulierculā Salonini clientis sui filiam amans, ad concubitum quamuis grandæuus alliciebat: quam posteà, ne clientelam nomēnque patroni deturparet, vxorem duxit.

Demetr

Demetrius,quum nosset Cratesipolim pulchritudine celebrem,degentem Patris, eius congressum vehementer appetere, relicto circa Megaram exercitu, ad eam cum paucis proficiscens, muliere potiebatur. Ea res quum hostibus cognita esset,adorti Demetrij tentorium,sepositum ab aliis,parum abfuit quin caperent. Sumpta enim raptim ille chlamyde,fuga salutem reperit.

Aeolus Tuscorum rex ex Amphicteta filias sex, totidémque mares suscepit. Machareus omnium ætate minimus, vnam ex illis violauit, ex qua susceptus infans,rem prodidit. Pater filiæ mittit ensem:quo accepto,necem sibi conscisciuit. Paulóq; post Machareus idem fecit, vt ait Sostratus.

Papyrius Volucer ex Iulia Pulchra sex filios, totidémq; filias quũ suscepisset,natu maior Papyrius,Romanus nomine,Canuleiam sororem adamatam grauidam fecit. re intellecta, pater ensem misit, quo vsa est ad necem:Romanúsq; idem etiam mox peregit.

Aristonymus Ephesius,Demostrati filius, muliebre genus perosus, asinæ se miscuit:quæ puellam honestissimam peperit,cui Onoseli nomen fuit.

Tullius Stellus, ob idem odium equam iniit: quæ puellam formosam peperit,& Hipponam appellarunt ex Agesilao 3. rerum Italicarũ.

Phædra Hippolytum priuignum ardens, conciliatricem admittit nutricem. Ille verò facinus detestatus,relictis Athenis Trœzenã adiit, venationibus studẽs. Sed illa amorem in odiũ conuertens,literas Theseo viro scribit,quòd esset ab Hippolyto de concubitu sollicitata. Qui impetrauit à patre Neptuno, vt emitteret phocas: quibus, exturbatis equis,laniatus Hippolytus est. Illa verò laqueo vitam finiit. Lege cap. de Nouercis.

Gidica Cõminij vxor priuignum deperibat,ab eóq; despecta, commentitias literas viro destinat:Comminius inuocato Neptuni auxilio, eodem,quo Hippolytus occisus est modo,filium occidendum exhibuit: Gidica laqueo se pensilem fecit.

Ilio capto Agamemnon domum rediens, à Clitemnestra vxore, & Aegistho amante, vnà cum Cassandra occiditur. Sed Orestes eorum filius,apud Strophiũ enutritus,quum adoleuisset,matrem Aegisthúmque confodit.

Fabij Fabriciani vxor,occupato in bello contra Samnites viro, Valentinum adamat.redeuntem igitur Fabium obtruncant. Fabia verò, fratrem paruum Fabricianum,periculo ereptum, educandum alio destinat:qui adultus,matrem adulterúmq; conficit.

Apharetus Marpissam Eueni & Alcippes filiam amans, visam ex chorea rapuit.Pater verò fugientem insequens, quũ raptorem assequi non posset, in Lycormam fluuium se præcipitem dedit.

Catheus adolescens quum Saliam,Anij regis filiam, aspiciens collu dentem arderet, Romam rapuit.pater persequens, quum prehendere non

non valeret,in fluuium Parensium insiluit: fluuióque nomen Anienis inditum est.

Phineus pulsa Cleopatra vxore, Idæam Dardani regis Scytharum filiam duxit:cuius precibus,filios,quos ex Cleopatra susceperat,flagris cæsos,viuos in terram defodiendos destinauit. Sed opportunè affuere Argonautæ, auxiliúmque filiis & Cleopatræ attulerunt, occiso Phineo.

Caligula imperator Cæsoniam mulierem,neq; facie insigni, neq; ætate integram,matrémq; ex alio viro trium filiarum,sed luxuriæ,lasciuiæque perditæ,& ardentius & constantius amauit:vt sæpe chlamide,peltáq; & galea ornatã,& iuxta adequitantem militibus ostẽderit, amicis verò etiam nudam. à qua potionatus amatorio medicamento est,quo in furorem versus esse ereditur.

Cephalus Ptarolę amoribus accensus,è saxo Leucadio in mare prosiluit:Sappho ob Phaonis,Deucalion ob Pyrrhæ amorem,Hero è turri apud Sestos, Phyllis ob moram Demophoõtis laqueo vitam finiit.

Calypso admonita à Mercurio,ne Vlyssem detineret: Duri,inquit, inuidiq; dij estis præter cæteros,qui deas admiramini cum hominibus cubare,siquando maritum sibi fortè delegerint:sic Orionem Aurora, quẽ sagittis Diana confixit,sic Iasonem Ceres,quem fulmine Iuppiter confecit.ex Homer. in Odyss. Cæterum Dionys. libro primo, Iasium appellat,non Iasonem.

Phædria apud Terentium in Eunucho, quum dixisset Parmenoni seruo,Tu dum est tẽpus etiã atq; etiã cogita:grauiter Parmeno,Here (ait) quæ res in se neque consilium neque modum habet vllum, eam consilio regere non potes,amare & sapere vix dis conceditur.

Næuus in articulo pueri delectat Alceum at est corporis macula næuus:illi tamen hoc lumen videbatur,ait Cicero de Nat.deor.

Amorem, inquit Plin. finit pecoris recenti corio rubeta alligata. Puluerem quoq; in quo se mula volutauerit,corpori insperſum,mitigare ardores amoris aiunt. Cyzici fons Cupidinis vocatur, ex quo potantes,amorem deponere,Mutianus tradit. Radicem herbæ quæ Centum capita dicitur, alterutrius sexus similitudinem referre proditum est,si viris contigerit mas, amabiliores fieri. ob hoc & Phaonem Lesbium dilectum a Sappho: Plin. Nam quod de hyenæ ait intestino, mirũ creditu est. ait enim: Eius intestini cauerna sinistro lacerto religata, si quis mulierẽ respiciat,amatoriũ esse tam præsens, vt illico sequatur.

Aspides semper cum compare viuunt. Itaq; altera interempta, incredibilis alteri vltionis cura:persequitur interfectorem, vnúmq; eum in quantolibet populi agmine notitia quadam infestat.

Byzantij vinositate deliciisque infames sunt apud scriptores. sed in eos quum Philippus copias duceret, Leo sophista obuiã illi procedit, atq; ait: Quid tibi est factũ ò imperator? quàve à nobis lacessitus iniuria, in nos armatus proruis? Sed Philippus: Quoniam (inquit) patria

tua

tua omnium vrbium speciosissima est, in suos me facile amores pellexit. Tum Leo: Amatores, qui redamari postulant, armis non grassantur: neq; enim bellica, sed musica expetuntur instrumenta.

Crathis pastor Sybaritanus, capellam cœpit amare, procedentéque libidine, ceu amicam ample abatur, adhibitis crebris basiationibus, oblato etiam lætiori odoratioríq; pabulo, vt capellæ anima suauius inter suauiationes oleret: nec basiis modo, sed amplexu & cubili eodem prosequutus est. Non latuit res capellæ, virum hircum. Zelotypia itaque concitus, in dormientem Crathim impetum facit, ac frontem capiti illisit eo impetu, vt ossibus perfractis Crathis occubuerit, qui & fluuio vicino nomen dedit.

DE AMICITIA ET AMICIS. III

AMicitiæ treis species Plato ponit: Naturalem, qua parentes naturæ instinctu in liberos afficiuntur, aut cognatiin cognatos in cæteróſq; animantes diffusa. Socialis, quam sine cõsanguinitatis vinculo sola consuetudo conciliat, cuiusmodi Pyladis fuit & Orestis: Hospitalis, qua ex commendatione vel hospitio iungimur. hæc ille. Amicitia ipsa nihil melius esse, tum exempla indicabunt, tum Dion de Regno, qui ait: Soli amicitiæ contingit, vt rerum omniũ sit vtilissima atq; iucundissima.

P. Rutilius, quum amici cuiusdam iniustæ rogationi obsisteret, atq; is per summam indignationẽ dixisset Quid ergo opus est mihi amicitia tua, si quæ rogo non facis? respondit: Imò quid mihi tua, si propter te aliquid inhonesti facturus sim? Cicero in Amicitia: Hæc igitur prima lex in amicitia sanciatur, vt ab amicis honesta petamus, amicorũque causa honesta faciamus.

Pericles Athenienſis ab amico rogatus, vt pro re causáque eius falsum deieraret: δᾶμε, ait, συμπάτεμν τοῖς φίλοις, ἀλλὰ μὴ ἐπίορκον id est: Oportet me amicis accommodare, sed vsque ad aras.

Phocion Athenienſis quum ab Antipatro rogaretur, vt iniustè quippiam faceret: Non potes, inquit, ô Antipater, Phocione & amico & assentatore vti.

Petentibus contra Samnites Campanis auxilia à populo Rom. etsi magnæ parti Senatus vrbs maxima opulentissimáq; Italiæ, vberrimúsque ager propinquus, ad varietates annonæ, horreum populo Ro. fore videbatur: tamen tanta vtilitate fides antiquior fuit, vt responderit consul ex senatus autoritate, Auxilio vos Campani dignos cẽset Senatus sed ita vobis amicisque institui par est, ne qua vetustior amicitia ac societas violetur.

Lucilius Bruti familiaris, quum barbaros in Brutum obnixè ruenteis cerneret, Brutũ se esse assimulauit captúsque & ductus nimis auidè ad Antonium quum in Antonii esset conspectu ait: M. Brutum, ô Antoni, nemo cæpit: absitque, vt ipsum quisquam capiat hostis. Sed exterritis qui adduxerant: Credo, ait Antonius, vos commilitones hunc error

errorem grauiter ferre, eludi existimantes: sed scitote vos meliorem prædam adeptos. Dum enim hostem quæritis, amicum mihi adducitis. Viuo quidẽ Bruto, ignoro per Deos, qua in re vterer. his vero amicis vtinam magis quàm hostibus potiar. Quum hæc dixisset, Lucilium amplexus est. Plutarchus in Bruto. Valerius vero Terentium vocat, vt infrà dicetur.

Antigono per somnia quum visum esset, campum pulchrum peragrare, aureásque micas serere, ex iisque primo auream segetẽ oriri, móxque nihil ibi præter desectã paleam cerni: perturbatum aiunt ex somnio, audiuisse quosdam, qui interpretarentur, Mithridatem Ponti regem in Euxinum profectũ esse pontum, ac auream messem lecturum. Commotus igitur hoc somnio, vocatum ad se filium Demetrium iureiurando adegit, ne rem proderet, mortémque Mithridati apparabat. Demetrius verò Mithridatis familiarissimus, quum ex sacramento rem nunciare non posset, pulsis arbitris solus cum illo relictus, cuspide teli in puluere inscripsit, Fuge Mithridates.

Philippus Macedo, quum multos captiuos venderet, in decorè tunica contracta sedebat. Vnus autem è captiuis. Parce, inquit, Philippe, vt pote tui patris amico. Percunctantique Philippo causam, propè accedens ille inquit, Dicam. adductúsque propius: Dimitte ait chlamydem inferius: sic enim sedens indecorè te habes. Tum Philippus. Dimitte hunc, inquit, nam amicus esse mihi ignorabatur.

Rosacem Barbarum è Persis Athenas aiunt cum magna auri copia venisse, Cymonisque domum adiisse, & ob tutelam phialas duas, alteram Daricis, alteram argenteis plenas obtulisse. Conuersum verò ad eum Cymonem, subrisisse, rogasséque barbarum, vtrum mercenariúmne Cymonẽ an amicum habere vellet? quum respondisset, Amicum: Abi igitur, inquit, tuáque istæc tecum munera defer. Ego enim amicitia tua fretus, hisce, quum opus fuerit, liberaliter vtar.

Diogenes Cynicus quum pecuniis egeret, ab amicis repetere se, non petere, dicebat.

Dion Syracusanus admonitus, vt caueret sibi ab Heraclide & Callippo quorum fidei plurimùm credebat, respondit: Se malle vita excedere, quàm in metu violentæ mortis amicos inimicósq; iuxtà ponere.

Nicias quum ex itinere duo amicorum cadauera insepulta relicta apud hostes meminisset, vniuersum agmen sistere iussit, ad hostésque misit cadauera repetitum: neque legem consuetudinémque veritus est, victoriam tacito consensu eos tribuere, qui corpora ad sepulturam repetere coguntur.

Scipio Aemilianus non prius è foro discedere studebat, quàm aliquem sibi familiarem quouis pacto fecisset.

Chilo Lacedæmonius quempiam, se nullum habere inimicum dicentem, rogauit, An vllum haberet amicum?

Amicorum paria quæ celebrantur à veteribus, Orestes & Pylades,

quorum Oreſtes quum incidiſſet in furias,ob matrẽ Clytemneſtram occiſam,ductus eſt à Pylade in Tauricam regionẽ,ad Dianæ tẽplum, vbi Iphigenia Oreſtis ſoror degebat:is quum ſorore adiutrice Palladis ſimulachrum ſurripere tentaſſet,eſsétq; regi Thoanti id nunciatum, comprehenſus ad pœnas eſt:ſed quum Pylades aſſeueranter aſſereret ſe eſſe Oreſtem,Oreſtes ita vt erat ſe eſſe diceret,magnæ ambo regi fuerunt admirationi. Damon & Pythias Pythagorei,ea iuncti amicitia fuere,vt quum alteri Dionyſius tyrannus diem necis deſtinaſſet, & is qui morti addictus eſſet,paucos ſibi dies commendandorum ſuorum cauſa poſtulaſſet: vades factus eſt alter eius ſiſtendi,vt ipſi moriendum eſſet,ſi ille nõ reuertiſſet.Qui quum ad diẽ ſe recepiſſet,admiratus eorum fidẽ tyrannus,petiit,vt ſe tertium in amicitiã aſcriberent. Referuntur etiam Achilles & Patroclus inter amicorum paria, itẽ Pelopidas & Epaminundas,Scipio & Lælius,Menedemus & Aſclepiades,Crates & Polemon,Nyſus & Euryalus apud Vergilium,Hercules & Philoctetes,Sthelenus & Diomedes:Polyſtratus & Hippoclides philoſophi,eodem die nati,eodẽ præceptore vſi Epicuro,eodémq; temporis momento vltima ſenectute extincti: Tydeus & Polynices, auctore Lactan.Tiberius Gracchus & C. Bloſius Cumanus: C.Gracchus Pomponius & Lectorius:M.Lælius & Menenius Agrippa:M.Lucullus & Volumnius: D. Brutus & Seruius Terentius,Alexander & Epheſtio:Phocion Nicocléſq;,de quibus infrà:M.Lucullus Caſsij partes ſecutus,ab Antonio occiditur:Volumnius verò vociferans,ad Antonium deductus:Iube me,inquit,protinus imperator ad Luculli corpus adductum occidi:neque enim abſumpto illo ſupereſſe debeo.

Decius Brutus quum ab Antonij militibus perquireretur ad necem Seruius Terentius,vt pro illo moreretur,ſe eſſe Brutum conſtantiſsimè dixit:ſed tandem inuitus vixit.

Achilles quum à Thetide matre accepiſſet,occubiturum eſſe,ſi Hectorem occidiſſet:ſin minus,in patriam rediturum,& ſenem morituru,audacter elegit pro Patroclo mori,vt illius mortem vlciſceretur.ex Phædro apud Plat.de Amore.

Menedemo & Aſclepiadi Archepolis tria milia deſignauerat:ortáq; contentione,vter ex illis ſecundo loco accepturus eſſet,neuter accepit.

In Darij ſepulchro hoc erat epithaphium: Amicus amicis fui: & eques & ſagittator optimus,venatores ſuperaui:omnia facere potui.

Phocione morti deſtinato,Nicocles eum rogauit,vt prius ſibi liceret haurire venenum,

Cyrus apud Xenophontem Crœſo ait: At ego,dum amicos diuites reddo,hos mihi theſauros eſſe puto,& cuſtodes ſimul tum mei ipſius, tum meorum bonorum longè fideliores,quàm ſi præſidiarios milites præfeciſſem. Cambyſi verò filio moriens ait: Non eſt aureum hoc ſceptrum,quod regnum ſeruet: ſed amici multi ſceptrum ſunt regibus veriſsimum,maximéque ſecurum.

Aeſopus

Aeſopus ille è Phrygia fabulator, monet,ſpem fiduciámq; rerum quas efficere quis per ſe poſſet, haud quaquam in aliis collocandam. Auicula,inquit,parua Caſsita,quæ in ſegetibus nidulatur,flaueſcentibus frumentis,cibum pullis plumãtibus ierat quæſitu.eos in diſceſſu monet,vt ſi quid nouæ rei fieret,diceretúrque,animaduerterẽt,idque ſibi vbi rediiſſet renunciarent.Dominus fortè ſegetũ adoleſcentem filium vocat.En vides ait,has maturuiſſe,falcémque poſtulare:proinde craſtino diluculo amicos adeas,roga veniant,operámque mutuã dent. Paret patri filius.Vbi verò redit Caſsita,pulli trepiduli circumſtrepentes,orare matrem vt aliò aſporter,rémque aperiunt.Mater iubet eos ocioſos eſſe. Die poſtero,mater ad pãbulum volat:dominus,quos rogari iuſſerat,opperitur.nihil fit:amici nulli veniunt.Tum ille ad filium,qui redierat:Quin potius affines cognatóſque noſtros adi,ora vt adſint cras tempori ad metendum.Itidem hoc,pulli paue facti,matri nunciant.Mater hortatur,vt tunc quoque ſine metu ſint:affines nullos eſſe tam obſequibiles,vt ad laborem capeſſendum nihil cunctentur. Vos modò aduertite,ſi modò quid denuò dicetur.Poſtridie ad paſtum profecta,affines & cognati operam,quam præſtare polliciti fuerant, ſuperſederunt.Tandem dominus filio:Valeant,inquit,amici cum propinquis:afferes prima luce falces duas,vnam egomet mihi,tu capies alteram,& ſegetem cras noſtris metemus manibus.Id vbi ex pullis dominum dixiſſe Caſsita audiuit: Tempus eſt,inquit,abeundi:atq; itanidum trãſtulit.Qu.Ennius in Satyris apologum his trãſtulit verſib.

Hoc erit argumentum tibi ſemper in promptu ſitum,
Ne quid expectes amicos,quod tu per te agere poſsis.

Martialis conqueritur de amico:

Pallada ne Cilicum timeant pomaria brumam,
Mordeat & tenerum fortiter aura nemus.
Hybernis obiecta notis ſpecularia puros
Admittunt ſoles,& ſine fece diem.
At mihi cella datur non tota clauſa feneſtra,
In qua nec boreas ipſe manere velit.
Sic habitare iubes veterem crudelis amicum?
Arboris ergo tuæ tutior hoſpes ero.

Publius Syrus:Ita,inquit,amicum habeas,vt poſſe fieri hunc inimicum putes.Chilon:Hoc ſine ames,tanquam forte fortuna oſurus: hac itidem tenus oderis,tanquam fortaſſe amaturus.

Bion Borryſthenites dicere ſolebat: Amicos qualeſcunque debere ſeruari,ne videamur vel malis vti,vel deuitare bonos. Seneca li.de Moribus:Honeſtius eſt quum iudicaueris amare,quàm quum amaueris iudicare.Idem etiam dicebat Theophraſtus.Cic.in li.de petitione conſulatus:Illud teneto,neruos atque artus eſſe ſapientiæ,non temerè credere:& quum tuorum amicorum ſtudia conſtitueris, tum etiam obtrectatorum atque aduerſariorum rationes & genera cognoſcito.

Maiores, amicitias renunciabant, si quando in amicos volebant animaduertere. Germanicus Pisoni amicitiam renunciauit, quòd veneficiis ab eo impugnaretur. T. Quintius Crispinus lacessitus à Badio hospite Campano, renunciauit hospitium antè quàm dimicaret.

Androclidas Lacon rogatus, quomodo quis maximè hominibus placere posset? Si cum ipsis, inquit, quàm suauissimè conuersetur, ac vtilissima afferat.

Aristoteles rogatus, quales erga amicos esse debeamus: Quales, inquit, eos erga nos esse optamus.

Namertes Spartiata quum rogaretur, quomodo qui e periretur amicos se multos habere. Aduersa, inquit, fortuna. Quid.

Quum fueris fœlix, multos numerabis amicos:
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Fugientem Clodij furorem Ciceronem, Vibius eius familiaris domum non admisit. Idē Cicero quum ad Pompeium in Albano degentem confugisset, per posticum villæ egressus Pompeius abiit. Seneca in Moralibus: Amicos secundæ res parāt, aduersæ certissimè probant. Idem ad Lucil. Negociatio est amicitia, quæ ad commodum accedit.

Camillus accusatus à L. Apuleio, quum ad amicos cōfugisset, auxilium expetens, responderunt, Nullum se auxilium illi præstare posse.

Demetrius Phalereus, Amicos dicebat secundis in rebus adesse aduocatos oportere: in calamitatibus autem sua sponte, atq; nō vocatos. Lacon quidam pridie ab hospite declinatus, postridiè lectis stratisque conductis liberaliter exceptus, strata ipsa conscendit, ac conculcare cœpit, dicens: Propter hæc heri ne in palea quidem dormiui.

Aristippus Cyrenaicus Dionysium quum pro amico oraret, ab eóq; repelleretur, ad pedes eius corruit. Id quum vitio à quopiam illi daretur: Non ego, inquit, in culpa sum, sed Dionysius, qui aures habet in pedibus.

Alexander Macedo quum ad Iliū veniisset, Achillisq; statuā coronis ornatam reddidisset, fœlicem illū appellauit: Quòd viuo quidem (ait) tam fidum amicū, mortuo autē tam magnū cōtigit habuisse præconē.

Tyberio Graccho & C. Claudio collegis quum Pompilius tribunus pleb. diem dixisset, atque Claudius damnandus, Gracchus verò liberandus videretur, clara voce intonuit, iurauitque: Nisi pariter de collega iudicarent, futurum se in exilio illi socium.

Crasso latitanti in iuuenta, Iubius duas ancillas in speluncam, in qua latebat, attulit, octóq; mensibus illic pauit.

Deuoti inter se apud Gallos, quos Soldurios appellant, omnibus in vita commodis vnà fruuntur. Si quid aduersi accidat, aut eundem casum vnà ferunt, aut sibi mortem consciscunt. Neque adhuc hominum memoria repertus est quisquam, qui eo interfecto, cuius se amicitiæ deuouisset, mori recusaret. Catilina apud Salust. ait sociis: Idem velle, & idem nolle, ea res demum firma amicitia est.

Diogenes

Diogenes Cynicus rogatus, quemadmodum amicis vteretur Dionysius? Vt vasculis, ait: dum plena euacuat, & abiicit vacua.

Augustus amicitias non facilè admisit: sed admissas constantissimè retinuit.

Hadrianus & Antoninus Pius amicorum studiosissimi fuerunt. Agesilaus amicis mitissimum, inimicis terribilem se præstabat. In Hipparchi monumento scriptum extat: Ne amicum decipias. ex Socrate apud Platonem.

Apud Scythas is habetur ditissimus, qui optimos habeat amicos. Hispani pro iis quos amant, morti se deuouent:

Martialis in auarum amicum ita iocatur.

Cedere de nostris nulli te dicis amicis:
Sed sit vt hoc verum, quid rogo Crispe facis?
Mutua quum peterem sestertia quinque, negasti:
Non caperet numos quum grauis arca tuos.
Quando fabæ nobis modium, farrisve dedisti,
Quum tua Niliacus rura colonus aret?
Quando breuis gelidæ missa est toga tempore brumæ?
Argenti quando missa selibra mihi est?
Nil aliud video quo te credamus amicum,
Quàm quòd me coram pedere Crispe soles.

Et aliud Epigramma in Candidum:

Candide, κοινὰ φίλων hæc sunt tua Candide πάντα,
Quæ tu magniloquus nocte diéque sonas.
Te Lacedæmonio velat toga lota galeso,
Vel quam sepositò de grege Parma dedit:
Et mea, quæ passa est furiosi cornua tauri,
Noluerit dici quam pila prima suam.
Misit Agenoreas Cadmi tibi terra lacernas,
Non vendes nummis coccina nostra tribus.
Tu Libycos Indis suspendis dentibus orbes,
Fulcitur testa fagina mensa mihi.
Immodici tibi flaua tegunt chrysendeta mulli,
Concolor in nostra gammare lance rubes.
Grex tuus Iliaco poterat certare cynædo,
At mihi succurrit pro Ganymede manus.
Ex opibus tantis veteri fidóque sodali
Das nil, & dicis Candide κοινὰ φίλων.

Heroides Antonij partes sequutus, victo Antonio Octauium adiit, fassúsque est amicitiæ gratia Antonium non deseruisse: nec desertum, si Cleopatram è medio abstuliisset: Nunc verò, ait, ad te venio, spem salutis de virtute præsumens. Ad hæc Octauius: Immo verò saluus esto, inquit, & nunc regnato certius: nam meritus es qui plurimos regas, quum amicitiam tanta fide tuearis.

Moses legibus sanxit, vt nihil apud amicos celaretur: Non enim, inquit, amicitiæ sunt apud eum, cui non omnia creduntur.

Capto delphino à rege Cariæ, alligatóque in portu, ingens reliquorum conuenit multitudo, mœstitia quadam, quæ posset intelligi, miseratione petens: donec dimitti rex eum iussit. conspectique etiam sunt delphini, defunctum portantes, ne laceraretur à beluis.

DE ADVLTERIO. IIII.

Adulterium, quòd honnestæ vitæ labem affert, animum corpúsque inficit, fugiendum esse constat, propter illud saltem, quòd neque cuiquam tutum, neque tectum quidem esse possit. Sed iam exempla subnectam. Hercules quum ad Euenum fluuium venisset, eúmque quia exercuisset, non posset tranare, Deianiram vxorem transuectandam Nesso centauro commisit. At ille in altera fluminis parte expositæ quum vim vellet inferre, ab Hercule sagittis confoditur.

Seruilia M. Bruti mater, quum pretiosum ære paruo fundum à Cæsare dictatore, bona ciuium hastæ subiiciente, comparasset, non effugit Ciceronis scomma. Siquidem, ait, quo melius emptum sciatis, comparauit Seruilia hunc fundum Tertia deducta. filia autẽ Seruiliæ erat Iunia Tertia, eadémque Cassij vxor: lasciuiente dictatore tam in matre quàm in filia.

Faustus Syllæ filius, quum soror eius eodem tempore duos mœchos haberet Fuluium fullonis filium, & Pomponium cognomine Maculam: Miror, inquit, sororem meam habere maculam, quum fullonem habeat.

Geradas Lacedæmonius ab hospite, quem susceperat, rogatus, Qua pœna mulctarentur apud Lacedæmonios adulteri? negauit vllos esse Lacedæmone adulteros. At instans ille: Quid si existerent? Taurum, inquit Geradas, maximum penderent, qui producto vltra Taygetum montem capite biberet ex Eurota. quúmque hospes ridens dixisset, Et vnde taurus tam ingens? Lacedæmonius subdit: Et vnde apud Lacedæmonios adulter?

Thales Milesius dicenti adultero, an iuraret se minimè fuisse adulterum? Non est, ait, periurium adulterio deterius.

Lais Corinthia ob venustatem, formæque elegantiam, grandem pecuniam demerebat, conuentúsque ad eam diuitum ex omni Græcia fermè celebres erant: Postebat autem nimium. vnde ortum prouerbium, οὐ παντὸς ἀνδρὸς εἰς Κόρινθον ἐστὶ πλεῖν: id est, Non cuiuscunque hominis est Corinthum petere. Ad hanc Demosthenes clanculum adiit, & vt sui copiam faciat petit. at Lais, μυριάδος ἀρχύριου, id est, decem drachmarum millia popposcit. Tali mulier s petulantia atque pecuniæ magnitudine ictus expauidúsq; Demosthenes, auertit se, & discedens ait, οὐ μετανέω μυρίων δραχμῶν μετανοίαν: id est, Non emo decem drachmarum millibus pœnitudinem.

Minth

Minthe Plutonis pellex, à Proserpina æmulatipa dolo circumuenta, in mentam herbam conuertitur.

Cercyon Alopem filiam, quę cum Neptuno concubuerat, iugulauit. Cæterum Neptunus cancrum marinum in eum immisit, à quo morsus interiit.

Domitianus imperator Corneliam virginem vestalem, absolutam olim, dein longo interuallo repetitam, atq; coniunctam, defodi viuam de more imperauit, stupratoréque virgis in comitio ad necem cædi.

Augustus Iuliam adulteriis famosissimam, relegauit. Sed quum vna ex consciis liberta Fede nuncupata suspendio vitam finisset: Maluisse se, ait, Fedes patrem fuisse.

Claudius imperator adulteriis infamem quendam monuit, vt aut parcius æstatulæ indulgeret, aut certè cautius. addidítque: Quare ego scio, quam amicam habeas? Ouid.

Cytherea quidem gaudet sua furta taceri.

Tereus Pandionis gener, quum Philomelæ, sorori Prognes vxoris suæ, vim attulisset, linguámque ne facinus proderet excidisset: & occisum Itym filium comedit ab vxore appositum, & ipse in vppupam conuersus est. Res est fabulis notissima.

Diocles Pisistrati Athenienśium tyranni filius per vim stuprata virgine, à fratre puellæ interficitur. cuius frater Hippias quum interfectorem comprehendisset, ac per tormenta conscios cædis nominare cogeret, omneis tyranni amicos insimulauit. Quibus interfectis, quærenti tyranno, an adhuc aliqui consciį essent? Nemo, inquit, superest quem amplius mori gestiam, quàm ipsum tyrannum.

Agas Cyrenarum rex, antequàm moreretur, Beronicem vnicam filiam ad finienda cum Ptolemæo fratre certamina filio eius despondet. Arsinoe virginis mater, misit ad arcessendum è Macedonia Demetrium, regis Antigoni fratrem, & qui ex filia Ptolemæi procreatus esset, vt illi Beronicen cum Cyrenarum regno desponderet. Venit Demetrius, socrúsque amore corripitur: & socrus, illius. quæ res infensum illum & puellæ & militibus reddidit. Comparanturitaque insidiæ Demetrio. qui quum ex fuga in socrus lectum concesisset, percussores immittuntur: protectúmque socrus aliquantisper corpore, occidunt.

Cyanippus Syracusanus quum cæteris diis præterquàm Baccho sacrificasset, in ebrietatem ab illo impulsus, occurrentem in tenebris Cyanem filiam inuitam violat. Ea verò vt violatorem cognosceret, annulum surripuit. In pestilentia verò vrbis Syracusarum quum oraculum iuberet, impietatis authorem immolari: ignorantibus cunctis oraculum, conscia rerum Cyane, tractum capillis patrem mactauit, séque superiniecit.

Armitius, quia in Romanis Bacchanalibus deum contempserat, in ebrietatem lapsus, filiam Medulinam corrupit in tenebris. ea ex annulo cognouit, patrem fuisse. Itaque intellecto scelere patrẽ inebriat,

coronatúmque ad fulguris aram ducit: ibique fusis virginitatis lachrymis, insidiatorem mactauit.

Valeria Tusculana ob iram Veneris patrē ardens, rem nutrici nunciat, próque amica supponitur. Re cognita à patre, nutrix se præcipitat: filia fugiens Syluanum peperit: pater se dedit in præceps. Par exemplum Cynaræ est, in cap. de Amore.

Psamathe Argiuorum regis filia, quum filium ex Apolline suscepisset ex patris iussu sibi mortem consciuit.

Anchemolus nouercam incestauit, occisus ab Aenea. Virgil. lib. x.

Hinc Sthelenum petit, & Rheti de gente vetusta
Anchemolum, thalamos ausum incestare nouercæ.

Cilix quidam, quum vxoris filiam ex altero viro susceptam stuprasset, deprehensus ab vxore est. Cæterum puellæ mater ambos oculos eruit, marito vnum.

Extincto Vria quum Dauid Bersabeem illius vxorē assumpsisset, eáque res Deo esset nimium molesta. Nathan prophetam Dauidi misit, quem moneret suo nomine, vt illam dimitteret. Sed non ausus Nathan & Regi & amatori rem principio aperto exponere, insinuatione vsus est. Duo, inquit, viri in vna degebant ciuitate: quorum alter erat perdiues, duósque iumentorum, boum, ouiúmque greges possidebat: alter pauperculus, vnam tantum habebat agnam, quam cum filiis educabat, quacum cibis etiam communiter vescebatur. Quúmque hospes esset à diuite susceptus, noluit diues de suis pecudibus quicquam occidere pro hospitali cœna: sed agnam pauperis occisam, peregrino ministrauit. Hanc rem Dauid magnopere accusabat, dicebátque, illū esse omni dignum mulcta, qui pauperis agnam confoderit. tum Nathan, eum pronunciauit esse, qui similia commisisset.

M. Tullius Cicero, exprobrante ignobilitatem Metello, qui malè in matre audiebat, ac dicente, Quis tibi pater est? Scommatice, Hoc responsum (inquit) mater tua difficilius efficit.

Galba in conuiuiis luxuriosissimus, quum in causa L. Scribonij tribuni plebis ferret familiares suos, Libóque a lulteriis inquinatus, ei combibitiones concœnationésque exprobrans dixisset. Quando tandem Galba de triclinio tuo exibis? Galba retundens; Quum tu, inquit, de cubiculo alieno.

Festiuum Martialis epigramma in Galli vxorem:

Gentibus in Libycis vxor tua Galle malè audit
Immodicæ fœdo crimine auaritiæ.
Sed mera narrantur mendacia, non solet illa
Accipere omnino, qui solet ergo? dare.

Vrbinia Vestalis in adulterio deprehensa, virgis per vrbē cæsa, viua de more defossa est. Ex adulteris verò alter seipsum confodit: alterum sacrorum inspectores in foro afflictum necauerunt. Illud non omittendum, ob Vrbiniam quæ corrupta sacrificabat, morbum, qui pestilens

stilens dictus est, Romam inuasisse. Grauidæ enim, partus mortuos edentes, vnà moriebantur.

Homerus in Odyss. Vulcanum ait admodum claudū, quum illi vires non suppeterent ad vlciscendum Martis Veneriséque vxoris adulterium, cathenulis ferreis adamantiniséque lectū circumcinxisse, atq; in concubitu securos deprehēdisse. Exēplo admonemur, nullo pacto adulterium esse tutū. Quid enim Marte pugnacius? quid Vulcano debilius?

Pontidius interrogatus à quodam, qualem existimaret qui in adulterio deprehenderetur? festiuè, Tardum respondit.

Salustius domum paternam vendidit, vt se adulteriis redimeret.

Cicero in Pletorium Fonteij accusatorem, vafrè inuectus est. Pletorij mater male audiebat de adulterio. Pletorij matrem, inquit, dum viuebat, ludum: postquam mortua est, magistros habuisse. Allusit ad verbum Vixit. Ad infames enim fœminas, Dum vixit, dicebant. Dido Vergiliana: Vixi, ait, & quem dederat cursum fortuna peregi.

Demosthenes Demadi oratori, dicenti Sus Mineruam, per scomma adulteriū Demadi exprobans: At ista Minerua, inquit, nuper in adulterio deprehensa est.

Idem Demosthenes aduersum quendam Pheræū nomine, de stupro suspectum, quū Pheræus Demostheni vigilias lucubrationésq; obiiceret. Scio, inquit, tibi molestū fuisse, quod lucernā per noctē habuerim.

Iulius Cæsar e libertis sibi charissimum, ob adulteratā equitis Ro. vxorem, quamuis nullo querente, capitali pœna affecit. Idem fecisse Augustum in Proculum libertum, legimus.

Opilius Macrinus imperator, adulterij reos semper viuos simul incendit, iunctis corporibus.

Aurelianus imperator militem, qui adulterium cum hospitis vxore commiserat, ita puniuit, vt duarum arborum capita flecteret, quas ad pedes militis deligaret, easdémque subitò dimitteret, vt scissus ille vtrinque penderet.

Apud Germanos, adulteram accisis crinibus nudatam, coram propinquis expellit domo maritus, ac per omnem vicum verberibus agit: publicatæque nulla venia est. non forma, non ætate, non opibus maritum inuenit: ex Tacito.

Apud Aegyptios qui mulierem liberam violasset, virilibus priuabatur: quoniam vno crimine tria, nec parua scelera, complexus esset: iniuriam, corruptelam, liberorum confusionem. In adulterio spontaneo deprehensus, virgis ad mille plagas cædebatur: mulier naso mutilabatur. In legibus Mosaicis, adulteri femore dextro disiuncto, vteróque putrefacto moriebantur. Quod si maritus zelotipus volebat vxorem experiri, mulieres ad ianuas quæ essent conuersæ ad tēplum, constituebantur ab aliquo sacerdote: qui velamen capiti detrahens, superscribi in membrana Dei vocabulum iubebat, ipsámque iurare, nihil viro nocuisse. perfecto iureiurando, nomen Dei diluens è mem-

brana in phialam exprimebat, sumensque terram de templo circa parietem iacentem, & superspargens mulieri dabat bibendã. Illa verò, siquidem iniustè accusata erat, cõcipiebat, partúsque eius nutriebatur in utero: si autẽ de toro maritali mẽtiebatur, femur eius putrescebat, ventérq; in hydropem vertebatur. Qui puellã corruperit, alij despõsatam, cum ea moriatur, si virginẽ, eã ducat vxorẽ: si puellæ non placet, soluat patri puellæ adulter quinquaginta siclos pro iniuria. Ex iisdẽ legibus.

Apud Troglodytas, vxores omnes, præterquàm tyranni, sunt communes. Si quis verò tyranni vxorem corruperit, ouo mulctatur.

Apud Parthos nullum delictum adulterio grauius vindicatur, quum alioqui ex dulcedine variæ libidinis vxores plures habeant.

Placiadæ raphanis in adulteros deprehensos, apud quos magna est copia, ludibrij causa vtebantur, impactis in pudendas corporis partes raphanis.

Lata lege, vt de Lentulo, Cethego, aliisque cum Catilina coniuratis supplicium sumeretur, Cæsar D. Syllano metum incussit, adeò vt sententiam lenierit. Cato super ea re orationem habuit, vicitque tandem Catonis sententia. Sed eadem hora allatæ sunt literæ Cæsari, quas quum recitandas esse publicè Cato diceret (augurabantur enim, ab aliquo coniuratorum missas) illas Catoni legendas Cæsar dedit: sed hæ erant exscriptæ à Seruilia sorore Catonis, nimis impudicæ. Has iterum Cato reddidit Cæsari: Accipe, inquit, ebrie.

Suplicij genere quòd paratilmos dicebatur, afficiebantur olim adulteri pauperes. iis enim sedes expilabatur. Immittebatur præterea in sedem raphanus, vt dictum est, & mugil, vt Iuuenalis ait saty. 10. Catullus:

Ah tum te miserum, malique fati
Quem attractis pedibus patente porta
Percurrent mugilésque raphanique.

DE AVLICORVM OFFICIIS, ET VITA AVLICA.

QVi aliena quadra victuri sunt, his exẽplis admoneantur, quales debeãt se sub alieno imperio conuictúque gerere. Oppido quam lepida fuit aulici cuiusdam ratio. Aulicum enim quendã iniuriarũ Palatinarum patientissimũ, in cultu regum consenuisse scribit Seneca lib. 2. de Ira. Quúmque ab aliquo rogaretur, quomodo rarissimam rem in aula consecutus esset? Iniurias (inquit) accipiendo, & gratias agendo.

Ptolemæus rex Arati virtutem admiratus, ad se illum allexit, decreuítq; in omnibus vti adolescente. Oborta est aliis inuidia, ita vt crimínatum Aratum regi omnino alienauerint. Amicitiæ enim regũ repentinæ sunt, amoríq; ardore subitò accenduntur: sed expugnari labefactaríq; facilè possunt, ait Plut. Tuam verò amicitiam, Mecœnas, neq; tempus neq; ratio vlla minuere vnquã posset. nam bonus bonos in cõsuetudinem admittis, neque inuidi tibi possunt facile verba dare.

Iturus Callisthenes philosophus ad Alexandrõ, ab Aristotele monitus est, vt cum eo aut rarissimè, aut iucundissimè loqueretur. At ille Alexandrum Persica gaudentem salutatione, obiurgat: & ad Macedonicos mores inuitum non sine assidua reprehensione adducere nitentem, Alexander in carcerem coniicit, vbi pediculari morbo consumptus est. Crucifixum alij dicunt: Trogus non crucifixum ait, sed truncatis manibus, auriculisque abscissis, naso, labiisque mutilatum, spectaculum omnibus fuisse deformẽ: ac insuper cum cane in cauea clausum. Seneca ita affectum ab Alexandro ait Telesphorum Rhodium, eius amicum: lib. 3. de Ira.

Præxaspes à secretis Cambysis, rogatus à Cambyse, vt diceret qualem Persæ, eum censerent. Omnes te, ait, nimis laudibus efferunt: sed nimis te vino deditum aiunt. Exasperatus Cambyses: intellige, inquit tu an Persæ desipiant. Nam si filij tui, qui in vestibulo stat, medium cor non frustrato ictu percussero, constabit nihil esse quod Persæ dicunt: sin aberrauero, constabit Persas vera loqui. Hæc loquutus, arcum intendit, puerúmque percussit, mediúmque cor transfixit. quod quum vidisset, lætabundus cachinnansque ad Præxaspem conuersus: Præxaspes, ait facta est tibi fides, non me insanire, sed Persas? Verum nunc mihi dicito, quẽnam ex omnibus hominibus iam nosti, ad destinatum ita emittere sagitas? Præxaspes de sua etiam vita sollicitus: Ego ne Deum quidem, here arbitror tã probè percutere, ait Ex Herod. lib. 3. & Senec. lib. 3. de Ira vbi corruptè Hexaupes legitur.

Agrippa rex quum Matthiæ, Ionæ fratri, Pontificatum contulisset, Sylas Agrippæ præfectus inuidens, quoniã in omni fortuna nunquam regi defuisset, cœpit crebrò seruitia obiicere, efflagitans & sibi munera dignitatésque dari. Hæc quum quoti lie exprobraret Sylas, regẽ in iram conuertit, vt etiã præfectura priuaretur, coniectúsque in vincula sit in patriam destinatus. Vide exemplum Danielis, in capite de Dolis.

Alexãder Seuerus imperator, quum audisset Veronium Turinum imperatoris fauorem venditare, immisit quendam qui à se quiddam publicè peteret, à Turino autem occultè quasi præsidium postularet, vt pro eo Alexandro secretò suggereret. quod quum factum esset, pro mississéque Turinus suffragium, ac deinde dixisset multa Imperatori se narrasse, quũ nihil dixisset: sed in eo pendêre, vt adhuc impetraret, euentum venditans: Alexander iterum iussit interpellari. Tum Turinus, quasi aliud agens, nutibus annuit, neque tamen interim quicquam dixerat. Impetrato igitur quod petebatur, quum Turinus ingentia præmia ab illo accepisset, accusari eum Alexander iussit: probatisque per testes omnibus, & quibus præsentibus quid accepisset, & quibus audientibus id promisisset, in foro Transitorio ad stipitem illum ligari præcepit: & fumo appositio, quem ex stipulis atque humidis lignis fieri iusserat, necauit, præcone dicente: Fumo moriatur, qui

qui fumum vendidit.

Lampridius in vita Seueri,ad Constantinum:Notum, ait, est illud pietati tuæ quod in Mario Maximo legisti : Meliorem esse remp.& propè tutiorem,in qua princeps malus est,ea in qua sunt amici principis mali.Siquidem vnus malus potest à plurimis bonis corrigi:multi autem mali non possunt ab vno,quamtumuis bono, vlla ratione superari.Et subdit:Aulicos debere esse sanctos,venerabiles, conuenientes, religiosos, amantes principis sui:& qui de illo nec ipsi ridere, nec risui esse vellent:qui nihil venderent,nihil mentirentur,nihil fingeret,nunquam deciperent æstimationem principis sui,sed amarent. Quod esse verum,exemplum sequens indicat.

Augustus quum Iuliam filiam impudicissimam furore extimulatus relegasset,interposito tempore facti pœnitens,gemensq; quòd nõ silentio præteriisset,sæpe exclamauit:Horum mihi nihil accidisset, si aut Agrippa aut Mecœnas viuerent.

Aesopus historicus vehementer quum indoleret, Solonẽ esse inhumaniter à rege exceptum Crœso,quo tempore rex illi iratus fuerat:illúmq; solans diceret,Regũ cõsuetudine aut quàm minimè, aut quàm maximè vti oportere:Imò(respondit Solon)mehercule aut quàm minimè,aut quàm optimè. Græcum est prouerbium πόρρω διὸς τε καὶ κεραυνοῦ. id est,Procul à Ioue atque fulmine.

Sidonius Appollinaris lib. primo epistolarum , regum consuetudinem flammis esse ait similem : quæ sicut paulum à se remota illuminant,ita propius admota comburunt.

Philippidi Atheniẽsi , qui ob virtutem maximè charus ac perquàm familiaris Lysimacho regi erat, Lysimachus quum dixisset : Nunquid aliquid rerum suarum expeteret? respondit : Solum ô rex,ne arcanorum tuorum quicquam mihi credas.

Callisthenem quum quispiam audiente Diogene Cynico beatum dixisset,quòd Alexidri apparatibus exciperetur:At, inquit Diogenes, infœlix est,qui tum prandet ac cœnat,quum Alexandro videtur.

Seianus adeò charus Tiberio imperatori primùm fuit, vt viuentẽ in senatu æreum statuerit:& decretum ab eo factum sit , vti eius dies natalis publicè coleretur.Itaq; Romani per Tiberium Seianúmq; iurabant decreueruntq;,eos Consl.per quinquennium designare.Sed Tiberius potentiam illius veritus nimis auctam,dolo aggressus est. scripsítque è Capreis epistolam ad senatum contra Seianum : atq; ita à Marone per milites dispositos in curia captus est, ac vinctus:à Senatúque damnatus,in scalas Gemonias abiectus,vncóque distractus est.Ex Dione,apud quem historia longior est.

Pythius Atys quum Xerxem hospitio suscepisset, magnáq; videretur amicitia cum rege coniunctus petiit,vt vnum è quinque eius liberis primogenitũ , quos Xerxes secum in expeditionem accedere iusserat,remitteret,vacationéque donaret militiæ.At Xerxes adeò indignatus est,

tus est,vt iusserit filium primogenitum discindi medium , atq; discissi dimidium ad dextram , dimidiúmq; aliud ad sinistram disponi,vtque illàc transiret exercitus.

Serapioni adolescenti , quia nihil poposcerat , nihil quoq; exhibuerat Alexander Magnus,sed ludentibus pila ambobus,iacta ad cæteros pila,Mihi nequaquam præbes, dicente Alexãdro:Non petis,Serapion inquit.Delectatus Alexander illo scommate perquam multa largitus est.

Teribazus quum in venatione vestem scissam Artaxerxi ostendisset,rogatus quid fieri oporteret? respondit : Aliam sibi induendam vestem,& illam Artaxerxi trandendam.Concesit Artaxerxes:Dono tibi hanc(ait)vestem,sed ferre prohibeo.Teribazum verò, quòd illam indutus esset, acceptis etiã muliebribus donis,ægreferebãt spectatores. Tum Rex cachinnari cœpit,ad eúmque conuersus:Tibi,inquit,vt mulieri aurum,& vt insano regium amictum gestandi potestatem licentiámq; concedimus.

Opilius Macrinus in aulicos tam asper , impius & pertinax fuit , vt non Macrinum, sed Macellinum appellarent:quòd macelli specie domus eius cruentaretur sanguine vernularum.

Apud Aethiopes morem fuisse scribit Diodorus , si quando rex illorum aliqua corporis parte ex quauis causa debilitaretur , dqmestici vt omnes sua sponte eandem partem debilitarent. Turpe enim existimabant,rege claudo,non alios quoq; omneis claudos esse.

Orta in conuiuio Alexandri quæstione de laudibus Philippi regis, vnus è senibus Clytus fiducia regiæ amicitiæ ductus, Philippi memoriam tuebatur,ea res adeo Alexandrum commouit, vt arrepto à satellite telo , patris laudatorem , amicum præter cæteros charissimum, Clytum trucidauerit.Sed de hac re infra quoque dicetur.

DE AVDACIA ET TEMERITATE. VI.

ALexander Pheræus,hostis Thebanorum, Athenienſibus, à quibus in amicitiam societatémq; ascitus fuerat,polliceri se quum dixisset,eis carnes quæ mina prius vẽdebantur,semiobolo præbiturum : audiente Epaminunda , At nos(inquit)Thebani liberaliores erimus , quippe qui ligna ad has carnes coquẽdas gratis exhibebimus:eorum enim agrum excidemus.

Agesilaus admonitus à suis ne cum Thebanis, qui numero præstabant, manum consereret : respondit , Qui multis vult imperare, non debet multorum timere congressum.

Epaminundas Thebanus imminente aduersus Lacedæmonios pugna , quum sella in qua sedebat succubuisset , viderétque milites hoc prodigio exturbatos : Imò, inquit,sedere prohibemur,militúmq; animos restituit.

Ant

Antiochus quum in Ptolemæos, populi Rom. amicos dictos, bellũ gereret: Romani Pompilium cum literis miserunt, in quibus ne pugnaret contra Ptolemæos iubebatur. quibus lectis, quum tempus ad consultandum exposceret, Pompilius circulum virga conscripsit, dicens, Intra hunc consule.

Fabius Maximus quum Scipioni ardẽti in expeditionem proficisci dixisset, Hoc natura prius comparatum est, quum tua defenderis, aliena ire oppugnatum, pax antè in Italia, quàm bellum in Africa sit. Plus animi, inquit Scipio, est inferenti periculum, quàm propulsanti.

Artabanus Xerxi expeditionem in Græciam paranti, ait: Noli tu vllum tale adire discrimen, nulla subsistente necessitate. Vide in capite de Superbia.

Cn. Piso Manlium Crispũ accusauerat, quem Pompeij gratia licet nocentem eripi videbat: cœpit itaq; in Pompeium crimina intorquere. Interrogatus igitur à Pompeio, cur se quoque non accusaret: Da, inquit Piso, vades reip.te, si postulatus fueris, ciuile bellum non excitaturum: iam de tuo prius, quàm de Manlij, capite in consilium iudices mittam.

Ingresso Capuam Annibale, Perolla Calanij filius, neque à patre vinci, neq; ab Annibale inuitante ad conuiuium allici potuit. éque cœna exeuntem sequutus patrem ad hortum: Consilium habeo (inquit) pater, quo non veniam solum peccati, quo defecimus ad Annibalem, impetrare a Romanis possumus, sed multo maiore in dignitate & gratia simus. Roganti patri, quid nam esset? toga reiecta ab humero, latúsque succinctum gladio nudans: Iam ego inquit, sanguine Annibalis sanciam Romanum fœdus. atque vix a patre potuit diuerti. Ex Liuio. Plutarchus verò in Annibale, Pacunij filium vocat, Pacuniúmque Annibalis hospitem.

Aristoteles Celticam audaciam, cum contemptu salutis coniunctam, appellat.

Aristides quum nunquã extempore diceret, ne à Philippo quidem rogatus dicere voluit. Dicente postmodum illo, ac Philippo subridente: Ari naspos illi monoculos cognatos esse (ad oculum videlicet, quo orbatus fuerat, alludens) dicere non expauit.

DE ADVLATIONE ATQVE ASSENtatione. VII.

PErnicioſos assentatores cercopisantes, caudáque blandiẽtes (quos diuus Hieronymus gladium melle litum appellat) vitandos esse, & sequentia exempla ostendunt, & Seneca in libro de Formula honestæ vitæ: ait enim: Si constinens es, adulationes euita: atque tibi tam triste laudari à turpibus, quàm si laueris ob turpia.

Antisthenes præstare dicebat, necessitate vrgente in coruos, quàm in assentatores incidere. illos quippe mortuos, istos viuẽteis deuorare.

Dion: Omnium, ait, vt ita dicam, vitiorũ nullum inueniri fœdius potest, quàm adulatio.

Timagoras legatus Athenienſium, quia inter officia salutationis more Persico adulatus esset Dario, ab Atheniẽsibus capitali supplicio affectus est.

Tiberius imperator adeò aulationes auersatus est, vt neminem senatorum aut officij aut negocij causa ad lecticam suam admiserit: consularem verò satis facientem sibi, ac per genua orare nitentem, ita suffugerit. vt supinus caderet.

Alexander Seuerus imperator, hac tantum salutatione volebat salutari, Aue Alexander. Si quis caput flexisset, aut blandius aliquid dixisset, vti adulator vel abiiciebatur, si loci eius qualitas pateretur: vel ridebatur ingenti cachinno, si eius dignitas grauiori subiacere non posset iniuriæ.

Chrysippus Pasienus adulationibus non claudi ostium, sed aperiri oportere, dicebat.

Alexander Macedo post captam Petram inaccessibilem, quam ob id Aornon incolæ vocabãt, in qua erat arx insuperabilis: dicentibus amicis, Herculem rebus gestis ab ipso superatum: At ego (inquit) mea gesta cum Imperio, non vno quidem verbo cum Herculis gestis arbitror conferenda. Ex Plutarcho. Mirum est tamen quòd ita respondit, quum ab adulatoribus penè conculcatum constet Alexandrum.

Diogenes Cynicus rogatus, quæ nam pernicioſisimè morderet bellua: Ex feris, inquit, obtrectator, ex mitioribus adulator.

Thasij ab Agesilao Lacedæmonio magnis affecti beneficiis, illũ in templis ceu deum colere decreuerant, supérque ea re legatos ad illum destinarunt. Sed Agesilaus interrogauit legatos, An ipsorũ patria referendorum in deos hominum facultatem haberet? quibus affirmantibus: Agite, inquit, vos ipsos prius efficite: quod quidem si effeceritis, tũc credam, me quóq; à vobis deum fieri posse.

Aul. Sempronius atq; M. fratres, candidati magistratus petebant, Vargulámque suffragatorem amplectebantur. sed Vargula muscas illos vocauit, quàm festiuissimo ioco. ait enim, Puer abige muscas.

Antonius quum & habitu & comitatu Liber pater videri vellet, atq; ita inscribi in statuis fecisset: Athenienses cum coniugibus liberisque venienti illi prodierũt, Dionysiique nomine salutauerũt. dixerúntque præterea, Despondere se illi in matrimonium Mineruam eorum mutam: rogauerúntq;, vt duceret. Antonius verò, se ducturum ait, sed dotis nomine imperare se illis mille talenta.

Artotrogus parasitus militi Plautino quum assentaretur, dicerétq; septẽ millia hominũ vno die ab illo esse cæsa: subdidisséq; miles, Aedepol memoria es optima. festiuè parasitus respõdit, Offa me monet.

Pyropolynices miles Plautinus quum iactuose apud parasitum Artotrogum se ciuem seruasse diceret, in bello contra Archidẽ summum imper

imperatorem, Neptunique nepotem: festiuè parasitus, Memini, ait, nempe illum dicis cum armis aureis, cuius tu legiones diffiauisti spiritu. & subdit: Aedepol elephanto in India quo pacto perfregisti brachium? & quum ille dixisset, Quid brachium? parasitus, illud dicere volui, femur.

Alexandro Macedoni quum Corinthij per legatos gratularentur, ob orientales victorias, donaréntque ciuitate: risit Alexander. sed vnus è legatis, Nulli (inquit) ciuitatem dedimus alij, quàm tibi & Herculi. Demaratus Oronte in ipsum asperius locuto, quum quidam dixisset, inhumanè tecum se gessit Orontes Demarate: Nihil in me, inquit, peccauit: Qui enim ad gratiam loquuntur, nocent, non qui cum odio.

DE AGRICVLTVRA, AC vita pastorali. VIII.

AGriculturæ studio, qua nihil libero homine dignius, veteres penè omnes delectati sunt: apúdque Romanos satis laudasse putabant quem bonum colonum dixissent: agrúmque malè colere, censorium probrum iudicabant.

Cyrus minor Lysandro laudanti consitas arbores in ordinem: Atqui, inquit, multæ ex iis mea manu sunt satæ.

Vlysses apud Strabonem gloriatur, quòd longum sulcum ducat.

Diocletianus imperator, imperium Herculeio & Galerio sponte reliquit, ad agriculturámque se contulit. ab iisque quum ad capessendum rursus imperium euocaretur, respondit: Vtinam possetis visere olera nostris manibus instituta, profectò nunquam istud tentandum iudicaretis.

Cincinnatus quum accepisset se factum Dictatorem ex agro discedens ac suspirans ait, Amittitur ergo huius quoq; anni fructus.

Ceteus quum Myronem Cheneum se sapientiorem cõueniret, eum reperit æstate siuam aratro aptantem. Ac dicente eo, non esse tempus aratri tunc conficiundi: Satis, ait Myron, tempestiuum est ad parandum illud.

Laërtem Vlysis patrem agrum colentem, stercorantémque facit Homerus, vt filij desiderium leniat.

Antiquis progenitoribus nostris pascere mos fuit, ait Iosephus: eo delectati sunt reges Hiero, Philometor, Attalus, Archelaus: & duces, Xenophon ac Pœnus etiam Mago, Philopœmenes, Augustus. Sed de iis apud Catonem, Columellam, Varronem, Plinium, Palladiúmque pluribus agitur.

Protagoras apud Platonem ait: Sterquilinium radicibus vtile, ramusculis verò cauliculísq; admodum noxium.

Pharaotes Indorum rex, Appollonio de eius victu sciscitanti: Ego, ait, palmarum fructibus aut oleribus pascor, aut quæ præbent mihi arbores, quas ego his manibus colo.

Bos

Bos apud Rom. tanti fuit, vt sit inter exempla damnatus à pop. Roma. die dicta, qui concubino procaci, ruri omasum se edisse negãti, occiderit bouem: actúsque in exilium, tanquam colono suo interempto.

Pœnum græcum seritur scarificatione, non altiore quatuor digitorum sulco: quantóque peius tractatur, tanto prouenit melius. Rarum dictu, esse aliquid cui prosit negligentia.

Scipio Nasica candidatus in ædilitatis petitione, cum adolescentulo competitore descenderat. cuius quum manum rustico opere duratam tetigisset, interrogauit, Num manibus consuesset ambulare. Id populo vt cognitum est, repulsam petitionis Nasica tulit.

DE ABSTINENTIA, CONTINENTIA, ET TEMPERANTIA. IX.

EPaminondæ, quum Iason Thessalorum princeps Thebas venisset, nimium indigẽti duo millia aureorũ misit. Sed is non modò aurum nonaccepit, verumetiam quum primùm nactus est Iasonẽ: Iniustis inquit, manibus imperas.

Demetrius Cynicus, quum Cæsar ducenta talenta ei attulisset, ridens reiecit: Si tentare, inquit, me constituerat, toto illi fui experiendus imperio.

Phocion Alexandri Magni legatis magnum auri pondus afferentibus, quum dixisset, quamobrem Alexander sibi soli aurum misisset? Illíque respõderent, Quia te solum ex omnibus virum probũ & honestum iudicat: inito igitur, inquit, qualem me iudicat, talem & esse & videri perpetuò, aurúmque contempsit.

Idem Phocion munera à Philippo missa repudiauit: legatísque suadentibus, vt acciperet propter filiorum cõmodum, respõdit: Hic agellus illos alet, qui me ad hanc dignitatem duxit. sin dissimiles mei sunt futuri, nolo meis impensis illorum ali augerique luxuriam. Vide in cap. de Filiis.

Harpalus ab Alexandro fugiens, magno cum auri pondere Athenas venit. Ibíque quum multos muneribus ad se allexisset, ad Phocionem etiã septuaginta talenta destinat. Phocion verò ad nuncios conuersus: Auferte istæc (ait) hominũ improbissimi: meóque nomine meretrorem luxúmque renunciate Harpalo, nisi à corrumpenda ciuitate manum abstineat.

Cn. Martius, qui Coriolanus postea dictus est, quum à Posthumio Cominio ob edita fortitudinis opera omnibus militaribus donis, centúmq; agri iugeribus & decẽ captiuorum electione, totidémq; equis, centenario boum grege, argentóq; quantum sustinere posset, donaretur: repudiatis omnibus, vnius tantũ hospitis salutẽ equúmq; accepit.

Babyloniæ rex Apollonio Tyaneo magnã pecuniarũ vim ostendit, sed Apollonius: Tibi, inquit, ô rex pecuniæ istæ sunt, mihi autẽ pal-

Diomedon Cyzicenus Artaxerxi magno Persarum regi Epaminondam pecunia corrumpere pollicitus, quum Thebas cum auri magno pondere aduenisset, Michitúmq; adolescentulũ corrupisset: Epaminondam quoq; corrumpere tentauit. sed is Diomedonti ita inquit: Nihil est opus attulisse pecuniam. si enim vult rex quæ huic reipublicæ vtilia sunt, gratis me polliceor esse facturu: sin contraria, nullis opibus eius obsequar voluntati. Tibi autem Diomedon ignoscо, quoniã me incognitum, tui similẽ esse iudicatti: sed abi properè, ne alios corrumpas, quum me non potueris. quum autem Diomedon timeret, ne sibi tutò abire liceret; Noli, ait, timere. te enim tutum dimittam, non tua causa tantum, quãtum mea: ne quis arbitretur, quam accipere noluerim, tibi eripuisse pecuniam.

Xenocrates, quum legati ab Alexandro quinquaginta ei talenta attulissent (quæ erat pecunia temporibus illis, Athenis præsertim, maxima) adduxit legatos ad cœnam in Academiam, eósque nullo excepit alio, quàm domestico apparatu. Sed quum postridie rogarẽt eum, Cui numerari iuberet? Quid vos, hesterna, inquit, cœnula non intellexistis, me pecunia non egere? Quos quum tristiores vidisset, c. minas accepit, ne aspernari regis liberalitatem videretur.

Q. Tubero vasa argentea ab Aetolis sibi missa, quia in eius mensa factilia vidissent, remisit. Val. Plin. verò Catum Elium vocat. lib. 33.

Cyneas Pyrrhi legatus, missus Romam cum ingentibus donis, neminem cuius domum muneribus peteret, inuenit.

Iulius Græcinus pecuniam ab amicis, ad ludorum impensam conferentibus, acceperat: sed magnam pecuniam missam à Fabio Persico non accepit. Obiurgantibus quòd non accepisset: Ego, inquit, ab eo beneficium accipiã, à quo propitiationem accepturus non sum? Quúmq; illi Rebilius, consularis homo eiusdem infamiæ, maiorem summam misisset, & instaret vt acciperet. Rogo, inquit, ignoscas, & à Persico nõ accepi.

Cato iunior, quum à Deiotaro, vt filios filiámque commẽdaret, vocatus esset, atque ei dona egregia rex offerret: hac ré adeò commotus est Cato, vt quum vespere ad eum venisset, postridie circiter horã tertiam abiret.

Antigonus vbi auditiuit, Philippum filium hospitio susceptum domi, vbi tres virgines morabantur: vocato ad se eo qui distribuendis hospitiis præerat, præsente filio sic inquit: Nónne ex tam parua, támq; angusta domo filium meum abducis?

Alexander Macedo vxorem Darij, omnium reginarum formosissimam, captiuam intactam seruauit: sed conclusam cum filiabus in sacris ædibus, castísque virginum cubiculis conseruatam, nulliúsque visam oculis viuere permisit. Dicebátque aliquando per iocum: Dolores oculorum Persicæ puellæ sunt.

Spurina Etruscus excellentis pulchritudinis, quum mulierum illustrium

illustrium oculos sollicitaret, essétque propterea viris parentibúsque earum suspectus: faciei decorem vltro fœdauit.

Xenocrates Platonis auditor miræ fuit continentiæ. Phryne enim meretrix venustissima, depósito cum iuuenibus pignore, se esse ad concubitum illum allecturam: admissa in lectulum, nullis meretriciis illecebris, nullo ad concubitum incitamento relicto, pellicere tamen non potuit. Expostẽtibus pignus iuuenibus, vrbanè Phryne: Se ait cum illis de viro, non de statua certasse, ex Valerio. Cæterum apud alios Phyrnem, non Phrynem legi. Idem quum libidine pertantaretur, secari pudenda, & vri se patiebatur.

Vespasianus factus imperator, Beronicem sibi charissimam ex vrbe dimisit, inuitus inuitam.

Valentinus imperator moriens, se vna tantum dixit victoria gloriari, rogatus quare respõdit. Inimicorum nequissimum deuici, carnem meam.

Araspas mulierẽ, quam Medi Cyro obtulerant Susiam, omniũ esse Susianarum venustissimam quum dixisset, Cyrus in conspectum non admisit: Ne, inquit, cogar relictis opportunis, illam sæpius repetere.

Mazusij abstinent à mulierum consuetudine, præterquàm ab illarum quas bello ceperint.

Pompeius è tot pellicibus Mithridatis quæ inultis in bellis captæ essent, nulli se miscuit, sed intactas omneis parentibus necessariisque remisit.

Gymnetæ philosophi apud Indos nudi degunt: mulieribúsque, quæ cum illis viuunt, nullo se miscent pacto.

Achilles quum visam Polyxenam regis Priami filiã arderet, ab Hectore etiã illi matrimonio negata est. Post Hectoris verò mortem veniens pro cadauere ad Achillem infelix Priamus, eóq; exorato, Polyxenam filiã vti suscipiat, sibiq; habeat, offert, amplexus etiã illius genua. At Achilles in aliud tempus rem differt, Priamúmque remittit.

Cato senior tam inuictæ vir fuit abstinentiæ, vt quum illius seruus Pachus treis puellas è captiuis, quæ sub hasta veniebant, emisset, Catonique innotuisset: veritus Pachus in Catonis conspectum venire, sibi mortem conscíuit, seruis deinde venditis, Cato precium in ærarium retulit.

Diuus Hieronymus ait, iussu Decij Valerianíque iuuenẽ quendam ad amœnissimos hortos vectũ, atq; inter varia herbarũ florúmq; odoramẽta, plumásq; etiã collocatum, appósita meretrice satis venusta ad libidinem excitandã, nullis meretriciis illecebris allectum: sed in faciem meretriculæ dissuauiantis, linguam dentibus incisam expuisse.

Idem Cato cãtherio vehebatur, impositis etiam hippoperis, pro sarcinis ab vtroque latere dependentibus, hœdiníque pellibus pro stratro vtebatur.

Alexander Macedo ob aquarum defectum in itinere siti laborabat

ei oblata est galea, aqua plena. vbi galeam in manus cæpit, circumspiciens quos circa se habebat equites: demisóque capite, & fixis in potum oculis, inguſtatam reddidit aquam, probatíſque viris dixit: Si ſolus bibero, hos mœror inſtigabit. Ouid.

Eſt virtus, placidis abſtinuiſſe bonis.

Pompeius Magnus, quum ex morbo ad cibos malè ſe haberet, medicus turdum dari mandauit. Hunc autem quum venalem non inueniret, cognitúmque eſſet, apud Lucullum tantum inueniri poſſe, noluit: Sine Luculli (inquiens) illecebris ipſe non viuam?

Alexander item Macedo, regina Cariæ multa obſonia ferculáque opipara quum ei miſiſſet, ſolertiſsimos etiam ad poſtremum coquos piſtoréſque miſit. His haud opus eſſe dixit. ad prandia enim coquos habebat itinera, ad cœnas verò ciborum parcitatem.

Idem quum lectum ingrederetur, veſtes accuratè diſcutiebat, num quicquam ſuperuacanea refertum mollicie mater adminiſtraſſet.

Cæſar quum vini eſſet parciſsimus, Cato hoc cauillum in eum iactauit. ait enim, Vnum ex omnibus ad euertendum remp. Cæſarem ſobrium acceſsiſſet.

Paulus Aemilius tantæ fuit continentiæ, vt quum ex Hiſpania Macedoniáque maximas opes in ærarium retuliſſet, vix ex auctione bonorum eius relictum eſt tantum, vnde dos vxori eius redderetur.

Mumius quoque ex Corinthi opibus, quam euertit, nihil domum retulit.

Idem Paulus victo Perſe, multum auri argentíque ex regia gaza comparatum, ne quidem aſpicere voluit: ſed quæſtoribus negotium dedit, vt in publicum referrent.

Scipio ampliſsima munera à rege Antiocho miſſa, pro tribunali ſe accepturum eſſe dixit: eáque omnia referre quæſtorem in publicas tabulas iuſsit.

Ageſilaus quicquid vel inſipidi apponebatur, bibebat, comedebátque: ait Xenophon. Probus autè, cum conſueuiſſe ſub dio dormire, inquit: ſtramentis vſum pro lecto, pellibúſque tegi ſolitum.

Hiero tyrannus, veſtibus non differebat à ſubditis.

Legatione à ſenatu in Aegyptum miſſa, quum legati ingentia à Ptolemæo munera miſſa ſpreuiſſent, interiectis diebus, ad cœnam inuitatis aureæ coronæ miſſæ ſunt: quas illi honoris cauſa receptas, poſtero die ſtatuis regis impoſuerunt.

Fabricius Lucinius & Q. Aemilius Pappus, cenſores, P. Cornelium Rufinum, qui bis conſul ac dictator fuerat, ſenatu amouerunt: quòd comperiſſent, eum cœnæ gratia decẽ pondo argenti habere. Eſt exemplum hoc in cap. etiam de Luxuria. Apud Liuium, pro Lucinio, Luſcinio legitur.

Acteius, Fannius, Liſinius, Sylla, Aemilius, Antius, Iuliúſque Cæſar legem tulerunt de Parſimonia.

Diocletianus

Diocletianus ludos parciſsimè edidit, dicens: Caſtiores oportere eſſe ludos, ſpectante cenſore.

Cato ſenior: Neq; (inquit) mihi ædificatio, neq; vas, neq; veſtimentũ vllum in manu precioſum, neque precioſus ſeruus, neq; ancilla. ſi quid eſt quo vtar, vtor: ſi non eſt, ego ſum, cuique per me vti atque frui licet.

Sophocles ætate iam ſenior, quærenti cuidã, An nunc etiã rebus venereis vteretur. Diimeliora, inquit, libenter enim iſtinc, tanquam à furioſa profugi dominatione. Cephalus hæc eadẽ ait apud. Plat. in Rep.

Sextius latum clauum diuo Iulio dante, non recepit.

Diuus Hieronymus contra Iouianum lib. ij. Legimus quoſdã morbo articulari & podagræ humoribus laborantes, proſcriptione bonorum ad ſimplicem menſam & pauperes cibos redactos, conualuiſſe. Et eſt de conſecrat. diſtinct. 5.

Cyrus apud Xenoph. militibus: Hi, inquit, qui repentinis abſtinent voluptatibus, non id agunt vt lætentur nunquam, ſed vt per hanc continentiam multo maiore in poſterum tempus lætitia afficiantur.

ARTEM QVAM QVISQVE NORIT, IN EA SE EXERCEAT. X.

ANnibal quum ad Antiochum exul Epheſum veniſſet, ab hoſpitibúſque inuitatus ad audiendum Phormionem Peripateticum acceſsiſſet, Phormióq; copioſius aliquot horas de imperatoris officio loquutus eſſet, atque de re etiam militari multa diſſeruiſſet: delectati vehementer qui audierant, quum ab Annibale quærerent, Quidnam de Phormione iudicaret: reſpondiſſe fertur, Multos ſe deliros ſenes ſæpe vidiſſe: ſed qui magis quàm Phormio deliraret, ſe vidiſſe neminem.

Iupiter apud Homerum in Iliade, Veneri à Diomede percuſſæ: Nõ eſt, inquit, ô mea filia muneris tui, tractare res bellicas, ſed vxorias amatoriáſque. Itaque tu cole amores, amplexus, oſcula: pugnas verò bellicas fortis Mars, atq; ſtrenua Minerna meditabuntur. Xenophon: Nõ, inquit, fieri poteſt, vt qui multis vtitur artibus, omnia pulchrè faciat. Proinde Martialis, Attalum omnia tractantem, ardelionẽ vocat.

Apelles pictor ſcriptorum monumentis celebratiſsimus, perfecta opera proponebat in pergula, tranſeuntibus iudicanda: ipſéq; poſt tabulam deliteſcẽs, vitia quæ notarẽtur auſcultabat, vulgum ſe diligentiorem præferẽs: ferúntq; à ſutore reprehenſum, quòd in crepidis vna intus pauciores feciſſet anſas. Eodẽ poſtero die ſuperbè emẽdationem priſtinæ admonitionis cauillãte circa crus, indignatum proſpexiſſe, ac denunciaſſe, ne ſupra crepidã ſutor. quod & ipſum in prouerbiũ abiit.

Zopyrus Phyſiognomon, qui ſe profitebatur hominum mores naturáſque ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoſcere, conſpectũ Socratem, ſtupidum bardúmq; eſſe dixit: quòd enim iugula concaua nõ haberet, obſtructas eas partes & obturatas dicebat. Addidit etiam, mulieroſum, in quo Alcibiades dicitur cachinnum ſuſtuliſſe: cæterum,

de mulierositate Socratem non negasse ferunt.

C. Iulius Cæsar artium liberalium doctores, quo libentius vrbem ipsi incolerent, & cæteri apperent, ciuitate donauit.

Horatius in Arte poet.

Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis:
Indoctúsque pilæ, discive, trochive, quiescit,
Ne spissæ risum tollant impunè coronæ.

Ouidij Helena:

Bella gerant alij, tu Pari semper ama.

Turnus Vergilianus:

Arma viri bellúmque gerant, quis bella gerenda.

Amasis rex Aegypti legem tulit, vt singuli apud præsides prouinciæ demonstrarent, vnde viuerent.

Armonides, faber lignarius celeberrimus, & Oetichius scutarius opt. apud Homerum celebrantur. Apud eundem Sidones in argentaria celebres, in Iliade: & Phæacenses mulieres in textura, in Odiss. Apud Iosephum autem Sidones in lignorum sectione celebres. Apud Arrianum Tyrij adeò nandi periti traduntur, vt in Tyri oppugnatione, Alexandri anchoras sub aqua præciderint. Ctesiphon architectus celebris, æde Ephesiæ Dianæ à se constructa: Philon Athenienſis, armamento mille nauium: Ctesibius, pneumatica ratione & hydraulicis organis repertis: Apollodoro grammatico Amphyctiones Græciæ honorem exhibuerunt. Berosus adeò in astrologia clarus fuisse traditur, vt ob diuinas prædictiones, in publico gymnasio statuam posuerint, lingua inaurata. Thearion optimus pistor fuit, ex Socratis testimonio in Plat. Gorgia.

Posidonius artium genera quatuor ponit: vulgares, sordidas, ludicras, pueriles.

Domitianus adeò sagittandi peritus fuit, vt sæpe centenas vnius generis feras in Albano secessu conficientem spectauerint plerique: atque etiam ex industria ita quarundam capita figentem, vt duobus ictibus quasi cornua efficeret. Nonnunquam in pueri procul stantis, præbentisq; pro scopo dispansam dextræ manus palmam, sagittas tanta arte direxit, vt omnes per interualla digitorum innocuæ euaderent. Aiax Telamonius apud Homerũ iaculator omniũ optimus proditur.

Themistocles Cleophantum filium in equestri facultate adeò strenuum reddidit, vt equis rectus insisteret, rectúsque ex equo iacularetur: ait Socrates apud Platonem.

DE AEDIFICANDI RATIONE & magnificentia.

AEdificandi luxuriè vrbanissimè Cæsar Metello exprobrauit. Nam quum Cæsar in delectu Metelli, oculorũ excusationem retulisset, dixissétque Metellus, Tu igitur nihil vides? Ego verò, inquit Cæsar, à porta Exquilina video villam tuam.

Martia-

Martialis in Gellium.

Gellius ædificat semper, modò limina ponit,
Nunc foribus claues aptat, emítque seras.
Nunc has, nunc illas mutat reficítque fenestras,
Dum tamen ædificet, quidlibet ille facit.
Oranti nummos vt dicere possit amico,
Vnum illud verbum Gellius, Aedifico.

Romam scandulis fuisse tectam vsque ad Pyrrhi bellum, annis 470. author est Cornelius Nepos.

Vrbes apud veteres crebras, in montibúsque conditas fuisse, ait Dionysius.

Apud Persas maximam auri argentíque partem in ædificiis esse, in nummis verò perexiguam, memoriæ proditum est: tantúmque nummorum, quantum satis sit ad vsum: tantum verò auri, quantum ad impensas sufficit.

Supra Mylesiam vrbem mons imminet præcipitio satis horrendo, vnde dux quidam admiratus, dixisse traditur: Qui hanc vrbem condidit, si non semper metuebat, nec etiam erubescebat.

Aedificium primus omnium Doxius Cælij filius inuenit, hirundinum nidos imitatus: ait Plinius. Diodorus verò, Palladem fuisse inuentricem inquit.

Aedificia quæ septem mundi miracula à scriptoribus nuncupantur, sunt hęc: Babylonis muri, à Semiramide cõstructi: Mausoleũ, hoc est, Mausoli Cariæ regis sepulchrum, ab vxore Artemisia constructũ: tertius Iouis colossus Rhodi, à Charete Lindio elaboratus, cubitorũ 70, duæ pyramides Memphi, singulæ altitudine stadij, figura quadrata: ex Strab. Obeliscus Semiramidis longitudine pedum 50. latitudine viginti, Diodorus inter miracula commemorat. Sextum addunt, hortum pensilem Babylonis. Septimum, labyrinthum Aegypti in Nomo Heracleopolite, quod Plin. opus portentosissimum vocat. Antipater verò in Epigram. hæc ait fuisse: Artemidis templum, Babylonis muros, hortósque pensiles, duas pyramides Memphi, colossum Iouis Pisæi, Mausoleum, & colossum Apollinis Rhodi. Alij addunt, Dianæ Ephesiæ templũ: Iouis olympici simulacrum ex ebore auróque, Phidiæ opus: Cyri domum: altare factum ex cornibus in Delo insula. Iosephus Solomonis templum omnia excedere ędificia tradit, cuius porticus parietes 400. cubitorum haberet, ex lapidibus quadratis, quorum longitudo cubitorũ 20, altitudo verò sex. Nec incelebre opus, antrum quò itur Neapoli Puteolos, à M. Cocceio excauatum, authore Strabone: quamuis falso aliqui Luculli opus fuisse existimẽt. Illud etiam addendum, Pyramides excindi ex monte Arabiæ, exporrecto ab Aquilone ad Austrum, meridiémque, ad maréque rubrum pertingente, ait Herod. lib. 2. Pyramis etiam constructa à Cherope rege, quadratæ formæ, cuius singulæ frontes octogenum erant iugerum,

viginti annos cõstructa, ita vt erogata sint pro apio, cepe, alliõq; sexcenta talenta. Cassiodorus, Mausoleũ, colossum Apollinis, Iouis simulachrũ, muros Babylonicos, pyramides Aegypti, Cyri domum, septem miracula vocat.

Athlantes, domus ex sale construunt. Romæ domus celebratæ in palatio duæ, altera Crassi oratoris, præstantior altera Q. Catuli, & C. Aquilij pulcherrima: item Lepidi. domus verò Caligulæ, Neronisq; totam vrbem cinxere. Domus Alcynoi regis Phæacũ, parietibus æreis, portis aureis, liminibus argenteis, ab Homero celebratur.

Domus impensa publica cõstructæ sunt Valerio Maximo, in palatio, & Ciceroni.

Architecti celebres hi traduntur: Pythius vetustiss. Dinocrates metatus Alexandriam, quum ab Alexandro condita est: Diogenes Rhodius: Callias Epimachus: Philon, & multi à Vitruuio decantati. Euryalus & Hyperbius fratres, primi apud Atheniẽses latericias domos construxerunt, quum antea specus essent.

Galba quum domũ vndique perstillantem perlucentémque haberet, cuidam penulam roganti, vrbanissimè ait: Non possum commodare, domi maneo.

Ichthyophagi domos ex ossibus cetorum, & ostreorum conchis, magna ex parte faciunt. trabium vsum costæ præstant, portas maxillæ, ex vertebris fiunt mortaria. vide in cap. de miraculis, Amasis.

DE ANV, SIVE VETVLA. XII.

Elpinice anus, quum pericles Samum vastasset, in illum his verbis insultauit: Admiranda sunt ista Pericles, & coronis decoranda, qui nos multis & fortibus ciuibus spoliasti: quum nec Phœnicibus, nec Medis bellum intuleris, vt meus frater Cymon: sed vt vrbem sociam & necessitudine nobis coniunctam sub imperium redacturus esses. Hæc dicente Elpinice, subridens Pericles, ad eam sedato animo illud Archilochi dixisse fertur: Haud vnguenti, vetula quum sis, oblita es.

Seneca in Prouerb. Anus, ait, quum ludit, morti delicias facit.

Festiua in vetulas, Martialis epigrammata scripsit, primò Philenis epitaphium:

Sæcula Nestoreæ permensa Phileni senectæ
Rapta es ad infernas tam citò Ditis aquas.
Eubœæ nondum numerabas longa Sibyllæ
Tempora, maior erat mensibus illa tribus.
Heu quæ lingua vlet? non illam mille catastæ
Vincebant, nec quæ turba Serapin amat.
Nec matutini cirrata caterua magistri,
Nec quæ Strimonio de grege ripa sonat.
Quæ nunc Thessalico lunam deducere rhombo,

Quæ sciet hos illos vendere læna toros.
Sit tibi terra leuis, mollique tegaris arena,
Ne tua non possint eruere ossa canes.

Aliud epitaphium vetulæ Plotiæ.

Pyrrhæ filia, Nestoris nouerca,
Quam vidit Niobe puella canam,
Laertes auiam senex vocabat,
Nutricem Priamus, socrum Thyestes,
Iam cornicibus omnibus superstes,
Hoc tandem sita pruris in sepulchro,
Caluo Plotia cum Melanchione.

Aliud in Vetustinam.

Quum tibi trecenti consules Vetustina,
Et tres capilli, quatuórve sint dentes,
Pectus cicadæ, crusculúmque formicæ,
Rugosiorem quum geras stola frontem,
Et aranearum cassibus pares mammas,
Quum comparata rictibus tuis ora
Niliacus habeat crocodilus angusta,
Meliúsque ranæ garriant Rauennates,
Et Adriacus dulcius culex cantet,
Videásque quantum noctua videt mane, &c.

Derbices anus, quæ septuagesimum excesserint annũ, strangulant. Talum candidi iuuenci quadraginta diebus noctibúsque, donec resoluatur in liquorẽ, decoctum, & illitum linteolo candorem, cutísque erugationem præstare, scribit Plinius libro 28.

DE ADOLESCENTIA. XIII.

Adolescentiæ imbecillitatem, quæ plures casus quã nostra ætas, inquit Cicero in Senectute, habet (facilius enim in morbos incidunt adolescentes, grauius ægrotãt, tristiùs curantur) festiuè grauitérq; Bion Borysthenites taxauit. Is enim quũ reprehẽderetur quòd adolescẽtem non sibi vendicasset: Non enim, inquit, possibile est mollem caseum hamo attrahere.

Lycurgus quum nosset adolescentes esse natura loquaciores, impudentésque, constituit, vt in publico consessu non nisi rogati loquerentur, eósque seniorum consuetudine iusit semper vti.

Antilochus Homericus: Fer, inquit, æquo animo Menelae, lõgè ego quàm tu sum iunior: tu verò prior, meliórque, non ignoras iuuenum audaciam: promptior enim iis animus, sed imbecillius consilium.

Hieronymus Hieronis nepos, vix imperium inuaserat, annum 15. ætatis agens, quum omnia cædibus, cõtumeliis, vestiũ luxuria pessundedit: tutoréque ab Hierone sibi datos, aut ad mortem voluntariam, aut ad fugam compulit: sed à coniuratis confossus est.

Adolescens ex Asia missus est pro legato, qui per id tempus magistratum non cœperat. Is in lectica ferebatur. Itaque quum ei obuiã bubulcus ex plebe Venusina adueniisset, & per iocum, quum ignorãs qui ferretur, rogasset, num mortuum ferrent: vbi id audiuit, lecticã iussit deponi: stuppisque, quibus lectica ligata erat, vsque adeò verberari, donec animam efflauerit.

Pyrrhi Epiri regis filius Ptolemæus, adeò strenuus, manúque fortis fuit, vt vrbẽ Corcyram cũ 60. viris ceperit. In Spartanorum oppugnatione vsque in mediam vrbem equo percurrit, ibíque concursu multitudinis occisus est. Quod cùm patri relatum esset, eum aliquanto tardiùs quã timuerat ipse, vel temeritas eius meruerat, occisum esse dixit.

DE ALIENIS REBVS. XIIII.

Diogenes, rogatus cuiusmodi vinum libentius biberet: Alienum, inquit.

Arabia, quamuis in ea omnes penè odores sint, ab exteris myrrham petit. Tanta mortalibus suarum rerum satietas est.

Martialis in Ceruinum, qui vxorem quam repudiauerat, amabat, ita iocatur:

Mœchus es Ausidiæ, qui vir Ceruine fuisti:
Riualis fuerat qui tuus, ille vir est:
Cur aliena placet tibi, quæ tua non placet vxor?
Nunquid securus non potes arrigere?

Antinous apud Homerum: Res, inquit, largiri alienas res nulla vetat, neque piget.

Dauus apud Terentium in Andria, erat coniectus in carcerem, quia hero Simoni illuserat, vt Pamphilo gratificaretur (compererat enim Dauus Glycerium, Pamphili amicam, Atheniẽsem esse, Chremetis filiam) quum autem ad eum liberãdum Pamphilus accederet dicerétque, Nescis quid mihi obtigerit? respondit Dauus, Certe nescio: sed quid mihi obtigerit scio.

Difficilem esse curam rerum alienarum, quas quasi interiecto videmus interuallo, testatur Cicero. Proinde Persa rogatus, quid equum maximè pinguefaceret: Oculus domini, inquit. Libycus verò rogatus, quæ stercoratio agro foret optima: Domini, inquit, vestigia. ex Aristotele in Oeconomicis.

DE AMBITIONE ET CVPIDITATE Gloriæ. XV.

Afer Didio Gallo, qui prouinciam ambitiosissimè petierat, deinde impetrata ea tanquam coactus querebatur, vrbanè atque Ironicẽs sait: Age, inquit, Didi aliquid, & reipublicæ causa labora.

Rutilius & Scaurus competitores erant in consulatu. Sed

Sed Rutilius tandem Scauro cessit. Scaurus ambitus Rutilium accusauit, quoniam in tabulis Rutilianis scriptum esset, A.F.P.R. quod interpretabatur Scaurus, Actum fide Publij Rutilij. quasi suffragia Rutilius corrupisset, nec potuisset fieri consul Scaurus nisi ex renunciatione Rutilij. Rutilius autem rursus interpretabatur, Ante factum, postea relatum Tum C. Caninius eques Ro. quum, Rufo adesset, exclamauit, neutrum illis literis declarari. id enim significat ait, Aemilius fecit, plectitur Rutilius: id est, Aemilius Scaurus corrupit populum, Rutilius passus est repulsam.

Q. Coponium inuenimus ambitus damnatum, quia vini amphoram dedisset dono ei, cuius suffragij latio erat.

Caius Cotta in ambitione artifex, dicere solebat: se operam suam in eo quod non contra officium rogaretur, polliceri solere omnibus: impartire iis, apud quos optimè poni arbitraretur. Candidatus quidam, qui coqui filius putabatur in campum descenderat. cui, quum à Cicerone suffragium petiisset, in verbo Quoque & Coque vsus scommate Cicero, ait. Ego coque tibi fauebo.

DE ACCVSATIONE, MALEDICENTIA, & detractione XVI.

Via atra hominum, vt inquit C. Plinius, ceu serpentium lingua vibrat, labésque animi contrectata adurit culpantium omnia, visum est iis Ronchis, Sisennis, Barrísque, ostendere sequentibus exemplis, quantũ ex delatione in commodi assequantur: qui dum aliis maledicunt, & habentur deteriores, & seipsos seruitia faciunt.

Zoilus quidam sophista, ausus pluribus commentariis Homerum lacerare, Ptolemæo regi Aegypti commentarios obtulit, ingens se spe rans munus à rege assequuturum. Quum verò nihil mitteretur, penurie coactus misit, qui peteret. Ibi Ptolemeus se mirari ait, quum Homerus tot annos defunctus, tot millia hominum pasceret, Zoilum Homero doctiorem egere. eúmque occasione oblata supplicio affecit: atque is Homeromastyx dictus est.

Lucius Crassus nullius rei se tam pœnitere dicebat, quàm quòd Carbonem accusasset.

Memnon pro Dario contra Alexandrum pugnans, quum militem è suis vnum nefaria contra Alexandrum obloquentem audiret, lancea illum percussit, addiditque: Ego te pasco vt pugnes contra Alexandru, non vt maledicas.

Daphitas grammaticus, quum versibus reges incesseret, ab illis crucifixus est in monte qui Chorax dictus est.

Xenophanes Colophonius Homeromastyx, quum apud Hieronem Syciliæ regem suam lamẽtaretur paupertatẽ, quod vix à se duo famuli possent nutriri: At Homerus, inquit, cui tu detrahis, plusquam decem millia

millia hominum alit vel mortuus.

Timagenes historiarum scriptor, miræ mordacitatis homo, in Augustum, vxorémque eius inuectus est: quare ab Augusto, illi domo interdictum est. Sed ipse Asinio Pollioni, quo cum antea simultates intercesserant, adhæsit. Dicentéque Pollione Cæsari Augusto, Si iubes, Cæsar, statim illum domo exigam. Hócne, inquit Augustus, dicam, quum ego vos in gratiam reduxerim?

Domitianus imperator calumniantium hostis fuit, ferebatúrque vox eius hæc, Princeps qui delatores non castigat, irritat.

Melissus philosophus quum probro illi daretur, quòd maledictis indignaretur: Si delicta, inquit, æquo animo admittam, ne laudes quidem sentiam.

Cæstius declamator, nullius ingenij homo, Ciceroni fuerat infestus. Is aliquando, quum apud M. Tullium, Ciceronis filium, Asiam obtinentem, cœnaret, Ciceróq; cui tum natura, tum ebrietas memoriã abstulerat, sæpe rogitaret, qui ille vocaretur qui in imo recumberet? & sæpe repetitum Cæstij nomen excidisset, nouissimè seruus, vt aliqua nota memoriam eius faceret certiorem, interroganti iterum domino Hic est, ait, Cæstius, qui patrem tuum negabat literas scisse. Afferri igitur protinus Tullius flagra iussit, & Ciceroni (vt oportuit) de corio Cæstij satis fecit.

Opilius Macrinus imperator delatores, si non probarẽt, capite afficiebat si probarent, delato pecuniæ præmio infames dimittebat.

Marcianus lib. 49 Digestorum: Non tantum, ait, delator punitur, si non probauerit: sed & mandator, quem ipse exhibere debet delator.

Cicero Cælium, melius deferentem quàm defendendem crimina, vrbanè bonam dextram, malam sinistram habere dicebat.

Asinius Pollio, quum orationes condidisset in Plancum, quas post Planci mortem legendas seruabat, audiit à Planco, Cum mortuis non nisi laruas luctari.

Solon legem condidit, quæ prohibebat in defunctos maledicta coniicere.

Aristoteles, quum audisset à quodam maledictis se lacessitum, vrbanè subiecit: Etiam absentem verberet.

Aristippus quum aliquando conuiciis ageretur, tacitus abibat. Insectatore verò prosequente, ac dicente, cur fugis? Quoniam, inquit, maledicendi tu potestatem habes, ego vero non audiendi.

Antisthenes quum audisset Platonem illi maledicere: Regium est, inquit, malè audire, quum benefeceris.

Philippus Macedo, conuiciis à Nicandro lacessitus, plurimis cœpit illum donis honestare: quibus acceptis, cœpit Nicáder laudare. Ad amicos igitur cõuersus Philippus inquit: Videtísne ergo nostrum esse & bene & malè audire?

Alexander Macedo, à conuiciatore plurimis conuiciis affectus, non excandu

excanduit. sed tantum dixit: Regium est benefacere, & male audire. Plutarchus verò ait eum dixisse: Regium est, à quibus malè audias, magis esse iis beneficum.

Antigoni milites quũ in illum probra iactarent, ignoraréntq; Antigonum adesse, tentorio virga patefacto: Flebitis inquit, nisi longius amoti malè nobis dicatis. ex Plutarchi Apophth. Seneca verò lib. 3 de Ira, ait illum dixisse: Longius discedite, ne Rex exaudiat.

Idem Antigonus, quum per noctem milites omnia sibi mala imprecantes audiret, quòd Rex in illud iter inextricabiléque lutũ adduxisset, accesit ad eos: ignorantésque à quo adiuuarẽtur, explicuit, Nũc, inquit, maledicite Antigono, cuius vitio in has calamitates incidistis: ei autem bene optate, qui ex hac miseria vos abduxit.

M. Crassus quum leui momento amorem simul & odium permutaret, eorundémque hominum & patronum & accusatorem, & legum earundem suasorem & dissuasorem breuis temporis interiecto spacio sese præstaret, sollicitudines maximas quamplurimis incutiebat. Itaq; Sicinius, multa in quoscunque probra iacere consuetus, aliquando rogatus, cur soli Crasso in conuiciis parceret? Fœnum enim, inquit, in cornu habet.

Demosthenes iussus ab Athenienses vt quendam accusaret, recusauit sed facta in eum populi reclamatione, surrexit, ac dixit: Vos me, viri Athenienses, consultatorem habebitis etiam inuiti: calumniatorẽ verò, ne si velitis quidem.

Pisistratus Athenienses tyrannus, quum in eius crudelitatem ebrius conuiua multa dixisset, irritantibus amicis ad pœnas de conuiua sumendas, dixisse fertur: Non magis illi se succensere, quàm si quis obligatis oculis in se occurrisset.

Pyrrhus rex quum audisset multa in se dicta conuicia, cõuiciatores ad se deduci iussit: deductósque interrogauit, num quæ dicerẽtur dixisse, aduersus se dixerint? respondente autem quodam ex iis: Ita est, ô rex, & plura etiam dixissemus, si plus vini affuisset: ridens Pyrrhus, eos statim dimisit.

Dionysius senior à duobus adolescentibus laceratus cõuiciis, vtrunque ad cœnam vocari iussit: & ex iis alterum vinolentum ebrietatíq; penè obnoxium dimisit, alterum parciorem tanquam formidandum occidit.

Stesichorus quum Helenam carminibus insectatus esset, in cæcitatem incidit, quum verò re intellecta palinodia esset vsus, atq; dixisset:

Non verus sermo ille fuit, nec nauibus altis.
Existi fugiens, nec adisti pergama Troiæ:

visum recuperauit: vt refert Socrates in Phædro Platonis.

Deferri non posse mulieres ob sexus infirmitatem, nec damnari ob ignominiam, neq; milites, neq; veteranos, neq; viros clarissimos ob dignitatem, author est Marcianus libro 49. Digestorum.

Thras

Thrasippus quum in conuiuio multa in Pisistratum tyrannum opprobria dixisset,in ósque etiam illius expuisset, postridie digesta crapula de inferenda sibi morte cogitabat. Pisistratus verò vt conuicia facilè tulerat, ita data fide, à mortis proposito illum reuocauit. Idem exemplum puto esse cum præcedenti de Pisistrato,ex Seneca.

Aristippus maledico:Vtinam,inquit, tu tuæ linguæ, sicut ego auriú mearum,dominus esses.

Pyrrhus quum à quibusdam rogaretur,vt maledicum quendam ex Ambracia pelleret,respodit:Potius apud paucos illic manẽs,quàm apud multos,nobis obloquatur.

Alcibiades canem miræ magnitudinis abscissa cauda per vrbem dimisit: hoc verò quum multis stultum atq; ineptum visum esset, monentibus eum amicis,ac sermones qui de eo circumferebantur, enarrantibus,ridens Alcibiades:Sic,inquit,res vt intenderam successit:hoc enim Athenienſibus loquendi volui præbere argumentum, vt eos à peioribus, quæ de me dicere audiréque soliti sunt, nouis his rebus auerterem.

Philippus Macedo amicis suadentibus vt maledicum domo exigeret:Non faciam,inquit,ne circumiens inter plures maledicat.

Cato senior cuiusdam, qui multis intemperantiæ notis inustus erat,probris vexatus:Impar mihi tecum,ait,certandi conditio est.nam vt male audire,& maledicere tibi facillimum, simul & prõptissimum est:sic & mihi maledicere insuaue est,& insuetum.

Martialis in Mamercũ maledicũ scripsit hoc Epigrãma ad Aulum:

Vt bene loquatur sentiátque Mamercus,
Efficere nullis Aule moribus possis;
Pietate fratres Curios licet vincas,
Quiete Neruas,comitate Drusones,
Probitate Marcos,æquitate Mauricos,
Oratione Regulos,iocis Paulos.
Rubiginosis cuncta dentibus rodit.
Hominem malignum forsan esse tu credis?
Ego esse miserum credo,cui placet nemo.

Cleomenes maledicenti vrbanè ait: An propter hoc tu omnibus maledicis,ne tempus de tua loquendi malignitate habeamus?

Plistarchus Leonidæ filius,dicenti cuidam, quòd à maledico laudaretur:Miror,inquit,nisi quis illi dixit me mortuum esse:nam viuẽtem ille posset laudare neminem.

Augustus quum accepisset,quòd Aemilius Aelianus Cordubensis, præter cætera crimina malè de illo sentiret,cõuersus ad accusatorem, commoto simili: Velim, inquit, hoc mihi probes:tum faciam sciat Aelianus,& me linguã habere:plura enim de eo loquar.

Idem Augustus indignanti Tyberio, ac per epistolam etiam conquerenti apud eum de conuiciatore,respondit: Aetati tuæ,mi Tyberi, noli

noli in hac re indulgere, & nimium indignari quenquam esse, qui de me loquatur malè: satis est enim si hoc habemus, ne quis malefacere possit.

Tyberius in initio principatus, in conuiciatores dicere solebat: In ciuitate libera linguam quoque liberam esse debere.

Qu.Fabius Maximus,dicente Minutio eum esse cunctatorem ac timidum,(cunctando enim Annibalem domuit)amicis id referentibus respondit: Formidolosior quidem nunc viderer, si dum scõmata conuiciáque timerem,à meorum ratione consiliorum discederem.

Ciceroni quum testẽ in Verris iudicio roganti dixisset Hortensius, Non intelligo hæc ænigmata: vrbanè Cicero, Atqui debes (inquit) quum Sphingem domi habeas.acceperat enim ille à Verre Sphingem æneam magni præcij.

Phauorinus apud Gellium:Turpius est, ait,exiguè atq; frigidè laudari quàm insectater grauitérq; vituperari. quia qui maledicit,quanto id acerbiùs facit,maximáq; mole propinquo inimicóq; ducitur,tanto minùs fidem capit. sed qui facundè ieiunéque laudatur, destitui à causa videtur:& amicis creditur eius quem laudare vult, se nihil posse reperire quod iure velit.

Socrates apud Platonem ait:Deum indignari, quoties bonum improbamus,aut improbum laudamus.

Socrati quum nunciatum, esset se a quopiam maledictis incessi:Bene,ait,loqui non didicit.

Aelianus quum Philostrato roganti quid operis cuderet, dixisset, opus in tyrannum Imperatorem Romanum nuper mortuum cudere: Admirarer,inquit Philostratus,si viuentem accusasses. superstitem siquidem tyrannum incessere,viri opus est:mortuum verò cuiusque.

Zoilus, qui viros omneis doctos liuore fugillabat,de quo supra dictum est,promissa barba,capite ad cutem deraso,pallio non infra genua demisso rogatus cur procliuis in alterius infamiam esset, respondisse fertur:Quòd nequeo vt cupio,male facere.

DE AVDITV, ET AVRICVLIS. XVII.

Annulos in auribus gestari apud veteres solitum, & nostra (si Diis placet) ætate repetitum esse, & legimus & scimus.

Apud Plautum in Pœnulo, Pœnus quum Chalcydonem veniſset,secúmque duceret seruos, habentes in auribus annulos,festiuè Milphio seruus Agorastocli adolescenti ait:

Vidén homini sarcinatos consequi?
Atque vt opinor,digitos in manibus non habent:
Quia incedunt cum annulatis auribus.

Plinius libr.12 scribit, vnionem in rubri maris profundo, smaragdum in ima tellure quæri. tum subiungit: Ad hoc excogitata sunt

aurium

aurium vulnera. nimirum quoniam parum est collo crinibúsque gestari, nisi infoderentur etiam corpori.

Et Cleopatra duos illos vniones, omniũ qui essent nobilissimos, in auribus gestauit. Idem Plinius libro vndecimo sic scriptum reliquit: Nec alia in parte fœminis maius impendium, margaritis dependentibus.

In Oriente & viris aurum gestare in auribus, decus existimatur.

Iuno apud Homerum, laminam in auriculis gestat.

Libertinus apud Iuuenalem:

Molles quod in aure fenestræ Arguerint.

Lybe quodam dicente Ciceroni, se non audire illum: Atqui, ait Cicero aures imperforatas non habes.

Nullum hebetiorem sensum auditu in nobis esse, auditum verò acerrimum, quum Aegyptij significare volebãt, leporem pingebant: est enim lepus acerrimi auditus.

BONOS PAVCOS ESSE, ET de bonis. XVIII.

PIttacus Mitylenæus dicere solebat: perdifficilius nihil quàm bonum esse. Dicentéque Phocaico, quærendum esse studiosum ac frugi virum: Etiam, inquit, si valde quæsieris, non inuenies. vide exemplum L. Fimbriæ, in capite de Iudiciis.

Protagoras apud Platonem ait, Simonidem solitum dicere, difficile esse virum verè bonum fieri manibus, pedibúsque, & mente tetragonum id est absque vituperatione fabricatum.

Diogenes Cynicus rogatus, vbi nam Græciæ viros bonos vidisset: Viros quidem, ait, nusquam: sed Lacedæmone pueros.

Vir optimus semel à condito æuo iudicatus est Scipio Nasica, à iurato senatu: sicut & Socrates ab Apolline.

Vir bonus aliàs prauus aliàs bonus est, vt inquit Plato in Protagora.

Pedaretus Laconicus, vir vsquequaque bonus, quum in numerum trecentorũ non esset electus, abibat fronte serena, veluti gestiens quòd ipso meliores trecentos haberet ciuitas.

Phocionis altera vxor fuit morum bonorum, virtutisq; amans: & quum mulier quædam nobilis Ionica Athenas profecta, cum illa amicitiam copulasset, aureóque illi torques, variisque gemmis distincta monilia mundum sui corporis ostentasset, tum illa, Meum verò ornamentum (ait) est Phocion.

Apollonius Tyaneus philosophus Pythagoreus, vir quidem apprimè bonus, quum in iudicium ad Domitianum apud quem accusatus fuerat, adduceretur, nec esset facilis a viro crudeli elapsus, tantum virtuti confidebat, vt quum a ductore quæsiuisset quò duceretur, dicente illo, ad iudicium: Contra quem, inquit, dicturus?

Socrates

Socrates dicebat, ad gloriam compendiaria via peruenire eos, qui tales essent, quales vellent videri.

Idem apud Platonem 7. lib. ait viros bonos similes Diis esse.

Bonus vir is est, inquit Seneca, qui eò perduxit affectum animi, vt non tantum peccare non velit, sed etiam non possit.

Cicero in quadam epistola ad Qu. fratrem sic scripsit: Nã vt quisq; est vir optimus, ita difficillimè alios esse improbos suspicatur.

Charides Phocionis gener, quum Pithonicæ Harpali filiæ curã, bonorúmq; tutelam suscepisset, eáque dilapidasset, Harpalíceæ pecuniæ reus accersitus, Phocionis soceri auxilium implorauit. Ille verò: Ego, inquit, te Phocioni honestis tantum in rebus generum mihi asciui.

Plato de Legibus, tria esse quæ ab hominibus bona reputantur, ait: bona animi, corporis & pecuniæ.

DE BIBENDI RATIONE, ATQVE vini immodica ingurgitatione, ex qua ebrietas oritur. XVI.

LVcius Cotta, homo vini appetentissimus, quum censor esset, atque Ciceroni sitienti in foro ad bibendum aqua esset oblata, vocatis amicis Cicero: Circumtegite me, inquit, ne si cẽsor sciat me aquam potare, senatu amoueat.

Demetrius quum multos dies dedisset operã potui, atque deinde coram Antigono quereretur se molesto rheumate correptum esse, vrbanè Antigonus: Audiui, inquit: sed illud quæso Thasium an Chium rheuma fuit?

Diogenes Cynicus quum domui cuiusdam luxurioſi inscriptum legeret, Venalis: Sciebam, inquit, quia vini crapula obsessa facilè domum euomeres.

Tyberius Claudius bibendi rationem adeò excesit, vt per iocum pro C. Tyberio Claudio Nerone, Biberius Caldius Mero sit nuncupatus: integróque aliquando biberit biduo, noctéque cum Pomponio Flacco & L. Pisone: ex Tranquil. Plinius verò ait, potationem cõtinuatam biduo duabúsque noctibus, vt infrà dicetur.

Bonosus, qui imperator postea factus est, neque diu tamen imperauit, tantum bibebat, quantũ hominum nemo. itaque hoc dicebat vrbanè Aurelianus: Non vt viuat natus est, sed vt bibat. Is superatus à Probo imperatore, laqueo vitam finiuit. obiectúsque inde iocus: Amphoram pendère, non hominem.

Alcibiades bibendi palmam apud Græcos meruit. apud nos cognomen etiam Nouellius Mediolanensis habuit Tricongij: qui ad consulatum vsque à prætura honoribus gestis, tribus congiis epotis vno impetu: spectante miraculi gratia Tyberio principe Tricongius dici cœpit. Tricongij rata gloria hæc fuit: non labasse sermone, nec leuatum vomitione, non altera corporis parte titubasse: dum biberet matuti-

d nas

nas obiisse vigilias:plurimum hausisse vno potu:plurimum aliis minoribus addidisse:optima fide non respirasse in hauriendo,neque expuisse,nihilque ad elidendum in pauimento reliquisse:diligenti scito legum contra bibendi fallacias.

Ciceronem M. Tullij filium binos congios simul haurire solitum, Tergilla obiicit.M.q; Agrippæ à Marcido & temulēto scyphum impactum.Sed nimirum hanc gloriam auferre Cicero voluit interfectori patris sui,M.Antonio.Is enim ante eum audisimè apprehenderat hanc palmam:edito etiā volumine,de sua ebrietate,Ex Plin.lib. 15.

Lucius Piso, quòd biduo duabúsque noctibus potationem continuasset,à Tyberio curator vrbis creatus est.Is ebrius factus,ad sextam diei horam dormiebat,ait Seneca in Epistō.

Syracusis quendam repertum esse scribit Plin.lib.x,tamdiu bibere solitum,donec ab eo cooperta in terra fœtum ederent oua,

Cato quoque iunior hoc vitio notatus fuit:hunc enim quum Memmius quidam totas noctes ebrium esse dixisset, respondit Cicero: At non illud addis,totos dies ad aleam ludere.

Plato fomitem incitamentúmq; ingenij,vini abundantiā dicebat.

Pacuuius Syriam vsu suo fecit, cum vino in cubiculum ferebatur à cœna, vt inter plausus exoletorum hoc ad symphoniam caneretur,

* Forte inebriās, *βεβιωται βεβιωται*, id est,vixi,nullo non die se * efferens.

Cossus relictus à Tyberio vrbis præfectus,sæpe ebrius,somnóque inexcitabili oppressus à senatu tollebatur.

Mulier quædam à Philippo Macedonum rege immerenter ob temulentiam damnata,ebrietatem Philippo obiiciens:Prouocarem(inquit)ad Philippum,sed sobrium.

Dionysius minor ebrius in nonagesimum vsque diem perseverabat:ob eámque rem cæcutientibus oculis fuisse dicitur.

Heraclides quidam Pyctes neminem in potando parem inuenit.

Alexander Macedo bibendi certamen apud Persas instituit:vbi bibacissimus omnium Promachus quatuor ingurgitans cantharos palmam meruit:vniúsque talenti coronam accepit,tribus tantum postea superstes diebus:craterémque vnum & quadraginta potando spiritum eructauit. Medicus verò Tyberij filius omnes superabat, adhibitis prius sex aut quinque amygdalis amaris.

Idem Alexander vini appetentissimus,in conuiuio siue inuidia laudis paternæ,siue ob ebrietatem,Clytum amicissimum cōfodit:postea verò quàm animus quieuit,in locúmque iræ successit æstimatio,pigere cœpit: amicúmque & senem occidisse dolebat.Eodémque furore mortem sibi consciscere voluit: feciséque,nisi amici interuenissent, quum prius mortuum amplexus esset,vulneráque tractasset: vixque etiam ad cibos reuocatus est.

Mithridates,quocum 40.annos à Romanis pugnatum est:& vinolentia notatus,& gulositate est.

Sparamizas Metrodati,qui ob ebrietatem Cyri mortem aperuerat:Rectè,inquit,se habet illud quod crebrò vsurpatum à Græcis,vinum & veritatem esse.

Plin. Vulgóque veritas iam attributa vino est.

Horatius, Quid non ebrietas designat?operta recludit,&c.

Vlysses apud Homerum in Odyssea, humæo subulco ait:vinum enim inuitat blandum:Quod vel prudentissimum ad loquendum,ridendúmque atque etiam ad saltandum impellat,ac tandem ad enunciandum secretum.

Androcydes sapientia clarus,ad Alexandrum scripsit,intemperantiam eius cohibens:Vinum potaturus rex,memento te habere sanguinem terræ.Cicuta homini venenum,cicuta vinum.

Apud Lacedæmonios non erant compotationes.ita enim Minos sanxit:Ne inuicem compotetis ad ebrietatem.ex Socrate apud Plat.

Astyages apud Xenophontem in Pædia, quum rogasset Cyrum, quamobrem vinum non absorbuerit:Quòd metueram,inquit,medius fidius ne in cratere mixta venena forent:etenim quum tu in natalitiis amicos adhibuisti,perspicuè didici eum vobis venena infudisse.Et quo pacto,inquit ille,ò fili hoc dignouisti?Quòd videbam(inquit)vos neq; corporis esse neque mentis compotes.

Dinocrates in conuiuio temulentus muliebri saltarat habitu,postera die à T. Quintio petit subsidium:quod animo versarat,Messanam ad defectionem ab Achæorum imperio pellicere,tum Titus:De iis viderimus,tu verò miror,inquit,si huiusmodi res moliri audeas:quum vino saltare & cantare studeas.

Spartiatæ veteres in festorum celebritatibus consueuere agrestes homines qui dicebantur Elotæ,quantum poterant maximè ad potum erapulámque compellere,eósque deinde mero ingurgitatos in conuiuia iuuenum adhibere:vt illi ebriorum turpitudinē aspicientes,ebrietatem veluti rem deformem abhorrescerent.

Anacharsis interrogatus,quo pacto quis abstemius fieret:Si turpes (inquit)ebriosorum motus sibi ante oculos ponat. Idem dicebat vitem vuas treis ferre,primam voluptatis,secundam ebrietatis,tertiā mœroris.

Democritus quaternos cyathos potandos verabat, propter numerum quaternarium inauspicatum.

Heliogabalus in ebrios amicos nocte plerúmque leones & leopardos & vrsos immittebat exarmatos:vt expergefacti,in eodem cubiculo feras inuenirent,ex quo plerique exanimati,fuisse feruntur.

Augustus adeò parcus vini fuit,vt nunquam amplius quàm ter in cœna biberet:immo in Oratione quam habuit de compescenda vinolentia ait:ab Agrippa genero prouisum,perductis plurimis aquis,ne homines sitirent.Item Iulius Cæsar.

Apud veteres duobus vini cyathis tres aquæ miscebantur. Maronei

verò vini vni parti viginti aquæ addebantur, celebratúmque est ab Homero.

Fœminis apud Romanus vino interdictũ est, Itaque Egnatius Mecennius vxorem, quòd vinum bibisset è dolio, confecit: à Romulóque absolutus est, item matrona quædam, quòd loculos in quibus erãt claues cellæ vinariæ, resignauisset, à suis inedia mori coacta est.

Cn. Domitius iudex pronunciauit, mulierem quæ visa est plus vini bibisse quàm valetudinis causa postulat, viro insciente, dote mulctari.

C. Censius vinum Chium domum suam illatum dicebat tunc primùm, quum sibi cardiaco medicus dedisset.

L. Lucullus puer apud patrem lautum conuiuium nunquam vidit, in quo plus semel vinum Græcum daretur.

Hecuba quum Hectori filio apud Homerum Iliad. 6. dixisset, Recreabit te, mihi crede, potus, hominis nanque defatigati ac defecti suaui vino & animus excitatur, & robur exurgit, huic respondit Hector: Noli vinum veneranda parens offerre, ne me potius enerues, animúsque mihi robúrque elanguescat.

Plutarchus in Lycurgo ait, apud Spartam infantes vino ablui à mulieribus, periculum de illis facientibus. Ferunt enim comitiali morbo infantes, aut alij ægritudini obnoxios, admoto mero debilitari ac resolui. Qui autem essent firmæ valetudinis, magis & acuere & firmare habitum.

De vini vsu in corporis partibus sic iudicatur:

Vino modico neruos iuuari, copiosiore lædi: oculos atq; stomachum modico recreari, appetentiam ciborum vino incitari: tristitiæ curam hebetari: vrinam algorémque expelli: somnum conciliari: vomitiones sisti.

Asclepiades vtilitatem vini æquari vel deorum potentiæ posse pronunciauit.

Meracis potionibus 20. diebus ante canis ortum, totidémq; posteà iubet vti Hesiodus.

Diodo. lib. 5. ait: Quum purum in cœnis vinum datur, omnes deum sospitem optare bibenti: quum verò post cœnã aqua mixtum sumitur, Iouem vocari saluatorem: Nam puri vini potus ad insaniam redigit: aqua mixtus voluptatem lætitiámque affert, insaniámque prohibet.

Athenienſis hospes apud Platonem de Legibus, ait pueris vsque ad 18. annos vinum interdici oportere: deinde moderatè vtantur concedere vsque ad 31. annum: à quadragesimo verò conuiuio vinóque indulgere, quo rejuueneſcere videantur: & mœstitiæ capiat obliuio.

Idem ait Carthaginenſium neminem in castris vinum bibere in omni militiæ tempore, in vrbe seruos seruásque interdici: atque magistratus omnes toto magistratus tempore.

Lycurgus Thrax quum aquam vino miscuisset, à Baccho in mare præcipitatus est.

Cleomenes

Cleomenes Spartanus Scythis conuersatus: eorúmque vinolẽtiam imitatus, in insaniam versus est: Scythæ enim vinosissimi sunt.

Persæ de rebus magnis inter vinum consultant: putantes firmiores fore res, quæ inter vina, quàm quæ in sobrietate decernerentur.

Xenophon in Agesilao ait: Persarum reges orbem circuire ad suaues potus inueniendos.

Romulum ad cœnam vocatum non bibisse nimium ferunt: quia postridie negocium haberet, ei quum dictum esset: Si istuc omnes homines faciant, vinum vilius sit, respondit, Immo verò carius, si quantum quisque volet bibat: ego enim quantum volui bibi.

Leontychidas primus Spartiata, rogatus quare parum bibant Spartiatæ: Ne, inquit, pro nobis alij consultent.

Cyneas Pyrrhi legatus, miratus vitium altitudinem Aritiæ, facetè ferunt lusisse in austeriorem gustum vini hoc dicto: Meritò matrem eius pendere in tam alta cruce.

Mezentium Hetruriæ regem, auxilium Rutulis Turnóque contra Latinos tulisse vini mercede, author est M. Varro.

Senonas Gallos vino & caricis ab Italia allatis ad expeditionem Italicam allectos constat.

Iulium Viatorem equitem Rom. è Vocontiorum gente fœderata, in pupillaribus annis, aquæ subter cutem fusæ morbo potu prohibitum à medicis, naturam fecisse consuetudine relatum est: atque in senecta caruisse potu.

Concretis qui sunt sine medulla ossibus, non bibunt.

Apud Sarmatas belua est quam colon vocant, magnitudine inter ceruum & arietem, naribus potãs trahit ad caput aquam, quam postea complures dies ad vsum seruat.

Bibebatur olim in talorũ etiam iactu, vnde Horatius, nec regna vini sortiere talis, & Plinius: Alius quantũ alea quæsierit, tantum bibat.

Bibaces, Thericlei amici dicuntur: Thericles enim poculũ inuenit.

Potationem à dextra incipere, ait Antinous apud Homerum: & Vinum nigrum in Odyss. celebratissimum, item vinum heroicis temporibus in vtribus ferebatur, authore eodem.

L. Opimio consule omnibus vini generibus bonitas fuit.

Aethiopes qui extra Arabicum sinum sunt, nunquam bibunt: nullaque animi perturbatione anguntur, nullóque aut aspectu aut sermone nauigantium mouentur: sed aspicientes immobiles stant, percussique ense non effugiunt. De iis infra in capite de Patientia.

Cassius, inquit Seneca lib. 12. Epist. tota vita aquam bibit.

Apud Indos siqua mulier ebrium regem occiderit, munus habet, vt cum illius successore iungatur.

Iarchas philosophorum Indorum præstantissimus, apud Philostratum ait: si oua noctuæ mediocriter elixata comedenda dentur, vini odium fieri.

DE BENEFICIIS ET GRATITUDINE. XXI.

BEneficiis non homines solum, sed feras etiam deuinciri, exemplis sequentibus constabit.

Fama est, celebrem fuisse quempiam in vadimoniis faciendis: qui cùm in venatores, qui lupum irretitum haberent, incidisset, illis per iocum rogantibus, vellétne pro lupo vadem se constituere, vt illata ab eo damna persolueret, sic è retibus se belluam dimissuros: fideiusit. Ac emissum deinde lupum, permagnum equarum armentum agitantem, illæsum ad fideiussoris stabulũ adduxisse.

Elpis Samius os à leonis ore detraxit. itaque tradunt, quamdiu in littore ad quod nauis appulerat, stetit, retulisse gratiam illi leonem venatus aggerando: exemplum est Androdi in cap. de Miraculis.

Philinis philosophi pater in solitudine, catulos pãtheræ in foueam delapsos quum extulisset, panthera cum iis prosequens illum vsque extra solitudines, deduxit læta ac gestiens: vt facilè appareret gratiam referre.

Thoas admodum puer Draconem domi aluerat. sed deinde pauens serpentis naturam & magnitudinem: in solitudines tulerat: in quibus circumuento latronum insidiis, agnitóque voce, subuenit.

Est percelebris apud Sestον vrbem gloria aquilæ: quam à virgine educatam retulisse gratiam ferunt, aues primo, deinde venatus aggerentem: defuncta postremò, in rogum accensum eius iniecisse sese, & cum ipsa conflagrasse.

Aspis, ait Philarchus, ad mensam Aegyptij cuiusdam alebatur assiduè: ea enixa est catulos, quorum ab vno hospitis filius interemptus est. ea reuersa ad consuetudinem cibi, vt culpam intellexit, necem catulo intulit: nec postea in tectum reuersa est. vide exemplum Ithacensis in capite de Pecuniis.

Laudantibus quibusdam coram Diogene, virum qui Diogeni erogauerat: vrbanè, Me autem, ait Diogenes, non laudatis, qui accipere merui?

Syloson Dario nondum regi amiculum dono dederat sibi perchara rum: Nacto autem imperium Dario, rem accedens expostuit: libentérque ab illo exceptus est: itaque oblatum insuper illi, vt siquid vellet, confidens expetereret. is petiit, vt Samum sibi restituendam, quæ fratris Polycratis fuerat, curaret, atque impetrauit.

Diogenes Cynicus rogatus, cur Cynicus, id est canis vocaretur? Quòd eis inquit, blandior qui dant: in eos autem qui non dant, oblatro: malos verò mordeo.

Simonides quum ignotum quendam proiectum mortuum reperisset, eúmque humasset, haberétq; in animo nauem cõscendere: moneri in somnis visus est, ne id faceret, ab eo quem sepultura affecerat. Si enim nauigaret, naufragio periturum: itaque Simonidẽ rediisse, & periisse

periisse exteros qui nauigassent, scribunt.

Aristomenes Messenius victis Lacedæmoniis, 15. virgines abduxit: quas quum comites vellent violare, seruauit, occisis etiam aliquibus è comitibus. sed redemptæ à cognatis puellæ, quum viderent Aristomenem cædis reum fieri: tandiu ad patriam non sunt reuersæ, quandiu iudicum aduolutæ genibus defensorem pudicitiæ suum absolutum cernerent.

L. Cinna quum in Augustum conspirasset, supérque vindicta Augustus decerneret, eius vxor Iulia Augustum monuit, vt non animaduerteret in Cinnam vindicta, sed beneficiis potius illum ad se deuinciret: vocatóque Cinnæ quum insidias ab eo constructas inuenisse Augustus diceret, præteritis rebus omnibus omissis, rogauit Cinnam, vt mallet in amicitia quàm in huiusmodi machinationibus perstare: vltróque illi non audenti consulatum petere, obtulit. ita amicissimum deinceps ac fidelissimum habuit. ex Seneca, de Clementia. Idem in Prouerbiis, Beneficium accipere libertatem vendere est.

Archelaus rex Socratem vt ad se veniret, rogauit. sed dixisse Socrates traditur: Nolle se ad eum venire, à quo acciperet beneficia: quod reddere illi paria non posset.

Cæsaris veteranus causam ob viam vicinalem quum diceret coram Cæsare: Meministi, inquit, imperator talum te extorsisse circa Sucronem? dicente Cæsare, meminisse: Meministi, inquit, sub quadam arbore minimum vmbræ spargente, quũ velles residere feruentissimo sole, quendam ex commilitonibus penulam suam substrauisse? Et quid ni, inquit, meminissem quum siti confecto aquam in galea homo strenuus mihi attulisset? Potes, inquit, imperator agnoscere illũ hominem aut galeam? Tu vtique, ait Cæsar, non ille es: Merito, inquit, Cæsar me non agnoscis. Nam quum hoc factum est, integer eram: postea ad Mundam oculus mihi effossus est. His auditis, vetuit illi negocium Cæsar exhiberi: ac agellos quibus vicinalis via causa litis fuerat, miliți donauit.

Socrati quum multi multa pro facultatibus offerrẽt, Aeschines pauper auditor: Nihil, inquit, dignum te quod dare tibi possim inuenio: itaque dono tibi quod vnum habeo, meipsum. Hoc munus rogo, quamlecunque est, boni consulas: cogitésque, alios quum multum tibi darent, plus sibi reliquisse. Cui Socrates, quid ni? Tu, inquit, mihi magnum munus dederis: nisi fortè paruo extimas.

Beneficiorum examẽ ex animo exq; dantis iudicio trutinari. Cicero & Seneca ostendunt. Proinde Chrysippus Pansienus dicebat, quorundam se iudicium malle quàm beneficium: & quorundam beneficium quàm iudicium. malo, dicebat, diui Augusti iudicium, malo Claudij beneficium.

Fabius Verrucosus beneficium ab homine duro asperè datum, paremlapidosum vocabat.

Seneca de beneficiis, Nil carius emitur, inquit, quàm quod multis precibus comparatur. Quare verisimum extima, quod ille Comicus dixit: Quid tu non intelligis tantum gratiæ demere, quantum moræ adiicis? Martialis:

Munera qui tibi dat locupleti Gauri, seníque:
Si sapis & sentis, hic tibi ait, Morere.

Archesilaus latere omne studio beneficium volebat. aliquandóque ad Cteſibium ægrotum ingressus, videns inopia rerum illum laborare, plenum nummis sacculum clàm eius puluino subiecit.

Aristoteles insimulatus quod ìmprobo viro opem tulisset: Non, inquit, mores miseratus sum, sed hominem. Et aliàs insimulatus, quòd stipem petenti non bono animo dedisset, Non homini, inquit, dedi, sed humanitati.

Ennius: Benefacta male collocata, malefacta arbitror, ait Cicero libro 3. Off. Philippus in Oratione contra Lepidum: Nam vbi malos, ait, præmia sequuntur, haud facilè quisquam gratuitò bonus est.

Strabo ait, mortales maximè deos imitari, quum benefici sunt: vnde prouerbium, homo homini Deus. & Seneca lib. de Moribus: Quid est dare beneficium? deum imitari:

Beneficij accepti nunquam oportet obliuiſci, dati protinus: ait Seneca lib. de Moribus.

Simonides apud Xenophontem ait Hieroni: Succurrat tibi quæso, quòd nihil vilius emitur, quàm quod præmio comparatur.

Vespasianus monentibus amicis, vt à Metio Pompusiano caueret, quod vulgo crederetur genesim habere imperatoriam: consulem illum fecit, spondens quandoque beneficij memorem futurum.

Darij regis mater, amisso filio, à fastigio tantæ maiestatis in captiuitatem redacta, indulgentiæ victoris Alexandri adeò debebat, vt audita Alexandri morte, sibiipsi mortem conscíuerit.

DE BASIATIONIBVS. XXII.

Festiuum Valerij Martialis epigramma in Linum:

Bruma est, & riget horridus december:
Audes tu tamen osculo niuali
Omnes obuios hinc & hinc tenere,
Et totam Line basiare Romam.
Quid possis grauiúsque seriúsque
Percussus facere, atque verberatus?
Hoc me frigore basiet nec vxor,
Blandis filia nec rudis labellis.
Sed tu dulcior elegantiórque,
Cuius liuida naribus caninis
Dependet glacies, rigétque barba,
Qualem forcipibus metit supinis

Tonsor Cyniphio cilix marito:
Centum occurrere malo cunniligis,
Et gallum timeo minus recentem.
Quare si tibi sensus est, pudórque,
Hybernas Line basiationes
In mensem rogo differas Aprilem.

Oscula venientibus dari cœpta videntur, quum Romæ sancitum esset ne mulieres vinum biberent: tum enim veniẽtes viri propinquique mulieres osculabantur, an temetum olerent, ait Plin. Plutarch. in Problematis alias affert rationes. & in Romulo ait: ex mulieribus Troianis, quæ quum nauem incendissent, placandorum gratia virorum in frontibus eos deosculatæ essent, natum esse, vt cognati iungerent oscula.

Tyberius imperator quotidiana oscula prohibuit edicto. Cato ait: (id quod & Plin. qui ab eo mutuatur) Vino enim fuerat mulieribus interdictum, vt dictum est. vnde arbitror factum, vt neque Cereri, neq; Bonæ deæ vino sacrificaretur: licet Macrobius aliter dicat.

Apud Persas peculiare erat, osculum dare iis quos volebant honorare. Numidæ verò nulli mortalium osculum ferebant.

Demetrius quum Lamiam meretricem deperiret, aliquando reuersus domum, Antigonum patrem arctissimis basiis osculatus est. Antigonus igitur filij oscula taxans: Lamiam, inquit, ô fili, deosculari videris.

Nauficae Homerica Vlyssem monet, vt ad matris genua procumbens, manus deosculetur.

Dextræ, ait Plin. etiam religionẽ esse, quæ osculis auersa appetitur.

Catoni finito prouinciæ tempore milites in itinere vestes sternebant, manúsque deosculabantur: quod non nisi imperatoribus, ídque perpaucis dabatur, ait Plutar.

L. DOMITII BRVSONII Lucani Facetiarum Exemplorúmque Liber II. Ad Mecœnatem.

DE CONSTANTIA ET FORTITVDINE in rebus agendis. I.

Absoluto libro primo, Mecœnas, ad secundum transiturus, principium à Constantia auspicabor: qua nihil est magno viro aptius, nihil præstantius: & qua tu tantum polles, vt nullis fortunę irascentis ictibus, nullis rursus arridentis successibus agiteris, quin tui semper sis similis. Taceo munera, magistratus, dignitates, pro quibus homines inter se digladiantur, quàm constan-

ti animo abieceris, ne fidei constantiæque tuæ tantillum decesses. Res est notissima, plurimisque poetarum decantata poëmatibus, à nobisque non intacta.

Philoxenus, poëta, quum iunioris Dionysi, tyranni poëmata, vtpote indocta stomacharetur, in lapidicinas detrusus est. sed inde amicorum precibus reuocatus, vbi demum Dionysium sua carmina recitantem audiuit, surrexit, & rogatus à Dionysio quid ita fecisset? respondit, satius suauiúsque esse in lapidicinis vitam agere, quàm eius audire poëmata. Atque huc allusit Horat. in Carm. vbi fortè virum his versibus scitè descripsit:

Iustum & tenacem propositi virum,
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus instantis tyranni,
Mente quatit solida: neque auster,
Dux inquietus Adriæ:
Nec fulminantis magna manus Iouis:
Si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ.

Cæterum Aristophanes in cõmentario Pluti ait, Philoxenum ideo in vincula à Dionysio coniectum, quòd Galatheam illius pellicem verberauerit: eúmque scripsisse Polyphemum Galatheam arsisse quoniam Dionysius esset oculis magnis, acie verò obtusa ob ebrietatem, vt anteà dictum est.

Lacedæmones vnum legatum ad Demetrium miserant regẽ: quem stomachato tyranno, ac vociferante, Vnum ad me Lacedæmonij legatum? nihil exturbatum respondisse ferunt: Vnum ad vnum.

Asdrubalem barbarus quidam ob iram palàm interfecti ab eo domini obtruncauit: comprehensúsque à circũstantibus, haud alio quã si euasisset, vultu fuit. Itaque tormentis quum laceraretur, eo fuit habitus oris, vt superante lætitia dolores, ridentis etiam speciem præbuerit. ex Liuio, lib. primo, Dec. tertiæ. Hunc fuisse Hispanũ, ait Iustinus lib. 44.

Agesilaus, hortante quodam ac dicente, vt sibi propter incertam fortunam parceret: At ego, inquit, meipsum sic assuefacio, vt in nulla mutatione quæram mutationem.

Manlius, quum oblatum à Quiritibus consulatum aduersæ oculorum valetudinis excusatione denegaret, instantibus cunctis: Alium, inquit, Quirites quærite, ad quem hunc honorem transferatis. nam si me gerere eũ coegeritis, nec ego mores vestros ferre, nec vos meum imperium perpeti poteritis.

Quum ex Lycurgi legibus furta permitterentur, solúsque qui deprehenderetur pœnas negligentiæ daret: puer quidam vulpeculam furatus aduenientibus qui amiserant ad quærendum, vestibus occuluit. Feram verò sæuientem, ac pueri ipsius latus ad intestina vsque lacerantem, tantisper tollerauit, dum quærentes abirent, reprehensúsque à pueris

pueris quibusdam, dicentibus melius fuisse manifestare vulpeculam, quàm vsque ad mortem occulere: Minimè verò, inquit: sed satius est immori doloribus, quàm in furto deprehendi.

Lysimachus Macedo quum mortem Theodoro minitatus esset, ac Theodorus vim cantharidis illum habere dixisset: cruci suffigere minatum irrisit. de quo Cicero lib. 3 Tuscula. Quid Cyreneum, inquit, Theodorum, philosophum non ignobilem, nònne miramur? cui quum Lysimachus rerum potitus crucem minitaretur, Istis quæso, inquit, ista horribilia minitare, purpuratis tuis. Theodori quidem nihil, interest humine an sublimè putrescat.

Zeno quum in Clearchum tyrannum conspirasset, compertus, comprænsus, ac tortus dixit, omneis tyranni amicos in illum coniurasse. deinde quum diceret, se quædam ad aurem loqui velle: eam mordicus apprehensam non ante dimisit, quàm dentibus perforaret: demum præcisam linguam in ora tyranni conspuit. ciues autem facto impetu in tyrannum, lapidibus illum obruerunt. Valerius ait Anaxarchum etiam expuisse linguam in faciem Nicocreontis Cypriorum tyranni. item Zeno alius Eleates, omneis cruciatus à Phalari constanter tulit, infimulatis tyranni amicis.

Brutus Cæsaris dictatoris occisor, vltimum prælium initurus: quum à quibusdam dissuaderetur: Fidenter, inquit, descendo. hodie enim aut rectè erit, aut nihil curabo.

Aristides quum vnam è filiabus suis Dionysio superiori matrimonio copulasse indoleret, dixissétque se potius velle mortem filiæ imprecari, quàm à tyranno detineri: re intellecta, Dionysius illum morti destinat. sed interrogatus ab illo, numde filiæ collocatione, quemad modum prius, ita nunc sentiat? respondit rerum gestarum se mœstitia affici, dictorum autem nulla pœnitentia duci.

Agis à * Leonida in carcerem coniectus quum multa in illum conuitia iactasset, rogatúsque num pœniteret rerum actarum, Non pœnitere respondit. * ab Ephoro, legendum ex Plutarcho.

Decius Brutus, M. Bruti patruelis, quum aduersus Antonium in Hispaniam profectus totam Lusitaniam subegisset, excepta Cynania vrbe, quæ pertinaciter arma retinebat, redemptionem tentauit, sed ciues propemodum omnes vno ore Bruti legatis responderunt: sibi à patribus ferrum, quo vrbem tuerentur, non aurum, quo libertatem ab imperatore auaro emerent, relictum.

Pelopidas ab Alexandro Phæreo captus, regi nuntiauit, absurdum esse miseros ciues (Phæreos intelligebat) insontes occidi quotidie, sibi autem parci: quem si seruetur, cognoscat vlturum. admiratus Alexander eius animi magnitudinem, loquendique licentiam: Quidnam, inquit, mortem accelerat Pelopidas? tu autem diis inuisus, inquit ille, per quam celeriter optes.

Thebe Alexandri Phærei vxor, quum ad visendum Pelopidam, qui

ab

ab Alexandro in vinculis tenebatur, descendisset ac dixisset Pelopidę, Miseret me tuæ vxoris: & me, respondit Pelopidas, tui: quod libera quæ sis, Alexandrum feras.

Agis Spartanus, de quo suprà, in carcerem qui Dechas dicebatur, in quo morti addictos strangulari fuit consuetudo, à Leonida coniectus: quum lictorem plorantem & circa opus titubantem animaduertisset: Omitte pro me has lachrymas amice, inquit, fundere: sic enim iniustè contráque ciuitatis leges moriēs, longe melior sum, quàm qui nuper morte damnarunt, atque hæc dicens, vltro collum laqueo innectendum præbuit.

Pomponius miles Romanus, captus à Mithridate sub Lucullo imperatore, multis saucius vulneribus, rogatus à Mithridate, si curatus ei foret amicus: Ero, inquit Pomponius, si tu Romanis amicus fueris: sin autem inimicus, me quoque inimicum habebis.

Brutus victus ab Antonio. Octauióque, quum mortem sibi conscisscere destinasset, multíq; vt fugeret suaderent: surgens, Nempe, inquit, fugiendum est manibus non pedibus.

Phocione ab Athenienſibus damnato, quum venenum alij antè sumpsissent, atq; ob id defecisset: carnifexq; negasset se aliud daturum, nisi 12. prius drachmas acciperet: tum Phocion ne morti mora fieret, Quando quidem, inquit, ô amici nisi empta nece Athenis emori non licet, huic quæso precium date.

Rubrius Flauius tribunus, quum Neronis iussu vrgeretur ad confessionem, quibus causis ad obliuionem sacramēti processisset: O deram te inquit, nec quisquam tibi fidelior militum fuit, dum amari meruisti: odisse cœpi, postquàm parricida matris & vxoris, auriga, histrio, & incendiarius extitisti. & quum Veianius Niger (nam huic mandatum fuerat de Rubrij morte) scrobem in proximo agro effodi iussisset, circunstantibus militibus increpans, tanquam scrobem humilem & angustam: Ne hæc quidem, inquit, ex disciplina. idémque admonitus fortiter prætendere ceruicem, Vtinam, ait, tu tam fortiter ferias.

Theramenes ab Ephoris morti destinatus, ibat ridens. roganti verò cuidam, an Spartæ iura cōtemneret? Minime, inquit. sed lætatus sum, quia me oportet hanc exoluere mulctam, quam neq; à quopiam petij, nec mutuo accepi.

Antipatro petente à Lacedemoniis obsides quinquaginta, Etheocles Ephorus se dixit pueros quidem non daturum, ne paterna priuati educatione malis moribus imbuerentur, qua carentes ne ciues quidem essent: sed senes mulierésque duplo, si velit, plures daturum. illi verò grauius, nisi acciperet, minitanti, respōsum est: Si grauiora morte imperites, facilius moriemur.

Iphicratis Leæna nobile scortum, ac lyræ cantu eximia fuit. ea verò famiaris Harmodio & Aristogitoni vsque adeò fuit, vt consilia eorū de tyrannicidio vsq; ad mortem excruciata tyrānis non prodiderit. quamobrem Athenienſes eam in honore volentes habere, ne tamen scortum colere viderentur, animal nominis eius fecere, atque vt intelligeretur causa honoris, in opere linguam addi ab artifice vetuerunt.

Polemon Athenienſis quum eius suram canis morsu discerperet, nō expalluit quidem. tumultúq; in ciuitate excitato percunctatus, quidnam illi obtigisset? immobilis stetit.

De constantia Aethiopum dictum est in Cap. de Bibendi ratione.

Marius quum varicibus, medicum adhibuit, solutúsq; (quod nemini ante Marium contigit) crus alterum secandum præbuit, neq; etiam ingemuit. sed medico volenti alterius cruris varicem secare, curationem ait non esse dignam eo dolore.

Socrates morti destinatus, de cunctis rebus magis quàm de se defendendo cogitare videbatur. quare Hermogenes Hipponici filius, Socratis familiaris: Atqui, ait, par erat ô Socrates: de tua defensione curam habere. Nónne, ait, tibi videor ô Hermogenes, hoc facere, dū quemadmodum vixerim meditor? Aderat etiam Apollodorus quidā Socratis amator, aitque: O Socrates hoc grauissimè fero, quòd te iniustè damnatum video. Socrates verò ait. An tu amicissime Apollodore, malles me iustè quàm iniustè damnatum videre? atq; in risum solutus est ex Xenophontis apologia, apud quem plura de illo. apud Valerium, quæ Apollodoro respondisse ait Xenophon, Xantippæ vxori respondisse legitur, Valerius enim multis in rebus perperam, vt arbitror, à cæteris differt.

Idem Socrates è carcere, quum essent qui permitterent, fugere, noluit. Idem in bello quod ab Athenienſibus ad Potideā gestum est hyeme, quamuis sæua, nudis pedibus incedebat, stabatà crepusculo matutino in altiori cogitatione, eodem innixus vestigio, in meridiem vsq;: perseuerabátque ad primam facem, quòd milites admirati, lectulum apposuere: sed statu nihil immutato, perstitit in cogitatione vsque ad solem orientem is noctem diémque perstabat in intuitu, nihil connuens: ex Platone in Sympoſio.

Eundem Socratem è cœna redeuntem, armati facibus laruatíque iuuenes adorti non terruerunt.

Sulpitius Asper Centurio percunctanti Neroni, cur in cædem suam conspirasset? breuiter respondit, non aliter tot flagitiis tuis subuenire potuissem.

Granius Petronius quæstor designatus, captus vnà cum naue in qua vehebatur, à Scipionis Pompeij soceri militibus, pollicenti incolumitatem Scipioni, constanti animo, Cæsarianos dixit milites non accipere ab aliis, sed præstare solere salutem. quo dicto se pugione confecit.

Aristides qui ob virtutem Iusti cognomētum assequutus est: quum duceretur ad supplicium apud Athenas: quicunque ei occurrebat, oculos in terram deiiciebat, ingemiscebátque, quòd non in hominem iustum, sed tanquam in ipsam iustitiam animaduerteretur. inuentus est tam

est tamen, qui faciem eius inspueret. quo nihilo magis iritatus Aristides, faciem absterst, ac subridens magistratui ait: Amoue istum, ne poste a tam improbè oscitet.

Catilinæ potentia quum Romæ timeretur, Metellúsque tribunus plebis ediceret fauente Cæsare, vt Pompeius cum exercitu ad vrbem vocaretur, Cato intercessit. videbat enim id ad Pompeij potétiãm augendam pertinere. Sed super ea re quum esset postridie decernendum, atque amici domesticique Catonis periculum illi timentes, non cœnarent, vxórq; atque sorores luctu se afflictarent: ipse Cato intrepidus cœnauit. Postridie verò in forum descendit, vidénsq; Castoris tẽplum armatis occupatũ, omneisq; aditus gladiatoribus teneri, ipsúmq; sedentem Metellũ, atque vnà Cæsarẽ: conuersus ad amicos, O timidum, inquit, hominem, qui cõtra vnũ, atq; inermem, tantam multitudinem armauit. atq; his dictis cum collega Thermo solus exceptus est. Inde se medium inter Cæsarem Metellúmq; coniecit, vt mutua illorum colloquia impediret. Vt verò minister legem manu tenens per Catonem prohibitus esset, & ipse Metellus legere cœpisset, Cato librum è manibus extorsit, Metelloque verba pronuncianti, Thermus ori manũ apposuit. Metellus verò statim iussit armatos qui domi erãt, in forum descendere. quo facto, omnis multitudo fugit: Cato solus relictus, lapidibus fustibúsque concidebatur: nisi Murena, qui à Catone aliquando accusatus fuerat, misertus illius, toga protexisset, in Castorísque templum etiam inuitum adduxisset.

Idem Cato in bello ciuili sæpe dicere solebat se, si Cæsar vicerit, moriturum: si Pompeius, exulaturum.

Idem Cato eodem quo repulsus est die, pila lusit in comitio.

Anaxarchus philosophus captus à Nicocreonte Cypri tyranno, in saxum concauum iniectus est, malleisque ferreis cædebatur. Sed pœnæ negligẽs, id tantum ingeminauit: Tunde tunde Anaxarchi vasculum, nam Anaxarchum nil teris. Iubente verò illo, præcidi ipsius linguam: fama est, præcisam mordicus in faciem eius conspuisse.

Theodorus, vnus ex coniuratis contra Hieronymum, Hieronis nepotem, detecta cõiuratione, captus, tortúsque, omneis cõscios eelauit. Postremò omnibus cruciatus tormentis auertit à conscíis in insontes iudicium: Thrasonémque consilij authorem mentitur. qui statim traditur ad supplicium, cum cæteris insontibus: è cõscíis verò nemo, dum torqueretur, latuit aut fugit.

Quum Philippus Persei pater in Aemathia seuiisset, Herodiúmq; Thessalorum principem occidisset: occidit postea generos. éque omni familia duæ mulieres Herodij filiæ relictæ sunt, singulos filios paruos habentes: Theoxena, quæ omniũ nuptias est aspernata: & Archo, quæ Poridi gẽtis longè principi nupsit: pluréq; enixa partus paruis admodum relictis obiit. Theoxena ob nepotum curam & ipsa Poridi nupsit. sed quum audissent Regis edictum de comprehendendis pueris, nauem con-

ẽm conscenderunt, nauigaturi in Eubœam. vento autem aduerso nihil proficientes, prope terram compulsi sunt. missúsque à portus custodibus est lembus, ad capiendos illos armatus. Poris remiges hortatus, precabatur deos, vt opem ferrent. At Theoxena venenum antea paratum diluit, ferrúmq; promit. & posito in conspectu poculo, strictísque gladiis: Mors, inquit, vna vindicta est. Itaque quum alij veneno, alij ferro conciderent, illa virum complexa mortis comitem, sese in mare deiecit.

Cato iunior victo Pompeio, ne in manus Cæsaris deueniret, lecto prius Platonis libello de Anima, gladio incubuit. sed quum domestici accurrerent, atque vnà filius, medicique vulnus alligassent: quasi seipsum increpitans Cato, quòd vulnus parum profundum egisset: gratias etiam agens medicis, quòd vitæ eius prospicerent, quiescere velle se dixit. solus igitur relictus, vulnus manibus rupit, viscera lacerauit, atq; ita extinctus est.

Portia eius Catonis filia, audita Bruti coniugis morte, quum ferrum ablatũ sibi esset, carbones ad calfaciendum ardentes petiit: quos allatos auido hausit ore. præclusóque spiritu occubuit.

C. Mæuius Augusti centurio captus, ad Antoniúmq. perductus, interrogatus quid de eo statui deberet: iugulari me, Inquit, iube: quia non salutis beneficio, nec mortis supplicio adduci possum, vt aut Cęsaris miles desinã, aut tuus esse incipiam.

Fame vrbe laborante, annonáque è Sicilia allata: agitatum est in senatu, quantum plebi daretur. Multi venisse tempus premendæ plebis rati iúsque pristinum reuocandi, & cumprimi Corialanus, Annonam, inquit, veterem volunt: ius pristinum reddant. Concitata plebe in Marti. Coriolanum à tribunis plebis dies etiam illi dicitur. cui quum patres auxilium nõ ferrent, agitur in exilium: ipse verò neque casus suos deflens, neque execrans, neque quicquam aliud faciens conspectus est. domúmque veniens, nihil vxori matríque flentibus pectoráq; tundentibus dixit: prẽterquam quòd æquo animo rem ferant. Ipse ad Volscos profectus, instructis copiis ad Fossas Ciuilias quinq; ab vrbe millia passuum castris positis, agrum Rom. populabatur. Romæ igitur trepidatum, missi legati dein sacerdotes: illísque nihil proficientibus, Veturia mater Volũniáque vxor accedentes, vix à proposito abduxerunt.

Python Rheginus exul, quum ad Dionysium tyrannum cõfugisset, mentémq; tyranni, Rhegij potiundi, per literas Rheginis nunciasset, deprehensus ab illo, machinæ, quæ pro expugnando Rhegio parata erat, alligatur, murísque admouetur: quo machinæ, in qua ciuis de patria bene meritus erat, parceretur. Python verò exclamans ciues hortabatur, vt tela in machinã contorquerent. se enim esse libertatis signũ.

Theramenes in carcerem coniectus, triginta iussu tyrãnorum, venenũ missum vt sitiens ebibit reliquũ sic eiecit, vt resonaret. quo sonitu reddito arridens: Propino, inquit, hoc poculũ Critiæ (is enim in eum

fuerat

fuerat teterrimus)nec multo post & ipse Crisias est damnatus. author Cicero li.1 Tuscu.in Plutar. Apophth.falso Tectamenes legitur.in Nicia enim Theramenem vocat.

Lacedæmonius quidam,cuius ne nomẽ quidem proditum est,mortem tantopere contempsit,vt quum adduceretur dánatus ab Ephoris, essétque vultu hilari atq; læto,dixissétque ei quidam inimicus,cõtemnísne leges Lycurgi? responderit: Ego verò illi maximam gratiam habeo,qui me ea pœna mulctauit,quam sine mutuatione.sinéque versura possum dissoluere. hæc Cicero. sed is Theramenes dictus est, vt supra ex Plutar.

Pompeius è Syria Rhodum veniens, Posidonium quamuis ægrum reuisere voluit: cui data acceptáque salute, quum dixisset Pompeius, se grauiter ferre quòd eum non posset audire. Tu verò, inquit, potes: neque cõmittam vt dolor corporis efficiat, vt tantus vir frustra ad me venerit.Quum verò inter narrandum quasi faces ei doloris admouerentur,fertur dixisse:Nihil agis dolor,quamuis sis molestus,nunquam te tamen esse confitebor malum.

Cn.Cornelius Lentulus in clade Cannensi tribunus militum,quum equum Paulo Aemilio in saxo sedenti,cruoréque oppleto offerret: Tu quidem,ait Paulus,macte virtute Corneli esto:sed caue ne frustra miserando,exiguum tempus è manibus hostium euadendi absumas.

Scipio Pompeij socer quum nauem suam teneri ab hostib. vidisset, ferro se transuerberauit:& quærentibus vbi imperator esset? Imperator bene,inquit,se habet.

Cæsare consulatum assequuto, adiuuantibus Pompeio & Crasso, quum omnia pro libidine gererentur,ac pauci Senatores in curia conuenissent:Considius quidam natu prægrandis,idcirco nõ venisse senatores dixerat,quoniam illius arma militésque pertimescerent.cui Cæsar: Quin tu,inquit, hoc quoq; reformidans domi te non contines? at Considius,senectus me facit intrepidum.

Cato iunior quum puer domum Syllæ aliquando venisset, aspexisséq; multa clarorum virorum capita ad Syllam deferri:Sarpedonem pædagogum rogauit,cur Syllam nemo occideret?ac respondente ipso, quia plus timerent Syllam homines, quàm oderint: Quam ob rem igitur, inquit Cato, mihi gladium non dabas,vt patriam sæuo huius dominatu liberarem?

Idem Cato quum in domo Drusi auunculi,tribuni tunc plebis,educaretur:ad eúmq; Drusum,Latini de ciuitate impetrãda conuenissent: à Q.Popedio Latinorum principe rogatus, vt socios apud auunculum adiuuaret: constanti vultu,non facturum se respondit. Iterum deinde sæpiúsq; interpellatus, in proposito perstitit:tũc Popedius in excelsam ædiũ partem eleuatum abiecturum se eum inde, nisi precibus obtemperaret, minatus est.sed nec hac re Cato puer ab incepto moueri potuit.expressa itaq; illa vox hominum: Gratulemur Latini nobis hunc esse

esse tam paruum,quo senatore ne sperare quidem ciuitatem licuisset. Cæterùm Plutarchus in Catone Pompeium Sylonem,non Popedium vocat:sed mendum in Plutarcho est.

Sylla quum post occupatam Rempub.senatum coegisset,sententiásque rogaret vt Marius hostis Reipub.iudicaretur:nullis audentibus obuiam ire,solus Scæuola sententiam dicere noluit.Quinetiam truculentius minitanti Syllæ:Licet,inquit,mihi agmina militum,quibus curiam circumsedisti,ostentes: nunquam efficies,vt propter exiguum senilémque sanguinem meum,Marium,à quo vrbs & Italia conseruata est,hostem iudicem.

Calanus Indus vnus è Magis sequutus Alexandrum,ægrotans in Perside non admisit medicorum curationem,tanquam pertæsus vitæ, Alexander igitur extrui magno apparatu pyram iussit: quam quum ascendisset Calanus,conspecto exercitu membra posuit:atque accensa pyra,semper immobilis stetit,ex Arriano.Cicerò verò in Tuscul.lib.2. sic retulit:Calanus Indus, indoctus,ac barbarus,in radicibus Caucasi montis sua voluntate viuus exustus est.

Diuus Hieronymus ait Paulum primum heremitam iussu Decij & Valeriani expertum primò ignitas sartagines:mox melle litum sub ardentissimo sole ligatis post tergum manibus,vt muscarum aculeis impeteretur collocatum,omnia constantissimè passum.

Pyrrho Heliensis tanta vlcerum sectionem vstionémque tulit constantia,vt ora ne quidẽ contraxerit.Idẽ suprà de Mario & Polemone.

Saguntini à Pœnis obsessi,omnia perpessi sunt,vt in Romanorum fide perseuerarent: nouémque mensibus fame fessi,dum subsidium Rom.moratur,versa in rabiem fide,immanem in foro excitãt rogum: in quo desuper opes,se,suósque ferro & igne corrumpunt.

Lygus fœmina è municipio,Albintimilio quum ab Othonis militibus,putantibus aurum cum filio abdito abdidisse,rogaretur:vbi nam filium occuluisset?verum ostendens,hìc latére respondit,nec vllis deinde tortoribus,non morte denique,constantiam vocis egregiæ mutauit.

E Iudæis qui in Alexandriam fugerant,omni tormentorum genere excruciatis,nemo Cæsarem dominum vocare voluit,maximè verò puerilis ætas miraculo fuit,nullis pœnis adducta ad vocandum Cæsarem dominum.

Iidem Iudæi à Romanis in Asada obsessi,ne in Romanorum manus peruenirent,omnes sibi mortem consciuerunt.

Asinius Pollio eo die quo filium Herium amisit,cœnasse in conuiuio ad Augustum rescripsit,Eundem etiam intra quartum diem declamasse ferunt.

Horatius Puluillus templum in Capitolio,quod in Tarquiniis Demaratus vouerat Ioui: Tarquinius verò superbus ædificauerat,quum dedicaret: tenenti postem,mors filij nunciata est,audisse se dissimu-

lauit,solenniáque pontificalis carminis verba concepit,gemitu nõ interrumpente precationem,ait Seneca de Consolatione ad Martiam. Plutarchus verò ait dixisse hoc tantum: Cadauer igitur quò vultis proiicite.illúmque de filio rumorem per inuidiam Marium Publicolæ fratrem nunciasse,vt sacrum interrumperet.

Bibulus quum duos filios interemptos audisset,qui toto consulatus sui anno ob Cæsaris collegæ inuidiam domi latuerat, postero die quàm geminum funus numeratum est,processit ad solita in publicum officia.

Caius Iulius Cæsar agens in Britannia, quum audisset Iuliam filiam,Pompeij vxorem,decessisse,intra tertium diem munera imperatoria obiuit.

Caius Caligula amisso & quem genuerat,& quem adoptauerat filio,pro rostris tamen filium laudauit:flentéque Romano populo,non flexit vultum.

Pericles duobus intra quatriduum filiis optimis orbatus,in pristina constantia perstitit,& concionatus est etiam.

Xenophon nunciata maioris filij morte in sacrificiis,coronam deposuit:quum autem accepisset,strenuè pugnantem occisum,coronam resumpsit.

Quintus Max.efferens filium consularem, L. Paulus duobus intra paucos diebus amissis,M. Cato mortuo prætore designato filio,non luxerunt.

Anaxagoras filij morte nunciata,Nihil mihi,inquit, nouum aut inexpectatum nuncias:sciebam enim ex me natum illum,esse mortalem.

Vespasianus imperator ne in metu quidẽ mortisque periculo iocis abstinuit.Nam inter cætera prodigia,quum Mausolcum Cæsarum repentè patuisset,stelláque in cœlo crinita apparuisset,alterum ad Iuliam Caluinam è gente Augusti pertinere dicebat:alterã ad Parthorum regem,qui capillatus esset,primáq; morbi accessione,inquit,purpureus fieri.

Marius quum mille Camertes,qui in bello Cimbrico strenuè pugnassent,ciuitate donasset,quibusdã accusantibus præter legem eum egisse:propter strepitum,inquit,armorum legem non audiuisse.

Alexandro Maced.assistente Diogeni,ac dicente,Ego sum Alexander magnus rex:At ego,inquit ille,sum Diogenes canis,eidem Diogeni ad solem astanti,quum diceret ille,Pete à me quod vis:Noli,inquit,mihi vmbram facere,ex Laertio & Dione de Regno,apud quem de hoc plura.

Aphricano 2.ab hostibus domitis redeunti occurrit Carbo Tyberi in lege Agraria complex,eúmque interrogat quid de Gracchi nece sentiret(quamuis esset Tyberio sororius)Iure,ait, cæsum videri. At murmurante autem plebe;Taceant,inquit,quibus Italia nouerca est.

ortóque

ortóque murmure,Non efficietis,ait,vt eos verear,quos alligatos adduxi,sic Val.Plinius verò,quos sub corona vendidi.

Pyrrhus rogauit Fabricium,vt facta cum Romanis pace,vnà secum esse vellet,primus amicorum ducúmque suorum futurus;ad hæc dicitur Fabricius submissa voce respondisse:At ne hoc quidem tibi,ò Rex,conducit:illi enim qui te nunc admirantur & colunt,si me experiantur,à me potius quàm à te regi optabunt.

Xenocratem philosophum quum Phocion ex inquilinorum ordine ad ciuium numerum redigere vellet: Nunquam,inquit ille,committam,vt eius ciuitatis appeller ciuis,quæ ne talis fieret,omni diligentia legatus elaborauit.

Gelonis principatus quum à Dionysio vetere irrideretur,ipsúmque Gelona Dionysius Gelota,id est Siciliæ risum vocaret,cæteris laudantibus Dionysij dicacitatẽ,Dion grauiter ferens.Tu autem,inquit,Dionysi,quum ob Gelonem fidem habeas,dominaris: cui verò propter te fides habeatur,futurus est nemo.

Cleantes,Sositheo poeta in theatro coram se dicente,

Quos Cleantis insania vastat:eodem vultu habitúque perstitit.

Apollonij Tyanei constantiam Philostratus mirè extollit:intérq; cætera ait,quum in iudicium ad Domitianum duceretur,atque ad fores prætorij quidam dixisset,Te ò Tyanee nudum intrare rex iubet: tunc Apollonius intrepidè ait: Loturíne an dicturi huc accedimus? Tum ille:Non pro vestibus,sed ne aliquid omnino tecum feras scriptum.An etiam,ait Apollonius,ne scutica̅m ad hos cædendos,qui sibi tam stultè persuaserunt?

Dionysius quum iussisset in conuiuio , vt singuli in veste purpurea saltarent:Platóque renuisset dicens,non posse vestem indui fœmineam : Aristippus sumpsit, induítque ,& quum saltare inciperet, promptè audactérque dixit,Et inter bacchanalia pudicus nõ corrumpitur.

Horatius, Omnis Aristippum decuit color.

Heluidius Priscus à Cornelio Tacito & Iuuenale comparatur Catonibus,Brutisque constantia.

Fabritius missus ad Pyrrhum pro captiuis redimendis , ab eo nunquam excussus ad pecuniam amicitiæ iure capiendam : retentus postridie ad visendum elephantum nunquam anteà visum,amotis aulæis sub quibus elephas latitabat,conspectóque supra caput eo qui vocem terribilem trucémque emisit,tranquillè conuersus, lenitérque arridens,inquit: Neque heri aurum,nec me hodie bestia permouit.

Decimus Valerius,quum illi iratus esset P. Clodius,quòd petenti nimium non dedisset,ad Ciceronis exilium alludens:Quid,inquit, mihi facturus es,nisi vt Dyrrachium eam,& redeam?

DE CONVIVIIS ET COMESSATIONIBUS. II.

CAesar Augustus,quum penè nulli inuitanti denegaret, exceptus à quodam cœna satis parca,& quasi quotidiana,post exiguum epulum,ac sine vllo apparatu discedens,Vale dicenti hoc tantum insusurrauit: Non putabam me tibi tam familiarem.

Philippus Macedo ad cœnam ab hospite inuitatus,quum multos secum adduxisset,hospésq; ob id subturbatus videretur ob cœnæ mediocritatem,festiuo commento vsus est.nam amicis omnibus nunciari iussit,vt locum placentæ relinquerent,quam expectantes,ex appositis non multum comederunt.

Socrates quum vocasset ad cœnam diuites,& vxorem Xantippen modici puderet apparatus:Bono,inquit,esto animo.nam siquidē modesti erunt, frugi mensam haudquaquam aspernabuntur: sin autem intemperantes,nulla nobis de hisce cura erit.

Timotheum clarum hominem & principem ciuitatis,ferunt,quum cœnasset apud Platonem,eóque conuiuio admodum delectatus esset, vidisséque eum postridie,dixisse:Vestræ equidem cœnæ non solùm in præsentia,sed etiam in postero die iucundæ sunt, propter parcitatem videlicet ciborum.

Epaminundas ad cœnā inuitatus,quum bellariorum,obsoniorum & vnguentorum apparatum inuenisset,euestigio abiit:dicens,Ego te sacrificare,non lasciuire putabam.

Menedemus philosophus ad cœnam vocatus, luxuriem appositorum ciborum tacitus coarguit:solas enim oliuas in cibos sumpsit.

Conuiuorum tria genera facit Eustathius in primo Odysseias, ἀλαπάδνην, quod ad magnificentiā apparatur: γάμον, quod solet etiam esse sumptuosius: ἔρανον, ad quod qui conueniunt,quod secum attulerint vescuntur.Hoc postremum Hesiodus tanquam minus sumptuosum,magísque iucundum,laudat.Socrates apud Platonem in Symposio Ad bonorum ait,hominum cœnas boni homines etiam non inuitati accedunt.

Xenophon in Rep,ait,adolescentibus in conuiuio satis esse,si ad interrogata respondeant.Apud Lacedæmonios verò ex Lycurgi institutis patrium erat,in conuiuiis dici quodcunque honestè in vrbe quis fecerit.Apud Platonem in eodem libro inquit Macrobius: Non austeriore aliqua de re sit conuiuarum sermo:oportet enim versari in conuiuio sermones,vt castitate integros,ita appetibiles venustate.

M.Varro in lib.qui inscribitur, Quid vesper serus vehat, ipsum ait conuiuium constare ex rebus quatuor:si belli homunculi collecti sint,si lectus locus,si tempus lectum,si apparatus non neglectus.nec loquaces conuiuæ nec muti sint.Illos enim in foro,hos in cubiculo esse

esse decet,sermo verò,ait,non de rebus anxiis,sed iucundis,& cū quadam illecebra sit.

Apud Homerum conuiuæ à dextra collocabantur. Cyrus verò apud Xenophontem lib.8.à sinistra collocabat,præsertim quos magis honorare vellet,quòd hæc insidiis magis pateat quàm dextra.

In conuiuio publico,quod epulum dicebatur,non licebat esse atratos conuiuas,id est,pullam vestem habentes. Et propterea Cicero taxat Vatinium,quod in epulo esset cœnatus atratus.

Apud veteres in conuiuiis imperatorum discincti comedebant,sed quum in Gallieni imperatoris conuiuio,siue ab ipso imperatore,siue à filio Salonino balthei aurati aut stellati ablati essent,nec redderentur,factum esse deinceps,vt cincti discumberent.

In conuiuiis adhiberi musicos solitos,ostendit Vergilius,qui in conuiuio Didonis Iopam ponit: sicut Hom.in Penelopes procorum,Phemium:in Alcinoi,Polyphemum:vt ait Macrobius,licet Hom.Demodocum vocitet.Similiter in conuiuio deorum apud Aethiopas Apollo citharam pulsat.Platoin Gorgia ait,in conuiuiis hanc cantilenam dici solitam:Optimū est primò bene valere,secundo formosum esse,tertio diuitias nulla fraude partas habere. Apud Græcos in conuiuiis lyra circumferebatur,vnde Themistocles,quòd musicam nesciret,habitus est indoctior,dabatur tamen prius ramus myrteus illi,qui cantaturus esset.

Apud Romanos mos fuit,seniores è conuiuio à iunioribus domum reduci:eúmque morem à Lacedæmoniis mutuati sunt.

Conuiuium solenne maiores constituerunt,ídque charistiā appellarunt,cui præter cognatos & affines nemo interponebatur: vt si qua inter necessarios querela intercessisset, inter sacra mensæ & amicorum hilaritatem deponeretur.Plato de legibus admonet,in cōuiuium nuptiale adhiberi tantum quinque amicos,& quinque amicas,ex latere paterno,ex cognatis totidem.

Claudius conuiuia & ampla & assidua agitauit. Conuiuatus super emissarium Fucini penè summersus est, quum emissa impetu aqua redundasset.

Augustus cōuiuia serius inibat & maturius relinquebat,quum conuiuæ cœnare prius quàm ille,inciperent,& permanerent digresso eo.

C. Caligula portentosissima ciborum cœnarúmque genera commentus est,preciosissimas margaritas aceto liquefactas sorbens,conuiuis ex auro panes & obsonia apponēs:dictitans,aut frugi hominem esse oportere,aut Cæsarem.

Clodius tragœdi Aesopi filius,vt quid saperent margaritæ in palato experiretur,singulos vniones conuiuis sorbendos dedit.

Alexander verò Seuerus quum inter suos conuiuaretur,aut Vlpianum aut doctos aliquos adhibebat,& Hadrianus conuiuiis amicorum sæpissimè intererat.

Heliogabalus imperator sexcentorum struthionũ capita vna cœna, multis mensis ad edenda cerebella apposuit: & conuiuiũ instituit, in quo essent 22. fercula ingentium epularum. Celebrauit & conuiuium tale, vt apud amicos singulos singuli missus apparārentur, & quum alter maneret in Capitolio, alter in Palatio, alter super aggerem, alter in Cœlio, alter trans Tyberim, & vt quisque mansisset, tamen per ordinẽ in eorum domibus singula fercula ederentur, iretúrq; ad omnium domos. Sic vnum conuiuium vix toto die finitum est, quum & lauarẽt per singula fercula, & mulieribus vterentur: Sybariticum missum semper habuit ex oleo & garo, quẽ quo anno Sybaritæ repererunt, perierunt.

Vitellius à fratre cœnam, in qua duo lectissimorum piscium millia, septem auium fuerunt, acceptam, apposita cœna, quam clypeum Mineruæ appellauit, superauit: in hac scarorum, iecinorum, fasianorum & pauonum cerebella, linguas phœnicopteri, murenas, lactes à Parthia vsque fretóque Hispaniæ per nauarchos ac triremes petitas commiscuit.

Verus imperator in conuiuio donauit cõuiuis pueros decoros, ministros, item structores, & lances singulis quibusque: item viua animalia, vel cicurum, vel ferarum: item calices singulis, per singulas potiones, murrhinos & crystallinos, Alexandrinos: item aurea, argentea, gemmatáque pocula, coronas etiã, lemniscis aureis interpositis: Item vasa aurea, cum vnguentis ad speciem alabastrorum: item vehicula, cum mulabus aç mulionibus, cum iuncturis argenteis, vt ita de conuiuio redirent. Omne autem conuiuium æstimatum est sexagies centenis milibus sestertiorum, fuerúntque in eo conuiuæ 12.

Tyberius imperator in conuiuio voluit, vt puellis nudis ministrantibus cœnaretur.

Lindium conuiuium dici potest, in quo conuicia iactantur, tractum à Lindo Rhodi oppido, in quo Herculis sacra maledictis & execratione celebrantur. eáque pro violatis habent, siquando inter solenneis ritus vel imprudẽti excíderit alicui verbum bonum, cuius rei hæc est ratio: Hercules quum eò delatus esset, fame laborans, ab aratore ibi arante petiit, vt sibi vnum venderet bouem. negante illo, quoniã omnis viuendi ratio in illis duobus bobus, ab aratore collocabatur, Hercules vtrunque sustulit. Infœlix ille, impar viribus, ad maledicta confugit, plurimísque conuitiis Herculem insectatus est: quod homini eleganti & vrbano gratissimum fuit, nam dum comitibus epulas apparat, dúmque alienos boues deuorat, illum sibi amarissimè conuiciantem cum risu & cachinnis audiebat.

Vrbanum est Valerij Martialis in conuiuatorem auarũ epigrãma:

Bis tibi triceni fuimus Mancine vocati,
Et positum est nobis nil here præter aprum.
Non quæ de tardis seruantur vitibus vuæ,
Dulcibus aut certant quæ melimella fauis.

Non pyra, quæ lenta pendent religatagen ista,
Aut imitata breueis punica mala rosas.
u stica lactantes nec misit fiscina metas,
Nec de Picenis venit oliua cadis.
Nudus aper, sed & hic minimus, qualísque necari
A non armato pumilione potest,
Et nihil inde datum, tantum spectauimus omnes,
Ponere aprum nobis sicut arena solet.
Ponatur tibi nullus aper post talia facta,
Sed tu ponaris, cui Caridemus, apro.

Paulus Aemilius admirantibus Græcis, quòd in magno splendidóque apparatu curiosus esset, dicere solebat, Eiusdem esse animi, & aciem & conuiuium bene struere: illam vt formidolosus hostibus, hoc, vt amicis gratus esset.

Phauorinus in oratione, cœnam lautam esse ait, si quum libentissimè edas, tum auferatur, & alia esca succenturietur. nec vllam auem præter ficedulam totam comesse oportere: sorderéque conuiuium, nisi conuiuæ saturi fiant auium cluniculis.

Zeno philosophus rogatus cur in conuiuio hilaris fieret, quum alioqui seuerus esset, vrbane: Et lupini, inquit, quum sint amari, perfusi tamen aqua dulcescunt.

Timon Athenienſis vsque adeò hominum congressus vitabat, vt quum aliquando esset cum Apemmato sui simili cœnaturus, dicerétq; Apemmatus, pulcherrimum ò Timon nostrum conuiuium est: respondit, Ita, si tu non adesses.

Eques quidam quum in spectaculis biberet, increpitus ab Augusto per nuncium dicente, se si prandere vellet, domum ire: equitis carpens importunitatem, vrbanè eques: Tu, inquit, non times ne locum perdas?

Theophrastus ei qui in conuiuio penitus tacebat: Siquidem imperitus es, prudenter facis: si verò peritus, stolidè.

Festiuum Valerij Mar. in conuiuam gulosum epigramma:

Quicquid ponitur hinc & inde verris,
Mammas suminis, imbricémque porci,
Communémque duobus atagenam,
Mullum dimidium, lupúmque totum
Murenæque latus, femúrque pulli,
Stillantémque * alicaisua palumbum.
Hæc quum condita sint madente mappa,
Traduntur puero domum ferenda.
Nos accumbimus ociosa turba.
Vllus si pudor est repone cœnam,
Cras te Ceciliane non vocaui.

Fortassis, alicui in sua.

M Varro in lib. qui scribitur, Quid serus vesper vehat, vbi disserit de apto conuiuarum numero, dicit conuiuarum numerum incipere

oportere à Gratiarum numero, progredique ad musarum: id est, proficisci à tribus, & concludi intra nouem: nec plures nouem fore, nec tribus pauciores. Capitolinus verò ait, quum sit notissimum dictum de numero conuiuarum: Septem conuiuium, nouem verò conuicium.

Homerus dorsum suillum laudat, & Demodoco musico datum, & Vlysi ab Eumæo subulco.

Prandium caninum id dicitur, in quo vinum non est, quia vino canes non vtuntur.

Incendio inter epulas nominato, aquam sub mensa profundi abominatio est. Recedente autem aliquo ab epulis simul verri solum, aut bibente conuiua mensam vel repositorium tolli, inauspicatissimum iudicatur: Nam sternutamento reuocari ferculum, mensámve, si non postea gustetur aliquid, inter dira habetur. Quin & repente conticescere conuiuium, adnotatum est. Cibus etiam è manu prolapsus reldebatur, atque per mensas vetabantur mundiciarum causa deflare. ex Pli.

Verbenaca, quam legatos ab hostes ferre consuetum est, & qua Iouis mensa verritur, domus purgantur, lustrantúrque. aiunt, si qua spargitur triclinium, qua maduerit, lætiores conuictus fieri.

Socratem Aristodemus & lotum & calceis pedes (quæ rarò faciebat) indutum offendisse dicitur, eúmque interrogasse, quamobrem ita ornatus accederet. cui respondisse Socratem, se promisisse ad cœnam Agathonis, ad quam ab eo fuerat inuitatus, iturum. atque ea causa se ornasse, vt pulcher ad pulchrum accederet. Ex Apollodoro apud Platonem in Sympolio.

Huc refer & titulum de Cœnis.

DE CALLIDITATE, ASTV ET PRVDENTIA, in deuincendis hostibus, atque diuersorum Stratagemata III.

Icinius Augusti libertus inchoanti opera patrono, quum magnas pecunias conferre soleret, centum promisit Augusto per libellum, in quo virgulæ superinductæ pars vltra pecuniæ defensionem protendebatur, vacante infra loco. Cæsar occasione vsus, pro priori alterum centies sua manu iunxit, spacio diligenter expleto, & affectata similitudine, geminatam accepit summam, dissimulante autem liberto postea cœpto alio opere, leniter factum suum Cæsari obiecit, libello tali dato: Confero tibi domine ad noui operis impensas, quod videbitur.

C. Marij filius Marius, Syllæ gladios fugiens, ad soceri sui Mutij rura peruenit, insequentibus eò vsque Syllanis. hi quibus Mutij agrorum esset cura, re cognita, Marium in curru fabas portante occuluerunt: per mediósque hostes curru in vrbem delatus, domum vxoris: sumptísque necessariis nauem ingressus, in Libyam traiecit.

Augusto è palatio descendenti, solebat epigramma Græculus ferre. Id quum frustra sæpe fecisset, iterúmque atque iterum facturum Augustus

gustus vidisset, breue græcum & ipse exarauit epigramma, pergentique ad se obuiam misit. Ille legendo laudare, mirari tam voce quàm vultu. quúmque ad sellam accessisset, demissa in fundam pauperem manu, paucos denarios protulit, quos principi daret, adiecto hoc sermone, ὦ ἴσως τύχην συμφορᾶς, ἢ πλεῖον ἔχων, πλεῖον ἐδίδουν. id est non secundum fortunam tuam Auguste, si plus haberem, plus darem: Secuto omnium risu dispensatorem Cæsar vocauit, & sestertia centum millia Græculo numerari iussit.

Dionysius senior, dicente quodam peregrino, se velle ostendere quemadmodum insidianteis cognosceret, priuatimque velle ob id loqui secum: priuatim loqui passus est. loquentique clam illi, talentúmque petenti, vt insidiarum indicia audisse videretur, numerari iussit.

Augustus Pacuuio Tauro congiarium petenti, ac dicenti, vulgò homines loqui non paruam à te pecuniam mihi datam: retrusit scommata: At tu inquit, noli credere.

Idem Augustus alium præfectum equitum summotum, & insuper salarium postulantem, dicentémque: Noli lucri causa dari hoc mihi rogo, sed vt iudicio tuo munus videar impetrasse, & ita officium deposuisse: pari scommate vsus, Tu te, inquit, accepisse apud omneis affirma, & ego dedisse me non negabo.

Vespasianus imperator quum quidam è charis ministris munus ab eo pro quodam, quem fratrem esse assimulauerat, peteret, rem distulit, donec ab eo pro quo petebatur, pecuniam extorqueret, quam cum ministro fuerat pactus. Qua accepta, interpellanti ministro, vrbanè: Alium, ait, tibi quære fratrem: hic quem tuum putas, meus est.

Tremellius cum omni familia seruisq; villicabatur. itaque cùm eius serui vicini scrofam aberrantem occidissent, faciente vicino inquisitionem, scrofæ cadauer sub centonibus collocat, super quos vxor cubabat. Quum autem esset ventum ad cubiculum, sacramenti verba concepit, nullum esse in villa sua scrofam, nisi illam quæ in centonibus iaceret: lectulúmque in qua vxor iacebat ostendit. atque his scommatibus vicinum elusit, cognomentúmque Scrofæ postea ipsi est inditum.

Carbo Syllæ inimicus, quum contra vulpem atque leonem Syllæ animum incolentes bellum se gerere diceret. Maior, inquit, mihi mœror ex vulpe quàm ex leone infertur.

Qu. Fabius Labeo, victo Antiocho rege, inter cæteras fœderum conditiones pactus est, vt dimidiam nauium partem ab Antiocho acciperet. quibus concesis, medias omneis dissecuit, totáque classe priuauit.

Idem Fabius, vel siquis alius fuerit, inquit Cicero datus arbiter Nolanis & Neapolitanis à senatu, de agris terminandis. quum ad locum venisset, vtrique separatim collocutus est, ne cupidè quid age-

rent, ac potius regredi quàm progredi mallent. Id quum vtrique fecissent, aliquantulum agri quod in medio relictum est, populo Romano adiudicauit.

Torannius M. Antonio iam triumuiro, duos eximia forma pueros, alterum in Asia genitum, alterum trans Alpeis, vt geminos vendidit, tanta erat similitudo. Postea quum detecta fraus sermone puerorum esset, à furente increpitus Antonio inter alia magnitudinem precij requirente (nam 200. erat mercatus sestertiis) respondit, Ob idipsum se tanti vendidisse, quoniam non esset tam mira similitudo in vllis eodem modo editis.

Phocion quum nullo posset modo Athenienses à bello contra Bœotios suscipiendo, illis damnosissimo, deducere, iubet vt statim dimissa concione, armati afforent omnes qui intra septuagesimum annum pubertatémque essent, sumpto quinque dierum commeatu. Illi ægrè ferentes, ætate confectos adduci, Phocionem incusabant. sed ille: Quid hoc (ait) intemperiei est: quid nam vobis iniuriæ facio, si & ipse octogenarius in armis adero? atque ita illos ad quietem traduxit.

Alexander Macedo quum eum qui sibi porta egressò prius occurreret interfici iuberet ex oraculo (sic enim Persas vincere posse, dictum erat) asinarium fortè ante omneis obuiam factum ad pœnas arripi imperauit. Eóque quærente cur ad mortem adduceretur, atque ille ex oraculo monitum diceret, vt quem primo inuenisset occideret: Alium, inquit, asinarius, ô rex morti fors destinat: nam asinus quem ante me agebam, prior occurrit. delectatus Alexander, asinum, incolumi agasone, immolauit.

Darius quum Persidem Magorum dominatu oppressam liberasset, pactus cum consortibus eius operis, eum futurum regem, cuius equus in loco constituto prior mane hinnitum ederet: quum ad locum ventum fuit, siue quia equiso admotam manum in equæ vuluam, equi Darij naribus apposuerit: siue quòd noctu equam equúmque Darij eò adduxisset: illius equus prior hinnitum edidit, Dariúsque à complicibus rex est salutatus.

Alexander Macedo vrbem Anaximenis sui præceptoris Lampsacum euertere quum statuisset, summóque studio ad eam ferretur, vrso Anaximene, qui vltra muros processerat (quia manifestum erat futurum vt preces suas iræ eius opponeret) antequam quippiam ille dixisset, iurauit Alexander non facturum se quod peteret. Tunc Anaximenes: Peto, inquit, vt Lampsacum diruas, atque ita parsum est vrbi, hæc Valerius. Apud alios verò Aristotelem non Anaximenem fecisse comperio in Stagyra.

Hospites duo quum apud mulierculam pecuniam deposuissent, ea lege vt vtrique vnà peterent, interiecto tempore alius ex iis mortuum socium assimulans, omnem à muliercula abduxit pecuniam. Quum verò post dies paucos, alter qui mortuus dictus erat, superuenire-

partémque sibi debitam pecuniæ exposceret, mulier laqueo vitam finire cogitabat. Demosthenes igitur mulierculæ patronus, illius & damno & dolori consuluit. petenti enim ait, Alterum, vt pactum erat, socium vnà adducat.

Athenienses quidam capitali crimine accusatus, dicturus causam, maximum magistratum petere cœpit: repulsus atque exsibilatus ab vniuerso comitio quum ad capitalem pœnam vocaretur, commiserata plebs hominis repulsam, discrimine liberauit.

Tusculani quum sæpius rebellassent, venienti Marco Marcello ad expugnationem cum instructo exercitu, obuiam togati processerunt: commeatúsque & cætera munia præstantes, armatúmque in vrbem intrare pepessi, fiducia liberati sunt.

Acidinus, Luciúsque Manlius, consulatum petebant: Scipio Malugi nensis Acidinum consulem ex tribu sua pronuntiauit. Prætore verò dicente Dic de Lucio Mălio: vrbane, Virũ bonum, ait, egregiúmque ciuẽ esse arbritror. tacuitque de consule creando.

Pomponius in Antoniana proscriptione, in prætoris formam seipsum adornauit, seruósque in ministrorum morem. ciuitatémque hóc pacto vt prætor lictoribus stipatus pertransiuit, seruis circunstantibus, occulentibúsque ne ab vllo dignosci posset. Demum iuxta portas, publicos currus ascendens, peragrata Italia, cunctis illum suscipientibus vt prætorem, à Triumuiris missum ad inducias ineundas cum Pompeio, publica etiam triremi ad illum pertransiit.

Apuleius & Aruntius in eadem proscriptione ductores militum se esse simulantes, seruósque militaribus instructos armis, ad portas veluti proscriptos insequentes properarunt: reliquo itinere, carceratos soluentes, & qui occurrerent colligentes, non mediocres copias compararunt: quo facto, classe delati, alter ad Brutum, alter ad Pompeium venit.

M. Volusius ædilis proscriptus à sacerdote Isidis, stolam accipiens, vestémque ad pedes vsque induens, canem capiti imposuit: eóque modo sacra peragens, ad Pompeium peruenit.

Antiochus quum intercepisset calones, è Sueda castello Cappadociæ frumentatum euntes, illis occisis, milites pro calonibus supposuit: qui recepti à custodibus, arcem inuaserunt.

Semiramis in expeditione contra Indos, vt eos perterrefaceret, elephantorum aspectu, quos non putabant esse alibi quàm apud se: multorum boum coria in elephanti formam consui, fœnóque impleri, intúsque camelum ac suprà equitem collocari iussit.

Annibal in bello contra Ponticos in lagenas fictiles omne serpentium genus condidit, in medióque bello in hostium naues iniicit. Id primum Ponticis ridiculum visum est, fictilibus dimicare: sed vbi serpentibus repleri naues cœpere, ancipiti periculo circumuenti, hosti victoriam cessere.

Scipio superior quum in Africam traiecturus esset, atque ei opus trecenti equites essent: vocatis Siculis nobilissimis iuuenibus tercentum, iubet totidem equos cõparare sibi, vt vsui bello esse possent. illis igitur militiam molestè ferentibus, Scipio proposuit, qui nollent accedere, vt equos traderent. tradentibus libenti animo omnibus, equitum numerum citra tyrannidem adimpleuit.

Tullus Volscorum dux, detrectantibus bellum, pacémque potius optantibus Volscis, vt illorum animos in Romanos incitaret, eos qui spectandorum gratia ludorum Romam conuenerant, in suspicionem senatus adduxit: pulsi itaq; omnes ante noctẽ, in Romanos incitantur.

Datames, Camissaris filius & Scytissæ, Artaxerxis dux quum Metrobarzanem socium ad hosteis confugisse accepissent, veritus, si in turbam exisset sermo, ab homine tam necessario relictũ, ne futurũ esset, vt cæteri consilium sequerentur, in vulgus edit, suo iussu Metrobarzanem profectum pro perfuga, quo facilius receptus hostes interficeret: quare non par esse, eum reliuqui, sed omnes confestim sequi. quod ii animo strenuo fecerint, futurum vt aduersarij cederent. Hac re probata, exercitum adducit: Metrobarzanem persequitur. Pisidæ noua re commoti, in opinionémque adducti, perfugas mala fide compositóque fecisse vt recepti essent maiori calamitate, primùm eos adoriuntur. Illi quum quid agerent, aut quare id fieret ignorarẽt, coacti sunt cum eis ad quos transierant manum conserere, ab iisq; stare quos reliquerant. quibus quum neutri parcerent, celeriter sunt conciſi. Reliquos Pisidas resistentes Datames inuadit, & simul castra hostium capit. Cæterum hic Datames quanuis astutia rebúsque bellicis præstaret, captus est à Mithridate, simulata amicitia: vt in Capite de Dolis dicetur.

Adolescentuli quidam hostiũ aduentu perterriti, quum ad Thebanos transituri, locũ extra vrbem editũ cepissent: Agesilaus pernicioſissimũ esse iudicãs, si animaduersum esset quenquã ad hostẽ trãsfugere, cum suis cõuenit, atque, si bono animo fecissent, laudauit consilium eorum, qui eum locum occupassent: & se id fieri debere animaduertisse, adolescentulósque simulata laudatione recuperauit.

Eumenes bellum contra Antigonum gerens, quum essent totis castris epistolæ abiectæ, quibus iis qui Eumenis caput ad Antigonum detulissent, magna præmia proponebantur: conuocatis ad concionem militibus, primò agit gratias, quòd spem cruenti præmij fidei sacramento anteponerent. tum callidè inuectit epistolas à se confictas, ad experiendos suorum animos.

Postquam inter Megarenses Athenienseſq; de Salamine insula dimicatum est, post multas clades capitale erat Athenis, si quis legem de vindicãda insula tulisset. Sollicitus ergo Solon, ne aut tacendo parum Reip. consuleret, aut censendo periculum sibi afferret, subitam dementiam simulat, deformis autẽ habitu, more vecordium in medium euolat: factóque hominum concursu, quo magis dissimularet, insolitis sibi versibus suadere populo cœpit, quod verebatur. omniúmque animos ita cæpit, vt extemplò bellum aduersus Megarenses decerneretur.

Bello inter Lacedæmonios Athenienseſque existente, Lacedemonij vt Periclem Athenienſibus suspectum redderent. illius agros in cæterorum vastatione intactos reliquerunt, quod anrea ita futurum Pericles prædixerat. Sed adinuidiam declinandam agros ipsos dono dedit Reip.

Annibal vt Fabium Ro.po. redderet suspectũ, vastatis cæteris, illius agris pepercit. sed is statim agros Ro.po. vendidit.

Martius Coriolanus dum patriæ bellũ infert, prædámque cum sociis Volscis abigit, nobilium agris, quum pauperum deuastasset, peperciit: vt iurgia suspicionéque inter patres plebémque orirentur.

Annibal bello nauali à Iulio victus, priusquam nuncius Carthaginem deferretur, vnum mittit ex amicis qui diceret: Num Annibal esset bello nauali conflicturus? assentientibus omnibus, Conflixit inquit, & superatus est. sic Val. Plinius verò hunc Gisgonem vocat.

Medea quum Peliam vellet vlciſci, pollicita est se illum in iuuentam restituturam: quod quum in se primo ex Peliæ iussu esset experta, éque anu in iuuenem redditã esset: iusſit filiabus Pelias, vti Medeæ in omnibus parérent. Dormientem igitur patrem vt in iuuentam restituerent Medeæ iussu dilaniant, inque cacabos coquendum ponunt, atque ita conficiendum curauit.

Occiſo Marcello, Crispinus collega proximas ciuitates de morte illius certiores reddit, ac simul scribit Annibalem nactum etiam Marcelli annulum, vt si quid ab illo scriberetur, fidem non haberent. Vix bene nuncius Salapiam attigerat, quum ab Annibale allatæ sunt Marcelli nomine literæ, se nocte quę diem illum sequutura esset Salapiam venturum.

Casilini præsidium ab Annibale obsidione cinctum, longa fame domitum, muribus etiã ac pellibus è scutis detractis ad cibos assumptis, quum hostes quicquid herbidi terreni extra murum esset arasſent, rapum semen iniecit. Tum Annibal, Eóne vsq; dum rapę nascuntur ad Casilinum sessurus sum? exclamat. Et quorum nullã antè pactionem admiserat, tum demum secum agi passus est de redemptione liberorum capitum, huic Casilino antea à Gracho prospectum fuerat, missis doliis per Vulturnum tritico refertis: quod postquam ab hoste cognitum est, cessauit ab obsidione.

Alyarte Prienem Biantis patriam obsidente, Biantem ex industria duos saginasse mulos, eósque in castra hostium impulisse, memoratũ est: quibus conspectis regem obstupuisse, quòd bruta quoq; largas obsessorum copias præferrent, cogitantémque de soluenda obsidione explorandi gratia in vrbem dimisisse: Biantem vero consilio regis explorato mag

rato magnos arenæ cumulos tritico operuisse, hominíque ostendisse pacémque percussam.

Romani in obsidione arcis Capitolinæ fessi, rerum inopia adducti è lacte mulierum emulcto caseí massam compactam in Gallos Senones iniecerunt. quo viso, desperati Galli de victoria, pacem percu serunt.

Assyrij in Darium rebellantes quum Babylonẽ occupassent æstu te Dario Zopyrus verberibus toto corpore se finit lacerari, Babylo némque pro transfuga proficiscitur. vbi corpus laniatum ostende regis crudelitatem conqueritur, hortatúrque bellum suscipiant: quo quum illi fecissent, Zopyrúmque copiis præfecissent, secunda præli semel atque iterum ex consulto Persis cedentibus fecit cum parua nu. Ad postremũ verò vniuersum sibi creditũ exercitum regi prodi

Sextus Tarquinius assimulato ad Gabios transfugio, principatu adeptus summotis ex patris monitu Gabiorum proceribus vrbẽ pro didit. id etiam fecisse Thrasybulum misso nuncio à Periandro: mon enim succisis spicis altissimis primores è medio tolli, quemadmodu Tarquinius papaueribus decussis. Sed hic Sextus dum Petronij Ar stij seruos corrupit, qui literas à patre simulatas domi reponerent, concionem lachrymabundus accessit, conquerens insidias sibi cõstr ab illis, in quorũ fidẽ se dedisset. Turbata plebs authorẽ ad pœnas p poscit. Ille igitur Petroniũ insimulat, atq; cõpertis ex inquisitione lit ris à patre falsis atq; à scriba lectis, à turbata plebe lapidibus obrun

Seruio Tullio regnante, bos miranda specie magnitudinéque Sabinis orta est: consulti vates cecinere, cuius ciuitatis eam ciues molassent Dianæ, ibi fore imperium. Id carmen ad antistitem Di Auentinæ peruenit. Sabinus vt primũ apta sacrificio dies visa est, bo Romã deducit, antéque arã Dianæ statuit. Ibi antistes Ro. religio Sabino intulit, ne prius victimã cæderet quam se proximi amnis ag abluisset. Illóque alueum Tyberis petente, vaccam ipse immolauit

Phalantus Partheniorum, qui Tarentum occuparunt, incolis pul dux per seditionem in exilium actus Brunduſiũ se cõtulit, quo exp si sedibus suis veteres Tarentini concesserant: moriens autem per det vti ossa, postremáque reliquias conterant, tacitéque spargi in ro Tarentino curent (hoc enim modo recuperare patriam posse oraculo Apollinis ait) sed oraculi diuersa fuerat sententia. Id quum cissent illi, possessio Tarentina Partheniis in æternum fundata est.

Histiæus Susius quum cuperet Aristagoram à rege Artapherne ficere, atque vereretur per literas rem indicare, fidelissimi è seruis put erasit, literásque impressit, & hominem retinuit, quoad capillo fruticarent. Vbi verò illi renatisunt raptim dimisit Miletum, nil ab mandans, nisi vt quum Miletum peruenisset, iuberet Aristagoram so capite inspicere. Ea verò stigmata defectionem significabant.

Lacones veteres occultandarum gratia literarum ad imperato

duos surculos teretes adhibebant, quorũ alterum præbebant imperatori, altero apud se relicto, Si quid occulti scribere volebant, loro surculum inuoluebãt, literas deinde per transuersas iunturarũ oras scribebant, atque ita lorum explicatum mittebãt quod pari surculo inuoluebant imperatores, atque ita literas legebant. quod in alio surculo non poterat fieri, cõmissuris literarũ non adaptatis. Hanc scribendi inuentionem Scytalam Laconicam vocabant. ex Gell. qui etiam ait, in Cæsaris epistolis literas sine syllabarum coagmentatione fuisse.

Tithymalli lacte si quis corpus scribat, quum inaruerit, si cinis inspergatur, apparere aiunt literas.

Niciasin Egione Siciliæ vrbe primarius, quum diu luctatus esset, ne Egiones ad Annibalem inclinarent, atque illi Niciam comprendere tent assent, simulato *materarum dearum furore quas deuouerat, concidit: quumq; animaduertisset theatrum illo aspectu admiratum, abiecto amictu, intima abscissa tunica, seminudus in theatro furens se proripuit, dicẽs se materarum furore concitari. Quare quum religionis gratia nemo eum attingere auderet, clàm cum vxore filiisque ad Marcellum profugit.

Myniis à Lacedæmoniis captis, in carcerémq; coniectis, vt de illis noctu supplicium sumeretur (Lacedæmonij enim neminem interdiu occidebant) Myniarum vxores impetrarunt ab Athenienſibus, vt liceret ante supplicium cum viris colloqui. quo impetrato, in carcerẽ ingressæ, vestes cum viris commutarunt. illi itaque habitu muliebri pœnas euaserunt.

Meson vt à Siculo bello Athenienses absterreret, vesaniã assimulauit. quóque fides magis h aberetur, facem domui propriæ intulit: atq; ita ab instituto illos reuocauit.

Ortis quibusdam contentionibus inter Masinissam ac Carthaginẽses de finibus imperij, Senatus ad illas componendas Scipionẽ, duósq; legatos destinauit: qui cognita causa discordiæ, rem integram suspensamque reliquerunt, vt Pœni domesticis negociis occupati, ad spem nouarum rerum erigere animos non possent.

Cacinati gens fuit, supra Tegenium amnem, incolentes antra ad boream versa: inuictíque quum ad illa se recepissent. quod cùm animaduertisset Sertorius, qui contrà bellum gerebat, iussit milites puluerulentam cinerosámque terram (talis enim illic tellus est) fodere, contráque ipsum montem cumulum agere, quem Barbari ad expugnationem erigi putantes, deridebant. Sertorius verò postridie flante Cæcia, iussit militibus, vt puluerem ex aggere quaterent: qui quum ad Cacinatorum antra vento deferretur, eos occlusit. Tertia itaque die sese Sertorio dediderunt.

Pugnantibus contra Mysos Rom. Chonidus centurio poculum gerens super cassidem, suscitatam motu corporis flammã velut ardenti capite fundebat, atque ita maximum Barbaris terrorem immittebat.

Laban

Laban mandatum fuerat, vt sacra erepta inquireret. Rachel id audiens, idola in strato cameli supposuit: vbi sedens, menstruam purgationem causans, à Laban non tangitur.

Tito Solomonis templum obsidente puer sitiens à Romanis custodibus pacem petebat, sitimque fatebatur. sed vbi illi, tam ætatis quàm necessitatis miserti, dedere ei dexteram, & ipse bibit: & quam ipse secũ lagenam attulerat, repletam ferens, abiit ad suos.

Annibal Italia pulsus, in Africáque victus ad Cretenses accessit: veritúsque ne Cretenses ob auri copiam quam secum ferebat, manus illi iniicerent, amphoras plumbo aurato refertas in templo Dianæ collocari iussit, sollicitudinem de pecuniis miram ostendens: statuas verò æneas auro refertas iussit domum inferri.

Dido sacculos arena refertos in mare abiicit, thesaurum, pro quo petebatur à Pigmalione, id esse assimulans.

Sertorius quum Lusitanos cohibere non posset, ne palantes irent contra Romanos, duos equos adduci iussit: alterum pinguem ac fortem, cuius caudam seni: alterum strigosum debilémque, cuius caudam iuueni tradidit euellendam. Iuuenis correptis omnibus setis, frustra in euellendo laborat: senex verò singulatim euellens, totã penè caudam nudat. hoc exemplo Barbaros patientiores, parentioréque reddidit.

Vespasianus imperator mulionem in itinere suspicatus ad calceandos mulos ideo desiliisse, vt adeunti litigatori spacium morámque præberet: vrbanè quãti calceasset, interrogauit, pactúsq; est lucri partẽ.

Heraclides Lycius, licet hebeti esset ingenio, sedulitate tamen magnam in literis gloriam est assequutus. sed quum aliquãdo opus composuisset, cui titulus esset. πόνου ἐγκώμιον id est laboris præconium: occurrens Ptolemæus, accipiénsque librũ, derasa prima litera, ὄνου ἐγκώμιον, id est, asini præconium, reliquit: Accipe, inquit, & lege.

Brutus Lycios captiuos remiserat. sed illos partinaciores factos persequutus, apud Xanthũ obsedit: qui iuxta vrbem labante flumine subnatantes, in mœnia quærebãt euadere. sed Brutus retibus appositis in flumine, atque in his tintinnabulis, plerosque cœpit in imis natantes.

Nasica bis consul, adeò prudentia excelluit, vt Corculum fuerit appellatus. Aelius Sextus ob id Catus dictus. cantatissimi prudentia Vlysses & Sisiphus, authore Cicerone & Homero: & Aegyptij callidissimi. de Astutia verò imperatorum, quæ Stratagemata appellantur, vide Frontinum.

Archidamus Agesilai filius, ad eum qui laudaretur, quòd Arcadas pugna superasset: Melius, inquit, fuisset, si prudentia illos potius quàm viribus vicissemus.

Acetum in pectore habere, prouerbij loco Plautus dixit: pro eo quod est, callidum esse.

Perdix, vbi ad nidum auceps accedere cœpit, procurrit ad pedes eius fœta, ptægrauem aut delumbem sese simulans: subitóq; in procursu aut

aut volatu cadit ceu fracta aut ala aut pedibus, procurrit iterum, iam iámq; præhensurum effugiens, ac spe frustrans, donec in aduersum abducit à nidis: tum ipsa pauore libera, in sulco resupina gleba ac terra se pedibus appræhensa operit. Vide plura infrà in titulo de Dolo.

DE CONCORDIA. IIII.

PIsistratus Athenarum tyrannus, quum filiis suis rectum dando consilium, non obtinuisset assensum, atque ideò esset in simultate cum illis: vbi hoc inimicis causam fuisse gaudij comperit, ex illa discordia sperantibus in domo tyranni nasci posse nouitatem, vniuersitate ciuium conuocata, ait: succensuisse quidem se filiis, non acquiescentibus patriæ voluntati, sed hoc sibi postea visum paternæ aptius esse pietati, vt in sententiam liberorum ipse concederet. sciret igitur ciuitas, sobolem regis cum patre esse concordem.

Demetrius Antigoni patris longè amantissimus, quùm aliquando à venatione rediret, ad patrem legationem audientem, succinctus (vt erat) telis accessit: eúmque osculatus, propè consedit. Discedentibúsq; legatis Renunciate, ait Antigonus, ô viri, talem amorem, animique pietatem, qualem vidistis, vt ostenderet, concordiam patris cum filiis, potestatum ac regum potentiæ maximum esse indicium. Ouid.

Et quæ non possunt singula, multa iuuant.

Scipio Aphricanus quum Numantinos sæpe victores fregisset, obsessósque tãdem expugnasset. Tiresum principem Celticum rogauit, qua de causa Numãtia aut prius inuicta, aut pòst euersa fuisset: Respõdit Tiresus, concordia victoriam, discordia exitium præbuit.

Lycurgus ad ciues, qui scripserant quo pacto hostium impetum repellere possent: si pauperes, ait, manseritis, & contentiones mutuas deponetis.

Concordiam Diis esse periucundam, Homerus in Iliad. indicat. Marte enim querente apud Iouem, quòd à Dimede fuerit vulneratus, toruè intuens, Iupiter: Desine, inquit aliquando, me querelis tuis toties obtundere: Nam vt scias, inter omneis cœlites Mars mihi es maximè inuisus, quem nihil iuuat nisi rixæ, nisi pugnæ, nisi bella.

Myci ipsa apud Salustium moriens, filios monet vt sint concordes: Cõcordia enim, ait, paruæ res crescunt, discordia maximæ dilabuntur.

Hyenæ genitali & articulo spinæ cum adhærente corio asseruatis, totius domus concordiam constare ait Plinius.

DE CLIENTIBVS. V.

PVblius Catienus Philotimus patronum adeò dilexit, vt hæres omnibus bonis institutus, in eius rogum sese iniecerit.

Zopyrus Darij cliens, quum Babylonios rebelles Dario prodidisset, vt suprà dictum est, tam fuit illi charus, vt quum malum punicum aperuisset, atque præsens quidam rogasset, cuius nam rei tantum habere vellet numerum, respondit, tot Zopyros.

C. Iulius Cæsar in Bithiniam exigendæ pecuniæ causa, quæ clienti debebatur, accessit.

Clientes qui à Romulo instituti sunt, parentum loco patronos habebant, quin ad patronorum filiarum dotẽ contribuebant, indigentibus præsertim, próque redemptione hostibus pecunias numerabant, siue ipsi patroni, siue ipsorum filij capti essent, proprióque ære dissoluebant causas quæ pecuniarum haberent æstimationem, in republica sumptus & impendiorum participes, hæc & plura apud Dionysium. Gellius de gradibus officij sic ait, iuxta parentes apud Rom. pupilli, post hos locum obtinebant clientes, tertium, hospites.

COTVRNICVM STVDIOSOS fuisse veteres. VI.

COturnicum ad bella adeò Augustus studiosus fuit, vt Erotem qui res Aegypti curabat, quia coturnicem omneis alias pugnando superantem atque inuictam assauerat, atque comederat: vocatum, ac in iudicio confessum, malo nauis affligi iusserit.

Antonius nimium molestè tulit, quòd, quum aut galli aut coturnices ipsius pugnantes cum Octauij gallis conturnicibúsve pugnarent, sæpe essent inferiores.

Herculi coturnicem in deliciis fuisse, fabulæ aiunt: cuius nidore etiam mortuus in vitam sit restitutus. Athenæus autem ait Herculem Iouis & Astreæ filium in Libyam proficiscentem, à Typhone fuisse interemptum: reuocatúmque in vitam coturnicis odore, admotæ ab Iolao. Et ob id Phœnices Herculi coturnicem sacrificare.

Plin. de iisdem ait: Veneni semen illis cibus gratissimus, quam ob rem eas damnauere mensis: simúlque propter comitialem morbum, quem solæ animalium sentiunt præter hominẽ. Alij, veratri legunt pro veneni. Ouidius,

Ecce coturnices inter sua prælia vincunt.

Pugnant autem inter se coturnices ob zelotypiam: nec sine querelis miníque, nam non habent nisi in pugna vocem, sunt præterea paruarum virium, vnde conquestio cum labore in volatu expressa.

Socrates apud Platonem libro 5. Midiam quendam coturnicum nutritorem vocat.

DE CONSVETVDINE. VII.

HIppocratidas, quum quidam adolescens, quem amator sequebatur, ei occurrisset, ac se auertisset: Cum illis, inquit, eundum est, quibus cũ visus, eundẽ serues colorem. Plato quum quendam qui alea lusisset reprehenderet: atque ille diceret, quàm in paruis me reprehendis? At est, ait, consuetudo res non modica.

Scythæ quum contra Medos octo & viginti annos peregrè abfuissent, vxores illorum ad seruos accesserant, à quibus arcebantur non mediocribus

mediocribus copiis, commissáq; sæpe pugna, quum Scythæ nihil proficerent, ex iis quidam flagellis in eos vtendum censet, armis omissis, consilium igitur sequuti omnes, seruos flagrorum aspectu exterritos primo congressu fugant.

Equitem Romanum Iulium Viatorem, è Vocontiorum gente fœderata: in pupillaribus annis aquæ subter cutem morbo, potu fuisse prohibitum narrant, humorémque naturam fecisse consuetudine, atque senecta caruisse potu, id exemplum est in Cap. de Bibendi ratione.

Gellius consuetudinem, rerum dominam appellat.

Claudius ex contubernio sordidissimorum hominum, præter veterem segnitiæ notã, ebrietatis quoq; & aleæ infamiam subiit. Iuuenal.

Aspice quid faciunt commercia. &,
Vuáque desecta liuorem ducit ab vua.

Cic. in lib. 2. de natura deorum: Sed assiduitate quotidiana, inquit, & consuetudine oculorum assuescunt animi.

Liuius lib. 5. d. 4. Assiduitas in hominum oculis, minus ferendos magnos homines ipsa satietate facit.

Pausanias Lacedæmonius dux, vt primùm Asiæ moribus se commiscuit, ad mollitiem lapsus est.

Cretenses in acerbissima imprecatione in eos quos oderunt, vt mala consuetudine delectentur, precantur. Ouid.

Si quis amas, nec vis, facito contagia vites.

Euripides σοφοὶ τύραννοι τῶν σοφῶν συνουσίᾳ. id est, Sapientes tyranni sunt congressu sapientum.

In Thuriis legibus Charũdas graues pœnas sanxit in eos, qui cum malis consuetudinem iniissent.

Antistheni probro dabatur, quòd malis congrederetur: & Medici, inquit, inter infirmos versantur, neque tamen febricitant.

Socrates apud Platon. lib. 9. Theognidis carmina citat in hanc sententiam: Iis obsequere, quorum magna potestas, à bonis enim bona Perdisces, quod si malis adhæseris, quam habes mentem, proculdubio Perdes.

DE CALVMNIA.

THearidas Thebanus ensem acuens, quum rogaretur an acutus esset, vrbanè: Acutior est, inquit, quàm calumnia.

Patacio quidam quum bonis viris calumnias strueret, eóque quæstu rem augeret, tandem deprensus, pœnas capitis dedit.

Lucullus quum à Mithridatico bello victor reuertisset, inimicorum calumnia triennio tardius quàm debuerat triumphauit.

Sabinus testis productus atque interrogatus, an accepisset à patre sestertia, dixit accepisse: sed habere negauit, deinde interrogatus, an ca-

lumniam haberet ipse,inquit,negligentiam meam nosti,an habeam? nescio:accepisse me scio.

Lacon quidam,aduersus quendam maledicta ex calumnia libenter admittentem:Desine,ait,contra me aureis tuas suppeditare.

Agesilaus maiori odio calumniantes,quàm fures,insectabatur.

Aduersus sycophantæ,id est calumniatoris morsum non esse remedium,ait Aristophanes in Plut. ἀλλ' ὅκ ἐστι συκοφάντῃ δήγματος ἰατρικὸν φάρμακον.

Charondas in legibus Thuriis latis,calumniantes deprensos,myrto coronatos per totam vrbem ire iubebat,ignominiæ nota.

Mydius adulatorum apud Alexandrum princeps,monere suos solebat,vt audacter perstringerent.calumniandóque morderent.etiamsi enim qui morsus fuisset vlcus sanare posset,calumniæ tamen cicatrix extaret.

Huc refer titulũ de Detractione ac maledicẽtia.

DE CRVDELITATE ET immanitate. IX.

TVllius Cicero manu sua decretum in Antonium scripserat, quod in Rostris ab eodem pronunciatum est: sed vltor Antonius eodem in loco caput manúsque Ciceronis suffigi iussit. Tradit autem Dion,Fuluiam Antonij vxorem,Ciceronis in caput gremio suo repositum multa imprecatam,maledictisque insequutam conspuisse,os aperuisse,linguámque eduxisse,in eámque acicula infixisse,quibus ad capitis ornatum vtebatur,idem etiam asserit Suidas.

Nero imperator quum amitam ex duritie alui cubantem visitaret, & illa tractans lanuginem eius(vt assolet iam grandibus natu)pueblanditias fortè dixisset,simulatque hanc excepero mori volo:cõuersus ad proximos,confestim se positurum velut irridens ait,præcepisse medicis,vt largius purgarent ægram.

Vitellius imperator quendam in ipsa salutatione supplicio traditum,statímque reuocatum,laudantibus cunctis eius clementiã,etiam interfici iussit,velle se dicens pascere oculos.

Idem alterius pœnæ duos filios adiecit, deprecari pro patre coactos.

Philodes classis Atticæ præfectus,populo persuasit,vt captorum in pugna hostium dextræ manus pollicem præciderent,vt quum hastam ferre nequirent,remum tamen agitare possent.

Lucius Catilina obiicienti Ciceroni,incendium à se exitatum: Sentio quidem,ait,& si aqua illud non potero,ruina extinguam.

Vitellius de quo suprà,equitẽ Romanum,quum raperetur ad pœnam,proclamantem,Hæres meus es.exhiberi testamenti tabulas coegit:vtq; legit cohæredem sibi libertum eius ascriptum,iugulari eum liberto imperauit.

Glaucus

Glaucus Sisyphi filius & Meropes,equas carne humana alebat,vt in hostes furiosius irruerent,sed quum alimenta illis deessent,in funeribus Peliæ in herum morsus conuerterunt,dilaniarúntque.

Caius Fimbria in Syllanos senatúmque debacchans,Scæuolam in C. Marij funere ceu hostiam iussit iugulari,sed postquam ex vulnere audiit recreatum,illum accusare apud pop.instituit.Interrogatus quid de eo secus dicturus esset,cui pro sanctitate morum satis digna laudatio reddi non posset?respondit,se obiecturum illi quod parcius corpore telum recepisset.

Vitellius idem postquam occisum Othonem in campo Bebryaci cognouit,eóque venisset,abhorrentibus quibusdam cadauerum tabem,detestabili voce confirmare ausus est: optimè olere occisum hostem,& melius ciuem,sed hic tandem religatis post terga manibus, iniecto ceruicibus laqueo,veste discissa, seminudus in forum tractus est inter ludibria,per totum Sacræ viæ spacium,reducta coma à capite ceu noxij solent:quibusdam etiam cœno stercoréque incessentibus.Tãdem apud Gemonias minutissimis ictibus excarnificatus,confectúsque est,indéque vnco in Tyberim tractus.

In Mariana proscriptione, Q. Ancharius Marium in Capitolio sacra facturum obseruabat, sperans in sacrificio inuentum facile conciliaturum, ille inchoato sacrificio,ingredientem Ancharium, eúmque appellantem, ab astantibus iussit interfici, eius & Antonij oratoris capita,aliorúmque prætorum ac consulum in foro appensa: nulli sepulchri honos habitus,auibus & canibus lacerandi relicti sunt.

Apuleio à Tribunis occiso,senatus populúsque Romanus vna voce Metellum esse reuocandum vociferatur. P.verò Furius ex libertino patre natus, trib.pl.audacter perstitit: nec etiam Metelli filij, qui ob id Pius dictus est,precibus lachrymísq; flecti potuit,quamuis ad pedes tribuni etiam prouolueretur.sequenti verò anno C.Cornelius tribunus Furium ipsum hanc ob causam in iudicium vocauit,populus non expectato responso,Furium statim comprensum laceraui.

Tyberius nepotes ex Germanico Neronem & Drusum sustulit, quia comperisset pro illorum salute vota suscepta:Neroni laqueo atq; vnco missis:Druso adeò alimentis subtractis,vt tomentum è culcitra tentauerit mandere: Amborum sic reliquias fuisse dispersas, vt vix quinque collegi possent.Idem paucis diebus quum Capreas insulam attigit,piscatori qui sibi secretum agenti grandem mullum inopinanter attulerat,perfricari eodem pisce faciem iussit,territus quod is à tergo insulæ per aspera & deuia repsisset ad se,gratulanti autem inter pœnam,quod non & locustam, quam prægrandem ceperat,obtulisset,locusta quoque lacerari os imperauit.

Idem Rhodiensem hospitem,quẽ familiaribus literis Romã euocabat,aduenisse sibi nunciatum,torqueri sine mora iussit, & postea

occidi, ne vulgaret iniuriam.

Idem Agrippinam nurum Pandatariam nulla causa relegauit: conuicianti illi, oculum per centurionem eruit. Rursus mori inedia destinanti, per vim ore diducto infulciri cibum iussit, illique per inediam extinctæ imputauit, quòd non laqueo strangulatam in Gemonias abiecerit, próque tali clementia interponi decretum passus est: quo sibi gratiæ agerentur, & Capitolino Ioui ex auro donum sacraretur. ex Tranquillo, apud quem & de hoc & de aliis plura: sed breuitati consulens, summas rerum attingo.

Nero imp. Russium Crispinum priuignum impuberem, qui imperia ridebat, in mare immergi à piscatoribus iussit: Senecam præceptorem falso suspectum coniurationis occidit. Matrem quum pluribus modis occidere frustra tentasset, per speciem reconciliationis, literis ad Baias ad quinquatria reuocauit. quibus peractis, in digressu papillas quoque eius exosculatus, negotiũ trierarchis dedit, qui liburnicam qua aduecta erat, veluti fortuito concursu confrigerent. quòd quum fecissent, mater forte nando euasit. inops consilij Lagerinum libertum cum gaudio eam saluam nunciantem, confici iussit: atque eum eo mox matrem. cui nullam aliam ob causam iratus erat, quàm quòd facta dictáque turpia illius corrigeret.

Idem Romam iussit incendi, atque ex turri Mecœniana igne delectatus carmina concinebat, inque eo incendio centũ triginta duæ domus, insulæ quatuor sex diebus arsere, septimus pausam dies dedit: sed in suburbano Platonis liberti se ipsum confodit, coniuratos fugiens.

Domitianus imperator inter lætitiam lenitatémque sæuitia abutebatur. Auctorem summarum pridie quàm crucifigeret, in cubiculum vocauit: assidere toro iuxta coegit, hilarémque dimisit, partibus etiam de cœna dignatus.

Idem discipulum Paridis Pantomimi, pauperem adhuc, etiam tum maxime ægrum, quòd arte formáque non absimilis magistro videretur, occidit.

Idem Flauium Sabinum alterum è patruelibus occidit, quòd eum comitiorum consularium die præco perperam non consulem ad populum, sed imperatorem pronunciasset.

Idem Hermogenem Tharsensem propter quasdam in historia figuras occidit, librariis etiam qui eam descripserant crucifixis. Metium Pomposianum, quòd habere imperatoriã geneſim ferebatur, & quod orbem terræ in membranis depictum, & conciones regũ ac ducum ex T. Liuio circunferret, quódque seruis nomina Magonis & Annibalis indidisset, confodit: sed ipse occisus est in cubiculo, Parthenij ope.

Caligula imp. in dedicatione pontis quem construxit à Puteolanis molibus Baias vsq;, trium milium & sexcẽtorum ferè passuum, quum multos inuitasset è litore ad se, repentè omnes præcipitauit: & quosdam gubernacula apprehendentes, contis remísque detrusit in mare.

Item

Item Romæ publico epulo seruum ob detractam lectis argenteis laminam carnifici confestim tradidit, vt manibus abscisis, atque ante pectus à collo pendentibus, præcedente titulo qui causam pœnæ indicaret per cœtum epulantium circunduceretur.

Idem qui sæpe optauerat, vt vna ceruice pop. Rom. esset, gladiatorio munere reductis interdum flagrantissimo sole velis, emitti quenquam vetabat: remotóque ordinario apparatu rabidis feris vilissimos senio confectos gladiatores, pegmares, patresfamiliarum nothos, sed insignes debilitate aliqua, subiiciebat, ac nonnunquam horreis præclusis, populo famem induxit.

Idem Ptolemæum regis Iubæ filium, consobrinum suum, & cum primis ipsum Macronem, ipsámque Enniam, adiutores imperij, pro necessitudine meritorúmque gratia cruenta morte affecit.

Idem multos honesti ordinis bestiarum more quadrupedes caueæ coercuit, aut medios serra dissecuit. sed occisus est à Chærea Sabinóque & aliis coniuratis.

Commodi imp. sæuitia hos omneis longè antecellit, in deos pariter & homines sæuiens. Is enim Bellonæ seruientes, verè exsecari brachium præcepit. Isiacos verò pineis vsque ad pernicem pectus tundere cogebat. cum Anubim portarent, capita Isiacorum grauiter obtundebat ore simulachri: sacra solis Mithriaca Persarum vocabulo nuncupata, homicidio vero polluit, quum illic aliquid ad speciem timoris vel dici vel fingi soleat.

Idem eum, qui Tranquilli librum vitam Caligulæ continentem legerat, feris obiici iussit: quia eundem diem natalis habuerat, quem & Caligula, idem, si quis se mori velle prædixisset, hunc inuitum præcipitari iubebat.

Idem, eum quem videbat albescentes inter nigros capillos quasi vermiculos habere, sturno appositо, qui se vermes sectari crederet, capite suppuratum reddebat.

Idem præpinguem hominem medio ventre dissecuit, vt eius intestina subitò funderentur.

Idem nonnullis cædes suorum inimicorum vendidit. Cubicularios nonnullos occidit libenter: sed vnus ex illis cum Aelio Læto præfecto & Martia concubina interfuit, qui eum strangularunt, quum veneno parum profecissent.

Seuerus imperator, Albini inimici victi atque occisi corpus ante domum exponi, diuidíque iussit: eorúmque qui in bello occubuerant, cadauera dissipari.

Idem plerosque damnabat, quòd iocati essent, alios quòd tacuissent.

Heliogabalus imperator humanas hostias cecidit, lectis ad hoc pueris nobilibus & decoris per omnem Italiam, patrimis & matrimis: credo vt maior esset vtique parenti dolor. hæc Lampridius.

Maximus imperator, quatuor milibus hominum occisis se satiare non potuit.

Dionysius tyrannus quum pila ludere vellet, (nam studiose id faciebat) tunicámque poneret, adolescentulo quem amabat tradidisse gladiũ dicitur. sed quũ quidam familiaris iocans dixisset: huic quidem vitam tuam cõmittis? arrisisséq; adolescens, vtrunque iussit interfici.

Thessalonice regina, Cassandri vxor, occisa est ab Antipatro filio, quum vitam etiam per vbera materna deprecaretur: suspecta, quòd post mortem mariti in diuisione regni inter duos fratres, propensior fuisset Alexandro visa, quamuis nullum vestigium extaret.

Cysenis Thraciæ regina homines viuos medios secabat, natos parentibus epulandos dabat.

Eucratides Bactrianorum rex, quum ab India quam vicerat reuerteretur, à filio, quem socium regni fecerat, in itinere interficitur. qui non dissimulato parricidio, per sanguinem patris currum egit, & corpus abiici insepultum iussit.

Gelonij iuxta Neuros sunt, qui ex hostium cutibus sibi indumenta faciunt, equisque suis tegmina.

Hiberniæ insulæ incolæ sanguine interẽptorum hausto, prius victores vultus suos illinunt, fas atque nefas eodem animo ducunt. Puerpera autẽ si quando marem edidit, primos cibos gladio imponit mariti, atque in os paruuli summo mucrone auspicium alimentorum leuiter infert, & gentilibus votis optat, non aliter quàm in bello & inter arma mortem oppetat.

Herodes quũ è medio sustulisset omnes filios, atq; tandem in morbum pestilentẽ incidisset, vt à vermibus viuus exagitaretur, desperata salute, ex omni Iudæa nobiliores cõcludi iubet. deinde vocatis ad se Salome sorore, Alexandróq; marito: Scio, ait, mortẽ meam festis gaudijs celebraturos esse Iudæos. proinde hos viuos qui habentur in custodia, occidite, vt etiam inuita omnis Iudæa omnísque domus illachrymet.

Ptolemæus quum quinquaginta millia Iudæorũ prælio occidisset, in victoria prouinciã peragrans, militibus iussit, vt quotquot Iudæorũ inuenirent, dilaniarent in frusta, quæ in cacabos coquenda iniicerent.

Icetes Aretam Dionis vxorem, sororémque Aristomacham, & filium adhuc puerum in mare viuos demersit.

Cambises Persarum rex, ex leuicula causa Præxaspis à secretis filium, vt dictum est, occidit. postridiéque 12. Persas è primariis necauit, viuos in capite defodiens.

Scytharũ crudelitas immensa, qui quẽ primum ex hostib. capiunt, eius sanguinẽ potant: & quoscunq; interemerint, capita ad regẽ afferũt. nam prædæ particeps fit qui prior capita attulerit, expers alioqui: caput verò in orbẽ amputat circa aures, verticéque sumpto excutit: deinde pellem detrahit, & vbi manibus ceu bouis corium molliuit, tanquam mantile posidet, & habenis equi appẽdit. sunt & multi qui cõsuant, & pro a

pro amiculis induantur: multi totos homines excoriatos supra equos circunferant. sunt & qui caput hostis infra supercilia recisum, corio bouis si pauperes sint integant, si diuites interius inaurent atque vtantur pro poculo. quod etiam de familiaribus agunt, si inter eos discordiæ intercesserunt, apúdque regem victoria potiti sunt. Ex Herod. lib. 4. Strabo addit, solitos hospites immolare, humaníque carnibus vesci.

Thraces dum tonat fulgurátque, in cœlum sagittas intendunt, deominantes, quod nullum alium deum præter suum esse arbitrantur.

Amestris Xexis vxor bisseptem illustrium Persarum liberos defodit, ad referendam pro se gratiam deo, qui sub terra esse fertur.

Galatæ quum de rebus magnis consultabant, hominem iugulabãt ense, éxque illius casu membrorúmque laniatu, atque etiam ex sanguine futura cognoscebant.

Annibal quum fossam sanguine humano plenam vidisset, ò formosum ait spectaculum.

Volesus Asiæ sub diuo Augusto proconsul, quum 300. vna die percussisset, incedens superbo vultu intra cadauera: ô rem regiam proclamauit, quis hæc rex fecisset?

Alboinus Longobardorũ rex è craneo Commundi Gepidarum regis in Pãnonia à se occisi, Scytharũ more craterẽ laminis aureis circũdatum parauerat, ibique bibebat. misitq; craterem Rosimundæ Commũdi filię, vxori suę, vt cũ fratre biberet. ea verò adeò excãduit, vt facta Veneris etiam suæ copia Hemelchidi iuueni: virum obtruncauerit.

Pythius Athys quum Xerxem hospitio susscepisset, omnibus filiis ad militiam vocatis: vnius vacationem quum petiisset, eum Xerxes medium dissecuit, vt in capite de Aulicis abundè diximus.

Darius quum bellum Scythis intulisset, rogatus ab Oroborto nobili sene, vt ex tribus liberis vnum saltem in solatium patri relinqueret: plus quàm rogabatur pollicitus est. omnes enim se illi dixit remissurum, & occisos in conspectu parentis abiecit.

Constantinus Sextus sumpto imperio adeò teter fuit, atq; crudelis, vt in deliciis habuerit, oculos plurimis eruere: sed illi postea, ab Hyrene matre, quæ filij flagitia detestabatur, à Constantinopolitanísque agitabatur, eruti sunt oculi: quásque aliis intulit pœnas, ipse pependit.

Ochus cognomento Artaxerxes, Ochasim sororem, eandémque socrum viuam capite defodi iussit, patruúmque cum centum & amplius filiis ne potibúsque iaculis confixit, fortitudinem apud Persas eam esse existimans.

Domitius Aenobarbus de humanitate malè audiebat. Iocatus igitur vrbanè in eum M. Crassus, mirandum non esse ait, quòd æneam barbam haberet, quum illi os ferreum & cor plumbeum esset.

Timon etiã asper inhumanúsque quũ esset, inhospitalis vocatus est.

Mithridates edictum contra Romanos protulit, in quo eodem die sæuiri iussit in eos, Italósque.

Ephesij etiam eos qui ad statuam confugerant, confecerunt.

Pergameni sagittis confixerunt, qui in Aesculapij templum se receperant.

Adramiteni comprænsos vnà cum impuberibus in mare iecerunt.

Daunij paulo antè à Romanis liberati à tribuendis tributis, quæ Rhodiis pendebant: primum raptorum è templis infanteis. Italorum in conspectu matrum necauerunt, deinde matres super illos: postremo viros addiderunt.

Traliani Theophilum quendam, agrestem hominem atque ferum, conduxerunt, qui in templo congregatos occiderit. occisi igitur Rogo. mil. huiusce edicti meminit Cicero, pro Pompeio.

Pherotima traditos sibi à Persis Barcæos, qui faciendæ cædis in Archesilaum eius filium authores fuerant, sudibus suffixit per murorum ambitum: Fœminarúmque desciss as mammillas circa muros appendit: sed ea vlta Barcæos, celerrimè in Aegyptum redit, ac pœnas crudelitatis pependit, viuens namque vermibus computruit.

Cneus Piso memoria nostra, ait Seneca libro primo de Ira, quum duci ad supplicium iussisset eum, qui sine commilitone rediisset, tanquam illum occidisset: roganti tempus ad conquirendum, non dedit, damnatus extra vallum deductus est. Et iam ceruicem porrigebat, quum subitò apparuit commilito. tunc Centurio supplicio præpositus, condere gladium spiculatorem iubet, damnatum ad Pisonem reducit. sed iratus Piso, omneis treis damnauit. Te, inquit, duci iubeo, quia damnatus es: te, quia causa damnationis fuisti: te centurio, quia iussus occidere, imperatori non paruisti.

Sylla septem millia Romanorum occidi iussit. & quum in vicino ad ædem Bellonæ sedens exaudisset exclamationem tot millium sub gladio gementium: exterrito senatu: Hoc agamus, inquit, Patres Conscripti, seditiosi pauculi meo iussu occiduntur.

Idem C. Marij sitas reliquias apud Anienem dissipari iussit.

C. Marius ciuili bello iratus Catulo, necessariis eius deprecantibus: non semel, sed sæpe respondit, Moriatur.

Damasippus Syllanorum principum vrbis capita hostiarum capitibus miscuit.

Flaccus Numentinus Pompeianarum partium amator, conclusus à Cæsare, Cæsarianos omneis confossos muris præcipitauit. Fœminas filiósque qui in contrariis castris erant, suspectantibus viris patribúsque, occidi iussit.

Cartaginenses, milites Romanos, Martio certamine captos, nauibus substrauerunt: vt carinis elisi, morerentur.

Præter hos, crudelitate infames Cilices, Centauri, item Bacchus: vel quòd olim homines illi sacrificabantur, vel ob ebrietatem.

Corsicæ insulæ incolæ immanitate feras omneis superant, ait Strabo.

Apud

Apud Homer. in Odiss. Penelope Vlyssì ait: Quicunque fuerit crudelis, ac solum inimicitias amplectitur, hunc & viuum homines oderunt, maláque imprecantur, & mortuum etiam conuiciis insectantur.

Crudelitatem precibus incrudescere ostendit in Hom. libro. 9. Iliad. Diomedes: Non fuit, inquit, princeps Agamemnon, faciundum tibi vt ad Achillem, mitteres legationem, vt supplicares, vt dona promitteres. Hoc enim modo hominem, alioqui tumidum, tumidiorem feci sti.

Augusto apud Vedium Pollionem cœnante, quum ob effractum crystallinum seruulus morti damnatus esset, mox murenis obiiciendus: ad pedes Cæsaris confluens puer, mortis genus deprecabatur, ne videlicet ad murenas obiiceretur, commiseratus Cæsar, ac crudelitatem simul detestatus: emitti puerum imperauit, vasáque eius generis confringi vniuersa mandauit: compleríque etiam piscinam, in quam mergebat damnata mancipia. Ex Seneca & Plinio. Apud Senecam Nedius corruptè legitur. Vide titulum de Seueritate.

DE CASV ATQVE EVENTV. X.

PHæreus iam tum deploratus à medicis vomicæ morbo, quum mortem in acie quæreret, vulnerato pectore medicinam inuenit ex hoste: ait Plin. in quo corruptè legitur Phalereus. nam Cicero ait id accidisse Phæreo Iasoni, de Natura deorum. & Valerius.

Q. Maximus Fabius apud flumen Isaram prælio commisso aduersus Allobrogum regem, febris quartanæ morbo leuatus est.

Hercules ab Iolæ connubio reiectus, Oechaliam diripuit. Iola sese è muro deiecit: sed seruata est, vestium sinu ventis inflato.

Valerius Torquatus in bello contra Tuscos visam Clusiam regis filiam ardens xv, orem petiit: sed reiectus, oppidum diripuit. Clusia se è turri deiiciens, eodem modo quo Iola seruata est. quam quum stuprasset (quamuis imperator) publico decreto in Corsicam in exilium missus est.

DE CREPITANDI LICENTIA. XI.

CLaudius imperator edictum edidit, quo venia daretur crepitus ventris emittendi: quum periclitatum quendam præ pudore ex continentia reperisset.

Stoici dicunt, crepitus æquè liberos ac ructus esse oportere: ait Cicero libro nono Epistolarum famil.

DE CAVSIDICIS. XII.

MArcus Cynthius legem tulit, qua causidici, munera ob agendam causam percipere prohibebantur. Hanc rem quum C. Cento molestè ferret, prodiisséque, ac satis contumeliosè dixisset, Quid fers Cinthiole? Vt emas, inquit Cai, si vti velis: quasi dicat, quia accipere munera gratis pro-

Universidad de Deusto Biblioteca

tis prohiberis.

Festiuum Val. Martialis epig. in seipsum:

Egi Sexte tuam, pactus duo millia, causam:
Misisti nummos quòd mihi mille, quid est?
Narrasti nihil, inquis, & à te prodita causa est:
Tanto magis debes, Sexte, quòd erubui.

Quintilium Varum Germani rebellantes, cum tribus legionibus opprimunt, occidúntque: sed præcipuè in patronos causarum sæuitum est. quum aliis oculos foderent, aliis manus amputarent, vni lingua recisa est, quam in manu tenens barbarus, Tandem, inquit, vipera sibilare desiste.

Claudius iussit, vt sine patrono vitæ ipse suæ rationem redderet vnusquisque.

Columella in lib. primi præfatione ait: Sine ludicris artibus, atque sine causidicis, olim satis fœlices fuerunt, futuræque sunt vrbes.

Lampridius in Diadumeni vita ait: Solent deinde pueri pileo insigniri naturali, quod obstetrices rapiunt, & aduocatis credulis vendunt: siquidem causidici hoc iuuari dicuntur. sed plura in capite de Patronis ac Aduocatis.

DE CONFESSIONE. XIII.

DYsander in Samothracia oraculum petens, iussus à sacerdote dicere quid deterrimum in vita egisset: ipse quoque sacerdotem rogauit, vtrum iussu suo, an deorum facere oporteret? at illo dicente, deorum: Tu igitur, inquit, hunc concede: ac illis, si percontentur, dicam.

Stagerius quidam, quum eius scelera testibus non potuissent deprehendi, confessus est ea bonis viris subauscultantibus, pariete interposito: quibus patefactis, rei capitalis damnatus est.

Liceat semel impunè peccasse, sit erranti medicina confessio: ait Cicero in epistola ad Octauium.

Vergilianus Priamus Sinoni suadet, vt memoret, quæ sit fiducia capto. Seneca in prouerb. Proximum ad innocentiam tenet locum verecundia, & peccati confessio.

DE COENIS COENIPETISQVE. XIIII.

DIogenes Cynicus rogatus quánam hora prandere oporteret: Si diues, inquit, est, quando vult: si pauper, quum potest.

Idem intuitus Platonem, oleas ex omni apparatu tantum gustantem: quid, inquit, sapiens vir in Siciliam huiusmodi mensarum gratia profectus, appositis modò non frueris?

Martialis de Selio cœnipeta ad Ruffum:

Quòd

Quòd fronte Selium nubila vides Ruffe,
Quod ambulator porticum terit seram,
Lugubre quiddam quod tacet piger vultus,
Quod penè terram tangit indecens nasus,
Et dextra pectus pulsat, & comam vellit:
Non ille amici fata luget, aut fratris,
Vterque natus viuit, & precor viuat:
Salua est vxor, sarcinæque, seruique:
Nil colonus, villicúsque decoxit:
Mœroris igitur causa quæ est? domi cœnat.

Eiusdem aliud epigramma in Menogenem cœniperam:

Effugere in thermis, & circa balnea non est
Menogenen, omni tu licet arte velis.
Captabit tepidum dextra læuáque trigonem:
Imputet acceptas vt tibi sæpe pilas.
Colliget & referet lapsum de puluere follem,
Etsi iam lotus, iam soleatus erit.
Lintea si sumes, niue candidiora loquetur,
Sint licet infantis sordidiora sinu.
Exiguos secto comentem dente capillos
Dicit Achillæas disposuisse comas.
Fumosæ feret ipse tropin de fece lagenæ,
Frontis & humorem colliget vsque tuæ.
Omnia laudabit, mirabitur omnia, donec
Perpessus dicas tædia mille: Veni.

Clodij Aesopi histrionis patina sestertiis sexcentis taxata est: in qua posuit aues cantu aliquo aut humano sermone vocales, nulla alia ductus suauitate, nisi vt in iis imitationem hominis manderet.

Athenodorus philosophus dicebat, ne ad cœnã quidem se iturum, ad eum qui sibi nihil per hoc debiturus sit.

Cœnæ tum Rectæ, tum Saliares, opiparæ & adiiciales dictæ, quæ lautissimæ essent. Plin. lib. 10. Pauonem cibi gratia Romæ primus occidit Hortensius orator, adiiciali cœna sacerdotij. Et Varro lib. 3. Rom. pontificum cœnæ laudatissimæ. Horatius in carminib. Abstinethæres Cæcuba dignior seruata centum clauibus: vt mero tingit pauimentum superbo Pontificum potiore cœna.

Macrobius lib. 3. Satur. celebrauit cœnam Lentuli flaminis Martialis: quo die inauguratus est à L. Iulio Cæsare augure. in ea tum patinarum mira copia, ac rerum: tum etiam virorum nobilissimorũ, Q. Catuli, M. Aemilij Lepidi, D. Sullani, C. Cæsaris, regis sacrorũ, P. Scæuolæ, Sexti. Q. Cornelij, P. Volumnij, P. Albinouani, Popiliæ, Perpeniæ, Liciniæ, Aruncæ virginis vestalis, & eius vxoris Publiciæ Flaminicæ, & Semproniæ socrus eius. Celebratur cœna triumphalis C. Cæsaris, in qua sex millia murenarum appositæ sunt. Sed in capite de

Conuiu

Conuiuiis plura.

Myconios cœnipetas esse, refert Suidas.

DE COGITANDI RATIONE ET consiliis. XV.

PYrrho Heliensis quũ solus loqueretur, in eo deprehensus, rogatus quid ita faceret: Meditor, inquit, bonus esse.

Demosthenes quum nunquam diceret ex tempore, sæpéque vt diceret à populo lacessitus, noluit, nisi prius cogitasset. quod cùm videret Pitheas, ait, Demosthenis enthymemata lucernam olere. Huic contrà tum Demosthenes: Non eandem sibi & illi lucernam constare.

Democritus Aetolorum prætor, apud Liuium, consiliis nullam rem esse tam inimicam quàm celeritatem ait. Celerẽ enim pœnitentiam, sed tandem seram atque inutilem sequi: quum præcipitata raptim consilia, neque reuocari, neque restitui in integrum possunt.

Artabanus Xerxi expeditionem in Græciam paranti ait, Iterũ dum tibi videbitur, re apud te ipsum considerata edicito, quod optimum esse arbitraberis: Bene enim cõsultare, comperio maximũ esse lucrum. Nam etiam si quid è contrario euenturum est, nihilo tamẽ minus bene consultum est. superauítque fortuna consilium.

Democritus dicitur oculis se priuasse, vt quàm minimè animus à cogitationibus abduceretur. Ex Cicer. li. 5. de Fin. & primo Offic. Omnis autem cogitatio, inquit, motúsque animi, aut in consiliis capiendis de rebus honestis & pertinentibus ad bene beatéque viuẽdum, aut in studiis scientiæ cognitionísq; versabitur. Seneca in lib. de For. hone. Vitæ cogitationes, ait, vagas & velut somno similes non recipias: quibus si animus tuus se oblectauerit, quum omnia disposueris, tristis remanebit. sed cogitatio tua stabilis certáque sit, siue deliberet, siue quærat, aut contempletur, non recedat à vero.

Thales rogatus, an facta hominum deos fallerent: sapienter, Nec cogitata quidem, ait.

DE CALVICIE. XVI.

Labieni caluiciem vrbanè Valerius Martialis ridet hoc epigrammate:

VIdissem modò fortè quum sedentem
Solum te Labiene, treis putaui.
Caluæ me numerus tuæ fefellit:
Sunt illinc tibi, sunt & hinc capilli,
Quales nec puerum decere possint.

Nudum

Nudum est in medio caput: nec vllus
In longa pilus area notatur,
Hic error tibi profuit decembri,
Tunc quum prandia misit imperator,
Cum panariolis tribus redisti:
Talem Geryonem fuisse credo:
Vites censeo porticum Philippi:
Si te viderit Hercules, peristi.

Myconij notantur caluicie, ait Strabo lib. 10. & Plin. li. 11. cap. de capillis: Quippe carentes eo gignuntur: sicut in Cauno Iyenosi. Et quædam animaliũ naturaliter caluent: sicut struthiocameli, & corui aquatici. Defluuium in muliere rarum, spadonibus non visum, nec vlli ante Veneris vsum: nec infra cerebrum, aut circa tempora atque aures hæc ille.

Orgenipæi sunt calui omnes, & ipsi & fœminæ, propter aquam, vt aiunt. Iulius Cæsar caluus fuit, ideóque nihil acceptius à Populo Romano accepit laurea. Caluus item Domitianus.

Apud Aegyptios caluicies rarissima: quia à pueris caput radere incipiunt. Aegyptiorúmque capita esse durissima: quia ob rasitationem ad solem reddantur compacta. Perfis verò capita sua fragilia, quia à pueris pilea thiaráque gestent.

Magno transmisso spacio à montosa salebrosáque Scythia, incolunt sub montium excelsorum radicibus homines: qui ab ipso natali dicuntur esse calui & caluæ, naribus simis, ingentíque mento, nuncupati Agrippæi. Ex Herod.

Apuleius libro secundo: Licet inquam Venus ipsa fuerit. licet omni gratiarum choro stipata. & toto Cupidinum populo comitata, & baltheo suo cincta: cinnama fragrans, & balsama rorans: calua processerit, placere non poterit nec Vulcano suo.

DE CONSOLANDI RATIONE. XVII.

COnsolandum esse præpropere amicos, ostẽdunt Tyberij imperatoris verba. Is enim quum Drusum filium amisisset, Ilienſium legatis paulò serius consolantibus, quasi obliterata iam doloris memoria, irridens Tyberius respondit: vicem dolere eorum, quòd egregium ciuem Hectorem amisissent.

Solon quum dolentem adolescentem vellet cõsolari, in arcem eum produxit, hortatúsque est, vt per omnes subiectorum ædificiorum parteis oculos circunferret. Quod vt factum animaduertit: Cogita nunc tecum, inquit, quàm multi luctus sub his tectis & olim fuerint, & nũc sint, & posthac sint futuri.

DIFFI

DIFFICILE QVID ESSET. XVIII.

CHilon rogatus quid esset difficile: Arcana, inquit, reticere, ocium rectè disponere, iniuriásq; tolerare posse. Pittacus, bonum esse. Bias, Ferre fortiter mutationem rerum in deterius. Thales, se ipsum nosse, & tyrannum fieri senem. Quid facile? alios monere. Cicero in Oratore: Quid tam difficile, quàm in plurimorum controuersiis iudicandis ab omnibus diligi?

Aristippus quum illi ænigma aliquando propositum esset vt solueret: Quid, inquit, ô stolide vis vt soluam, quod etiam inuolutum nobis negocia præbet?

DE DOLIS. XIX.

PLancus in iudicio amici quum molestum testem vellet destruere, interrogauit (quia sutorem sciebat) quo artificio se tueretur. Ille verò falsè respondit, Gallam subigo: sutorium hoc habetur instrumentum, quod non infacetè in adulterij exprobrationem ambiguitate conuertit. nam Plancus in Mæuia, Galla nupta malè audiebat.

Claudius Centumalus iussus, vt domus altitudinem, quam cõdiderat in Cælio, demoliretur, quia auguria captantibus officeret: statim vendidit Calphurnio lanario, qui edoctus decretum augurum, rem ad Marcum Portium Catonem, Catonis inclyti patrem, detulit. Qui statim venditionem vitiosam emendauit. Centumalúmque pecuniam restituere iusit.

Horatij Coclitis viri fortissimi statua quum de cœlo tacta esset, acciti ex Etruria aruspices hostili in Romanum populum animo, suasérunt statuam illam in inferiori parte poni, quæ à sole non repercuteretur. Delati verò ad populum, & proditi, quòd contrarium suasissent necati sunt. vnde ortum adagium, Malum consilium consultori pessimum.

Nauplius Palamedis pater, dolens filium Græcorum insidiis factionéque occisum: quum spectaret Græcorum classem post excidium Troianum ad Græciam redeuntem, fluctibus quati, Caphárium Eubœæ montem ascendit, eleuatáque facula signum dedit vicini portus. qua re decepti Græci, inter asperrimos scopulos naufragium pertulerunt.

Appius, victo Antonio ab Octauio seruis bona distribuit: & in Siciliam cum ipsis vt transiret, nauem ascendit. Illi insurgente tempestate, auri cupiditate permoti, Appium parua quadam rate quasi tutiorem in spem deponunt, contigítque vt præter omnium opinionem ille euaderet, seruíque perfracta naue ad vnum interirent.

Alcmena pariens, quum Lucinam inuocasset, eáque à Iunone corrupta

rupta propter viri cum Alcmena concubitum, ante fores sederet connexis in genibus digitis, ne pareret: Galantis puella Alemenæ ministra dolum conspicata, sedenti vetulæ Alcmenam ait peperisse, solutis igitur à Lucina digitis, Alcmena, quæ prius parere non poterat, peperit. Dolus igitur quum Lucinæ innotuisset, Galantidem in mustellam conuertit.

Daniel quum in lacum leonibus dilaniandus à Dario esset immissus, leonésque Danieli omnino pepercissent, quidam è satrapis quum dicerẽt, leones abstinuisse, vtpote satiatos, iussi sunt ipsi in lacum mitti: qui statim à leonibus sunt deuorati. Passus autem hæc à Dario est Daniel, ob inuidiam accusantium aulicorum.

Perilaus, qui & Perillus ab Ouidio nuncupatur, vt rem gratam Phalaridi tyranno faceret, commentus est nouum mortis instrumentum, Taurum æneum, in quo necandos includebat, atq; supposito igne, longo & abdito cruciatu, mugitum resonante, spiritum edere cogebantur, ne eiulatus hominis apud Phalaridem misericordiam inueniret: sed à tyranno ipse artifex prior inclusus, sceleris pœnas luit. Plutarchus Tertium hunc vocat.

Tyberius imperator Seleucum grammaticum ad se præparatum venientem, primùm à contubernio amouit, postea etiam ad mortem compulit.

Gryphus Demetrij filius, recuperato Syriæ regno, externísque periculis liberatus, insidiis matris appetitur: quæ quum ob cupiditatẽ dominationis, prodito marito Demetrio, altero filio interempto, huius quoque victoriæ dignitatem suam fractam doleret, venienti ab exercitatione veneni poculum obtulit, sed Gryphus prædictis insidiis, veluti pietate cum matre certaret, bibere ipsam iubet: abnuenti instat. Postremò prælato indice eam arguit. solam defensionem sceleris superesse affirmans: Si bibat, quod filio obtulit, sic victa regina scelere, in se verso veneno, quod alij parauerat, extinguitur.

Rosimunda Alboini Longobardorũ regis vxor, quum virum confecisset adiutore Helmelchide, cui copiam sui fecerat, ad Rauennam cum adultero pulsa confugit: honorificentissiméq; à Longino excepta est, pertentatáque ab illo, vt sublato Helmelchide eius vxor fieret (ita enim posse in regnum Longobardorum restitui) assensit. Exeunti igitur è balneo Helmelchidi veneni potionem ceu ad reparãdas vires propinauit: cuius partem quum ille hausisset, intestinis commotis putauit venenum fuisse, iussit itaque vxori, vt reliquam partem & ipsa biberet: retractanti instat, gladióq; arrepto nisi bibat, necem cõminatus, bibere illam coegit, eodémque & die & mortis genere ambo adulteri elati sunt.

C. Ticinius Minturnensis Fanniam vxorem impudicissimã de industria duxerat: sperans ea adulterij damnata, dotẽ extorquere. Quum igitur penes Marium iudicem causa ageretur, dótémq; possideret, ad-

monitus sæpe à Mario,vt ab incepto desisteret,dotémque redderet, quum iussis non obtemperaret,iudicium Marius tulit,vt dos mulieri restituatur,illámque sestertio nummo ob impudicitiam puniit.

Claudius Gorgonius vir clarissimus vxorem accusans, quum detectus esset vxorem in adulterio deprehensam retinuisse,etiam sine accusatore lenocinio dãnatus est à Diuo Seuero.ait Vlpian.li.48.dig.

Lucius Terentius Pompeij contubernalis,pecuniis à Cinna corruptus est,vt Pompeium occideret.Non latuit res Pompeium. Itaq; vitatis insidiis,circa patrem accubuit: dispolito tamen ita lecto,vt homo iacere videretur.Terentius existimans Pompeium esse in lecto, vbi consueuerat dormire,ense stricto in Pompeium veluti dormientem,complures frustra adegit ictus.

Cercopes Ephesum incolentes,adeo sunt dolosi,vt Iouem quoque decipere conati sint:à quo in simias sunt commutati.

Diophantus Herodis regis scriba percallidus,ad cuiuslibet manus literas imitandum,dum falsa scriptura multos apud Herodẽ damnat, ab Alexandro occiditur.

Gallienus imperator,quum quidam gemmas pro veris vitreas vendidisset vxori,atq; illa re prodita vindicare vellet,surripi quasi ad leonem venditorem iussit. Deinde de cauea caponem emittit,mirantibúsque cunctis rem tam ridiculam,per Curionem dici iussit.Imposturam fecit,& passus est.

Darius rex quum iureiurando promisisset,non esse occisurum veneno,aut ferro,aut vlla vi,aut inopia alimentorum,Oanem,Itaphernem,Gabriam,Megabizum,Aspitiem,Hydarnémque,qui fuerant sorcij in opprimendis Magis :nouum mortis commentum excogitauit. nam septum altis parietibus locum cinere oppleuit,suppositóq; prominente tigno,benignè cibo potúque exceptos in eo collocauit,è quo somno sopiti in illam insidiosam congeriem deciderunt.

Lysander dicere solebat,quò leonis pellis non attingeret,insuendam esse vulpinam.

Pardalisca Stalionis ancilla,vt ludificaret herum amantem,insanire se assimulauit. Vtitur ergo in Plauti Casina his verbis:Here mi Stal.Quid tibi est?quid timida es?Pard.Perij,& tu periisti. Stal.Aperi: quid tibi?Pard.Ve tibi. Stal. immo istuc tibi sit.

Dionysio Syracusis pulso, tutelámque vrbis tenente Dione:Sosis flagitiosissimus,vt populum ad se alliceret,nudus per forum curritabat capite sanguinolento,dicens se à Dione iniurias perpessum: parúmque abfuit quin in Dionem irrueretur,sed patefacto dolo(nã seuerior tantũ cutem vulnera fœdauerant,ipséq; Sosis cum nouacula antè visus fuerat)in eum reiectis criminibus,Syracusani supplicio afficiunt.Par exemplũ de Pisistrato est,in capite de Proditoribus.

Epidicus seruus in Plaut.Epid.quum Thesprio conseruus illi dixisset:Quid istuc ad me attinet,quo intereas modo?festiuè respondit: Quia perire solus nolo,te cupio mecum,benenolus cum benevolente.

Diana in Orionis amorem inciderat,vt penè relicta pudicitia illi nuberet,indoluit Apollo,Orionémq; perdere cogitabat, dolo igitur illum aggreditur,nam quum Orionis natantis tantum caput extaret,contendit Apollo cum Diana, eam non posse sagitta assequi id quod nigrum in mari videretur,ea igitur sagittã dirigit,Orionémq; inscia occidit.

Promerus quidam regius ministèr, Euripidem tragicum poetam supra modum exosum habebat, quare canes feros quum in Euripidem immisisset,ab eis ipse deuoratus est,pœnásque pertinaciæ mansuetis musis exoluit.Valer.verò & Gell.aiunt,Euripidem redeuntem è cœna,Archelai canibus ob inuidiam immisis vulneratum,atq; ex illis vulneribus mortuum.

Rebulum in Antoniana proscriptione nauta intra nauẽ susciplens, quasi in Siciliam deducturus,pecunias ab eo postulauit,eundem indicare velle comminatus,nisi tradidisset: Ille Themistoclis in morem effecit,comminatus & illum pariter accusare velle,quòd ob pecunias intra nauem recepisset,conterritus igitur nauta,Rebulum ad Pompeium deduxit.

Datames Camissaris Charis filius, & Scytissæ, astutia singulari prudentiáque vigilanti fuit:ita vt quum aliquando ab amicis sibi esset nunciatum,insidias sibi construi,vt rem experiretur,quempiam è suis vestitum suis vestibus ornatúq; præmisit,quà insidiæ parabantur: vbi impetus in Pseudodatamen factus est,accurritur,insidiatoréque pulsi & occisi sunt.Sed post deinde Mithridates,quum simulata amicitia in colloquium lacessisset,collocatis armis occultatísq; in pluribus locis à Mithridate,missis vtrinque perscrutatoribus nihil armorum inuentum est,quúmque diu fuissent in colloquio,vtrinq; absscessum est,sed quum Mithridates,vbi telum occuluerat resedisset,ocium assimulans, capto ense,vestibúsq; occultato,Datamen reuocat,tanquam dicturus aliquid quod esset oblitus. At ille quum venisset improuisus,à Mithridate occiditur,adeò neminem esse tam solertem,qui nõ posset ab insidiante decipi.Plautus in Rudente:ò Gryppe Gryppe,inquit,in ætate hominum plurimæ sunt transennæ,vbi decipiuntur dolis,atq; ædepol plerunque in esca imponitur, quam si quis auidius poscit,escam, auariter decipitur in transenna,auaritia sua.

Xerxem,quum suis ob imbecillitatẽ contẽptui esse cœpisset,Artabanus eius præfectus in spem regni adductus,cum septem robustissimis filiis regiam ingressus,primum obtruncat,filiósq; etiã regis dolo aggreditur.Deinde Artaxerxi puero suadet,Xerxem patrem à Dario adolescente,quo maturius regno potiretur,occisum. Darius igitur dormiens inuentus,occiditur. Sed veritus Artabanus consilia principum,rem indicat Baccabasso,quem in societatem assumpserat,ille ve-

rò rem indicat Artaxerxi,quamobrem Artaxerxes iubet in posterum diem paratum exercitum iri,vt milites recognoscerent: ibíque quum inter cæteros Artabanus adesset,rex simulans se breuiorem loricá habere,iubet Artabanum secum commutare:exuentem illum,ac nudatum gladio,traiecit,dolúmque dolo vindicauit.

Mithridates post multa parricidia,quum instructo exercitu contra Ariarathem,ad colloquia iuuenem euocasset: ferrum inter fasces occultans,scrutatori ab Ariarathe Regio more misso,curiosius imum ventrem pertractãti:Caueret,ait,ne aliud telum inueniret quàm quæreret,atq; in risum conuertit,sed seuocatum illum ab amicis velut in secretum sermonem,expectante vtroq; exercitu,interficit,vide in eodem doli genere duplicem Mithridatis successum.

Ptolemæus Ceraunicus quum pulso Antigono,regnum totius Macedoniæ occupasset,pacem cum Antiocho Pyrrhóq; facit: dolos posthæc Arsinoæ sorori parat,eiúsque nuptias petit,vt illam filiis quos sustulerat è Lysimacho duobus,altero sedecim annos, altero tredecim natis,pariter & Casandra vrbe spoliaret.Non latebat sororẽ ingenium ferum Ptolemæi:sed timens fraternã in se rabiem acuere,si denegasset,mittit Dionem ad fratrẽ:ille verò tãgens manu altaria,deorúmq; simulachra puluinariáque vltimis execrationibus adiurat,se syncera fide sororis petere coniugium.Impleta igitur bona spe Arsinoe,in matrimonium consentit,vocatóq; exercitu ad concionem capiti sororis diadema imponit,reginámq; iubet appellari. Quibus rebus læta Arsinoe,vltro ad Casandrã vrbem inuitat.Progressa igitur,domos templa,cæteráque omnia ob viri aduentũ iubet exornari.Filios quoq; Lysimachum,minorémque Philippum,coronatos Ptolemæo occurrere iubet:quos Ptolemæus vltra modum amplexus,oculis diu fatigat,vbi ad vrbem ventum est,occupari arcem iubet, ac pueros interfici,qui quum ad matrẽ confugissent,in gremio matris inter ipsa oscula trucidantur,quæ pueros amplexata,corpore vulnera quæ filiis intendebantur excipere frustra conata est:Ad postremum spoliata etiam filiorum funeribus,scissa veste & crinibus sparsis cum duobus seruulis ex vrbe pertracta,Sãmothraciam in exiliũ abiit,eo miserior,quòd mori cum filiis non licuit.Sed nec Ptolemæo inulta scelera fuerunt.nam breui pòst à Gallis spoliatus regno, captúsque vitam ferro(vt meruerat) amisit,capútque,eius amputatum lancea fixum,tota acie ad terrorem hostium circunlatum est.

Megarenses matronas Athenienſium in Eleusiniis sacris noctu oppressuri, naues conscendunt,cognita re Pisistratus Athenienſium dux insidias collocat,in quas quum incidissent Megarenses,nauibus egressi,capti sunt protinúsq; classe captiua,intermixtis mulieribus vt speciem captiuarum præberẽt, Pisistratus Megaram cõtendit.Megarenses verò læti,videndi studio quum ad portam aduolarent,à Pisistrato cæduntur:parúmque abfuit,quin vrbs quoque caperetur.

Prusias

Prusias Bithyniæ rex quum consilium cepisset,Nicomedem filium occidendi,vt regnum cederet minoribus filiis,quos ex secunda vxore susceperat,non latuit Nicomedem:hortatúsque ab amicis,vt scelus in authorem retorqueret,vt primùm in patris regnum venit,rex appellatus,patrem Prusiam regno spoliat,ac postea assecutum conficit.

Triptolemus quum ad litus Lyci regis venisset,illúmque fruges serere edocuisset:Inuidit Lycus,hospitísque laudes ad se trãsferre conatus,perdere illum statuit.Triptolemus verò re cognita,stricto gladio Lycum insecutus est,qui in Lycam feram conuertitur,morúmq; varietatem colore præ se fert.

Aduatici quum se Cæsari tradidissent,atque armorum tertiam partem apud se inscio Cæsare retinuissent: dato fœdere,recipiente se in castra Cæsare,cõparatis è vimineis aut cortice scutis,contectis pellibus,Cæsarem noctu adoriuntur: à quo repulsi sunt,oppidúmque captum venditúmque est.

Augustus Herenniũ deditũ vitiis iuuenẽ quum castris excedere iussisset,suppléxq; ille hac vteretur deprecatione,Quũ ad patrias sedes reuertar,quid patri dicã meo?vrbanè:Dic,inquit ille,me displicuisse tibi.

C. Cannius eques Rom.Syracusas ociandi gratia profectus, dictabat se hortulos aliquos velle emere. Pythius quidam dixit se hortos venales non habere,sed licere vti Cannio si vellet, vt suis: in posterúmque diem Cannium inuitauit.Tum Pythius conuocat piscatores, orátque vt ante suos hortos piscarentur.Cannius ad cœnã venit:cymbarum ante oculos multitudo,pro se quisque quod ceperat afferebat, ante pedes Pythij pisces afferebantur.Tum Cannius, Quæso,inquit, quid est ò Pithi,tãtum ne piscium?atque ille:Quid mirum,ait:hoc loco est,Syracusis quicquid est piscium.Incensus Cannius à Pythio contendit,vt venderet,grauatè ille primo:quid multa?impetrat,emit hodie familiares suos. Venit ipse maturè:scalmum nullũ videt,quærit ex proximo,num feriæ quædam piscatorum essent,quod eos nullos videret.Nullæ,quod sciam,inquit: sed hic piscari nulli solent.Itaque heri mirabar quid accidillet,atque hoc modo Cannius lusus est.

Agesilaus Mineruæ bouem immolaturus,quum à pediculo morderetur, captum palàm necauit:Per deósque,inquit iucundè, vel in ara insidiatorem occidere licet.

Cleopatra Aegypti regina in apparatu belli Actiaci,gratificationem ipsius reginæ Antonio timente, nec nisi prægustatos cibos sumente,fertur ab ore eius lusisse,extremis coronæ floribus veneno illitis,ipsáque capiti imposita,procedente mox hilaritate inuitauit Antonium,vt coronas biberent:quis istas timeret insidias? Ergo cõcepta in scyphum incipienti haurire apposita manu:En ego sum,inquit,illa,chare Antoni, quam tu noua prægustantium diligentia caues.adeò mihi,si possem sine te viuere,occasio & ratio adest.Inde edu-

ctam è custodia, bibere iussit illicò expirantem.

Alcibiades, quum Niciam antea insimulasset, quòd victoriam penè partam reliquisset, populóque Lacedæmonio multum concessisset: machinatus est etiam maius oportuniúsque commentum. nam quum Lacedæmoniorum legati Athenas venissent, fœderis gratia percutiendi, amicitiæque firmandæ, atque apud senatum gratum fuisset quòd exposuissent, dolo legatos circunuenit: ad illos enim veniens, persuasit ne eandem apud populum orationem haberent, sed regerent potestatem sibi concessam, ac frigidè aliquantulum rem enuntiarent (facili enim negotio senatus populum ad suam opinionem deducet) id quum fecissent legati, posiliit Alcibiades, ac velut infidam inconstantémque legationem in senatus populíque inuidiam adduxit. reiectis igitur legatis, dux militiæ Alcibiades statim decernitur.

Testudo marina insulæ penè magnitudine, quum se emergit, scopuli faciem præ se fert: immobilis quidem donec alligent nauem nautæ, alligatam trahit. eadem esuriens os aperit, quò ob bonum odorem, pisces qui accesserint, deuorentur.

Famosi insidiis Lusitani, scrutatores, agiles, ex Strabone. Item Simon quidam, & Nicon, apud Vergilium Sinon. Famosi Aeginetæ: Item Eurybates quidam: item Thessali. vnde Aratus Thessalus quum sexcentorum hominum capita deo sacrificaturum pollicitus esset, ne votis ab aduersario superaretur, vt impetratum est, cunctatus est Apollini sacra persoluere. Adde his titulum de Calliditate & astu.

DE DISSENSIONE ATQVE discordia XX.

AD plebem quæ à patribus secesserat conciliandam, mitti placuit oratorem Menenium Agrippam, virum facundum ac plebi charum. intromissus in castra: Tempore, inquit, cùm membra in homine non vt nunc in vnum consentiebant, sed singulis membris suum cuique consilium, suus sermo fuerat: indignas reliquas partes, sua cura, suo labore ac ministerio ventri omnia quæri: ventrem in medio quietum, nihil aliud quàm datis voluptatibus frui: conspirasse inde ferunt, ne manus ad os cibum ferrent, nec os acciperet datum, nec dentes conficerent. hac ira dum ventrem domare vellent, ipsa vnà membra totúmque corpus ad extremam tabem venisse. Hac fabella plebem patribus conciliauit.

Intestina seditio tanto deterior est bello, quanto deterius bellum pace: ait Herodotus.

Pisistratus Orchomeniorum rex plebi fauebat: quare à nobilibus in senatu discerptus, intráque sinus conditus est. plebe verò aduolante, Imperatus regis filius ætate minor, conspirationis conscius, plebi ait, Patrem à se visum supra mortalem speciem ad Piseum montem magna

magna velocitate deferri. atque ita plebs placata est.

Romulus quum plebem summo studio affectaret, atque etiam complureis plebis gratia supplicio affecisset, à patribus in senatu dilaniatus est, inque sinu conditus. Plebs ad curiam cum facibus discurrens, à T. Proculo reuocata est, dicente se Romulum in monte augustiore forma vidisse.

Claudius imperator, Lyciis ob exitiabiles inter se discordias libertatem ademit, Rhodiis ob pœnitẽtiam veterum delictorum reddidit.

Plutarchus in Agidis vita ostendit, quantum mali discordia pariat, ex festiua fabella. ait enim: Serpenti aliquando contigit, vt eius cauda aduersus caput seditionem faceret. petiisséque, vt vicissim quandoque sibi ducem reliqui corporis esse liceret, nec semper caput ducem sequi cogeretur. Igitur accepta ducendi potestate, fiebat vt ipsa sine intuitu sese mouens grauiter offenderetur, nec minus caput quod cæcum surdúmque ducem, præter naturæ institutum sequeretur, in eandem perniciem traheretur.

Demarathus Corinthius, quum à Philippo Macedonum rege hospitio susceptus esset, qui ob nouas Cleopatræ nuptias, à se Olympiadem Alexandrúmque auocauerat: dicenti Philippo, quo pacto Græci inter se mutuam agerent concordiam, respondit: Tua minimum interest Philippe, Græciæ curam susçipere, qui tot discordiis ac calamitatibus propriam cumulasti regiam.

Etheocles & Polynices, Oedipi Thebarum regis filij, adeò de regno inter se disceptarunt, vt mutuis vulneribus cederentur, quin etiam cadauera eorum eadem pyra imposita diuersum fumum edidere.

Hyenæ tali sinistri cinere decocto cum sanguine Mustelę peruncti, omnibus odio euenere. Chameleontis verò intestina & fimum cum similarum vrina illita, inimicorum immane odium, omniúmque hominum conciliare, ait Plin.

Apud Hyperboreos nullum est discordiarum genus. Excitantur autem, quocunque siderites lapillus infertur. Ex Plin. Primum autem bellum in Italia gestum est inter Sicanos Aborigenésque.

Marcus Agrippa vir ingentis animi, dicere solebat, multum se huic sententiæ debere: Nam concordia paruæ res crescunt, discordia maximæ dilabuntur: ait Seneca in epistolis libro 14. qui & in prouerbiis, Auxilia humilia, firma consensus facit, ait.

DE DONANDI RATIONE, ATQVE muneribus. XXI.

ARtaxerxes Persarum rex, quum illi obequitanti in via pauper quidam nihil aliud habens, ambabus aquam è vicino profluente haustam manibus obtulisset, iucundè susçepit, arrisitque. Vide in capite de Imperatore.

Festiuum Valerij Martialis epigramma in Lupum:

Donasti Lupe rus sub vrbe nobis,
Sed rus est mihi maius in fenestra.
Rus hoc dicere, rus potes vocare,
In quo rura facit nemus Dianæ?
Argutæ tegit ala quod cicadæ?
Quod formica die comedit vno?
Clausæ cui folium rosæ corona est?
In quo non magis inuenitur herba,
Quàm costi folium, pipérve crudum.
In quo nec cucumis iacere rectus,
Nec serpens habitare tota possit.
Erucam male pascit hortus vnam,
Consumpto moritur culex salicto,
Et talpa est mihi fossor atque arator.
Non boletus hiare, nec mariscæ
Ridere, aut violæ patere possunt.
Fines mus populatur, & colono
Tanquam sus Calydonius timetur.
Et sublata volantis vngue Prognes.
In nido seges est hirundinino,
Et quum stat sine falce, mentuláque,
Non est dimidio locus Priapo.
Vix implet cocleam peracta messis,
Et mustum nuce condimus picata.
Errasti Lupe litera sed vna:
Nam quo tempore prædium dedisti,
Mallem tu mihi prandium dedisses.
Aliud eiusdem vrbanissimum:
De prætoritia folium mihi Paule corona
Mittis, & hoc phialæ nomen habere iubes.
Hac fuerat nuper nebula tibi pægma perunctum,
Pallida quam rubri diluit vnda croci.
An magis astuti derasa est vngue ministri,
Bractea de fulcro quod reor esse tuo.
Illa potest culicem longè sentire volantem,
Et minimi penna papilionis agi.
Exiguo volitat suspensa vapore lucernæ,
Et leuiter fuso rumpitur icta mero.
Hoc linitur sputo Iani cariota calendis,
Quam fert cum paruo sordidus asse cliens.
Lenta minus gracili crescunt colocasia filo,
Plena magis nimio lilia sole cadunt.
Nec vaga tam tenui discurrat aranea filo,
Tam leue nec bombyx pendulus vrget opus.

Cra

Crassior in facie vetulæ stat certa Fabullæ,
Crassior offensa bulla tumescit aqua.
Fortior in tortos seruat vesica capillos,
Et mutat Latias spuma bataua comas,
Hac cute Ledæo vestitur pullus in ouo,
Talia lunata splenia fronte sudent,
Quid tibi cum phiala, ligulam quum mittere possis?
Mittere quum possis vel cocleare mihi?
Magna nimis loquimur, cocleam quum mittere possis,
Denique quum possis mittere Paule nihil.

Epaminundas quum hominem nequam ob mediocre scelus in vincula coniecisset, Pelopidæ efflagitanti non dimisit: sed amicæ supplicanti concessit, dicens, scorta decere, non imperatores, eiusmodi dona ac ipere.

Socrates, quum Alcibiades grandem daret aream ad construendam domum, vrbanè: An verò, ait, si calceamentis opus esset, corium dares, vt calceos mihi ipse conficerem?

Antisthenes Pontico adolescente pollicenti, illum fore sibi curæ, si nauis qua salsa veherentur, applicaret. sumpto statim secum illo, vaséque nouo mulierem quæ farinam vendebat adiit, & ea accepta proficiscebatur: Illa verò precium petente: festiuè, Hic, inquit, adolescens dabit, si salsorum ipsi us nauis applicuerit.

Dionysius iunior quum sæpe pecuniam Platoni daret, atque is nunquam acciperet: Aristippus qui aderat, Tuto, inquit, liberalis & magnificus est Dionysius.

Augustus delectatus inter cœnam symphoniacis Thuronij Flacci mangonis, eos frumento donauit, (quum in alia acroamata, id est festiuitates fuisset liberalis nummis) eosdem quum postea peteret, ad frumenti liberalitatem modicam alludens Thuronius, Ad molas, inquit, sunt.

Fabius Maximus quum accepisset, militem Marsum strenuissimum ad defectionem tendere, ad se vocatum subaccusauit, quòd nulla in re officium eius exposceret. eúmque equo acerrimo, plurimísque donatum muneribus, sibi conciliauit, ac fidelissimum habuit.

Marcellus Lucium Bandium Nolanum, virum strenuissimum (qui apud Cannas obtruncatis Pœnorum plurimis egregiè dimicauerat: sed eum tandem inter multa cadauera confixum spiculis Annibal admiratus, bene curatum, multisque donis honestatum domum remiserat) conciliauit hac ratione. nam cõspicatus ad Annibalem illum incli nare, laudatum prius summis laudibus, donatum eximio equo, & quingentis argenti drachmis, fidelissimum habuit.

Galba delectatus inter cœnandum tibicine Cano, iussit loculum ligneum ad se afferri & acceptos, nummos in Cani manus imponens, dixit, Non ex publicis, sed ex priuatis te dono pecuniis.

Dona diis esse grata, tum Homerus in plerisque locis, tum Liuius libro primo decadis 3. indicat. Nam quum populus, ait, Romanus Quintum Fabium Pictorem legatum ad Delphos misisset, ab Apolline accepit, tum victoriam duelli fore, si de manibus spoliisque ad eum mitterent. Et Crotonienses quum vouissent Apollini decimas ex hostium præda, Locrenses nonas vouerunt: consertóque bello, Locrenses victoria potiti sunt.

Donandi ratio & cautiones, à Cicerone in Officiis diligentissimè describuntur. Notandum illud ex eodem, libro nono Epistolarum ad Dolabellam, Munusculum mitti leuidense crasso filo quid sit. eius enim verba sunt hæc: Oratiunculam pro Deiotaro, quam requirebas, tibi misi: quam velim sic legas, vt causam tenuem & inopem, nec scriptione magnopere dignam. sed ego hospiti veteri & amico munusculum mittere volui leuidense, crasso filo: Leuidensis autem, vestis erat crasso filo, vilique.

Agamemnon apud Homerum, Achilli septem tripodas, viginti lebetes, decem auri talenta destinat, duodecimque equos pro eo placando. Apud eundem Neptunus: Vereor, inquit, ne magnanimus Aeneas ab Achille conficiatur. sed quid malo immerito, aliorum gratia afficitur? semper enim diis grata munera exhibet. Plura in Cap. de Liberalibus dicentur.

DE DESPERATIONE. XXII.

VEspasianus imp. suadet militibus, vt Iudæorum incursionem facientium impetum vitent, neque cum hominibus mortis auidis manum conserant: nihil enim esse fortius desperatis.

Themistocles Græcia pulsus, quum ad regem Persarum perfugisset, ab eóque esset multis muneribus honestatus, ad seruos conuersus vrbanè ait: O pueri, perditi eramus, nisi periissemus. Plutar. in Apoph. at in Themistoclis vita, filios non seruos dicit.

Iuba rex, qui Pompeianas partes secutus fuerat, victore Cæsare, desperata salute, cum Petreio socio, vt virtute interfecti viderentur, decertat. Cadit Petreius. ipse verò quum non posset gladio pectus traiicere, precibus impetrauit à seruo, vt confoderetur: atque obtinuit.

Theogenes Numantinus ciuium præstantissimus, afflictis Numantinorum rebus, è vico suo omneis inter se decertare iubet omnibúsq; extinctis in ignem moriturus, ne præda Romanorũ fieret, sese immisit.

Locrenses quindecim millia militum, contra Crotonienſium 120. millia quum produxissent, tantum ardorem ex desperatione concepe-runt, vt dum mori honestè quærunt, fœlicius vincerent.

Philippo Abydum oppugnante, Abydeni iureiurando coacti sunt, se omnes inter se occisuros, si aciem cæsam suorum pro muro pugnantem

tem vidissent. Aetásque militaris iurauit, neminem viuum nisi victorem acie excessurum. Atque adeò pertinaciter pugnauerunt, vt rex territus eorum rabie, pugna abstiterit.

DE DISCIPLINA, ATQVE DISCIPULIS. XXIII.

ANdroclidas †Lacon, quum Agesilaum in pugna vulneratum aspexisset, Mercedem, inquit, à Thebanis recipis, quos neque volenteis neque scienteis pugnare docuisti. †Antalcidas, ex Plutarch. Apophthe legendum.

Diogenes Cynicus, quum adolescens quidam illum vellet philosophari, peram dedit deferendam, ac sequi iussit. at ille præpudore abiecta quam ferebat pera, abscessit, sed post aliquantulum temporis occurrens illi Diogenes ait: Tuam & meam amicitiam pera dissoluit.

Antisthenes Pontico adolescenti, qui se illi in disciplinam dabat, roganti quánam re sibi opus esset: libro, inquit, nouo, & stylo nouo nouáque tabella: animum videlicet significans.

Timotheus tibicen duplicem exigebat mercedem ab eo, qui ab altero esset antea edoctus: quia esset illi duplex labor subeundus, & noua docendi, & dedocendi vetera.

Euclides, quum lege cautum esset ab Athenienſibus, nequis è Megarenſibus Athenas vnquam ingrederetur, mulcta capitis indicta: sub muliebri habitu, antequam adueſperascet, ad Socratem audiendæ philoſophiæ gratia veniebat, & antelucano tempore redibat, viginti millia paſſuum emensus.

Cato ad discendum tardus erat: cæterum quæ ediscceret, memoria continebat.

Epicurus gloriabatur, se præceptorem habuisse nullum.

Manlius, senator ille maximus, nobilis, fuit doctrinis, doctore tamen nullo, ait Plinius.

M. Antoninus philoſophus atque imperator, eouſque præceptores dilexit, vt Frontonis statuam posuerit, Proculum adconsulatum vſque prouexit: Iunium Rusticum Stoicæ disciplinæ peritissimum, ante prætorij præfectos semper oſculo proſecutus est, consulémque etiam deſignauit: cui post obitum à senatu statuam postulauit. Tantumque honoris præceptoribus suis detulit, vt imagines eorum aureas, sepulchráque eorum aditu, hostiis floribus semper ornaret.

Camillus mira virtute humanitatéque, Fabricius & Scipio è Pignatellorum familia nobiliſſimi adoleſcentes tres, magno ingenio & elegantia, ea me proſequuntur charitate (à puerilibus enim annis à me sunt eruditi) vt nihil sit quòd ab illis fruſtra expetam.

Aristippus Cyrenaicus, qui primus Socraticorum mercedem exegit,

egit,quæstúque philosophatus est:magistrum Socratem pecuniis semper impertiuit.

Criton Athenienſis,adeò vsque præceptorem Socratem affectu prosecutus est, vt nunquam aliquid ex iis quæ sunt ad vsum necessaria,sibi deesse pateretur.

Xeniadæ Diogenis heri filij,præceptoris Diogenis curam non habebant vulgarem:immò patri semper reddebant cõmendatissimum.

Platoni quum Dionysius dixisset,caput tibi quispiam tollet: Xenocrates Platonis discipulus qui aderat,suũ ostendens: Nullus,inquit, id prius quàm istud abscindet.Iuuenalis Satyra 7. Dij maiorum umbris tenuem & sine pondere terram, Spirantésque crocos & in vrna perpetuum ver,Qui præceptorem sancti voluere parentis Esse loco. Plinius in Epistolis:Est enim benignum,vt arbitror,& plenum ingenui pudoris,fateri per quos profeceris.Vide in Cap.de Literis,Charondas.

Aristoteles ad Platonem audiendum, decimum & septimum ætatis annum agens, dicitur accessisse:vigintíque apud eũ annos fuisse discipulus.Zenonem etiam 20.annos auditorem fuisse constat.ferúntq; dixisse: Tunc secundis ventis nauigaui, quum naufragium feci. Solon dicebat,tandiu discendum,quandiu viuatur.

Idem Aristoteles rogatus, quo pacto discipuli proficerent egregiè: Si excellentiores ait prosequentes,tardiores non attendant.

Isocrates dicebat Ephorum discipulum frenis, Theopompũ calcaribus indigere.Cicero ad Atticum. Quintilianusetiam, de Ephoro & Theopompo.

Antimachum poëtam legentem, quum omnes præter Platonem reliquissent:Legam, inquit, nihilominus: quia Plato mihi vnus instar est omnium.

Cleanthes adeò disciplinæ deditus erat,vt quę à Zenone audiret,testæ,boúmque ossibus inscriberet, quum pecuniis ad emendas chartas careret.

Heraclitus in iuuenta nihil se dicebat scire: vbi verò ad virilitatis annos euaserat,nihil ignorare.

Cleanthes aquam noctu hauriebat precio,quo sustentabatur: præceptorémque Chrysippum audiens,mirus euasit.

Iulius Florus,quum aliquando adolescentem tristem, eundémque scholasticum vidisset, interrogauit,quæ causa frontis esset tam deductæ?Quia triduò,inquit adolescens, materiæ ad scribendum destinatæ non inueniret exordium.Tum Florus:Nunquid tu, inquit, melius dicere vis quàm potes?Ita res se habet,curandum est,vt quàm optimè dicamus,dicendum tamen pro facultate:ex Quintiliano.

Solon dicebat, Senesco semper plurima discens: ex Platone, 2. de Philosophia.

Zeno quum quendam ex discipulis inflatum turgidúmq; esse noset,percutiens dicebat: Non si magnus fueris,bonus eris:sed si bonus, magnus

magnus.

Apud Indos scholasticis non licet neque loqui,neq; sternutare, nec etiam excreare,vel die illa è cœtu discedere:& quum 30.annos sic vixerint, in sua secedere. Pythagoræi non minus quàm bienniũ tacebant.

Hesiodus:Optimus ille quidem est,qui paret ritè docenti. De silentio Pythagoreorum est in cap.de Silentio.

Polyænus, qui magnus mathematicus fuisse dicitur: posteaquàm Epicuro assensus est,totam Geometriam falsam esse credidit.vnde illa etiam quæ sciebat,oblitus est.

DVCES MILITVM QVID DECEAT, ET de disciplina militari. XXIIII.

CIcero in oratione pro Pompeio:Ego enim, ait sic existimo,in summo imperatore quatuor res inesse oportere: scientiam rei militaris, virtutem, authoritatem, fœlicitatem.

Xenophon in Cyri pædia libro 1.ait, ad habendos obedientes milites nihil esse duci efficacius,quàm vt dux subditis prudentior esse videatur.& subdit: At illud certè potest fieri,vt vnà cum iis lætetur,quibus aliquid boni contigerit:& vnà tristetur, si quid acciderit mali: & opem ferre alacriter studeat eorum difficultatibus, præcaueátque ne quid errent.& paulò post rursus:At norit, qui hoc facturus sit, & insidiatorem esse oportere, & dissimulatorem, & dolosum & deceptorem,& furem & raptorem, & omni in re hostibus præualere.

Paulus Aemilius nocturnas vigilias sine armis fieri iussit, vt attentius excubarent.

Cornelius Tacitus in Iulij Agricolæ vita ait, Imperatoris officium esse, non studiis priuatis,nec ex commendatione, aut precibus centurionum milites ascire: sed optimum quenque fidelissimum putare: omnia scire, non omnia exequi: paruis peccatis veniam, magnis seueritatem commodare: nec pœna semper sed pœnitentia sæpius contentum esse.

Cornelius Scipio,cui postea Africani fuit cognomentum, expugnata Carthagine, quum esset orta inter duos milites contentio de corona murali donando eo qui primus murum conscendisset, quum vterque se fuisse priorem diceret, vt in certamen penè omnem traxerint exercitum:concione aduocata,compertum se habere dixit, ambos pariter murum ascendisse.ambósque coronis muralibus donauit.

Idem Scipio dicebat, se malle vnum ciuem seruare, quàm mille hostes perdere. Idem etiam dicebat, in re militari turpe esse dicere, Non putaram.

Lucullus quum pridie nonas Octobris, copias contra Tigranem Mithridatis generum eduxisset, éque militibus aliqui nefastum diem esse duc

esse ducerent, obidque minus ad bellum capessendum idoneum: Ego verò, ait, commilitones, ex atro fœliciſsimum hunc diem Romanis faciam. Duces copiarum vrbem ingredi mos non fuit, ait Plutarchus in Pomp.

Non ab re visum est adscribere, quod Plutarchus in Sertorio recitat, vbi ait: Et hoc adiungamus, qui bellaciſsimi duces maximè fuerunt. eos altero caruisse oculo: Philippum, qui in Methonæ expugnatione, in transitu oculo dextro sagitta immissa ab Astro sagittario, orbatus est: quam solo æquauit, vt ait Strabo. Apud Solinum corruptè Othmona legitur, pro Methona.

Antigonum, qui sagitta catapulta à Perinthiis missa.

Annibalem, qui in Hetruria locis paluſtribus, aëris intemperie vigiliisque confectus & Sertorium, qui in bello Marsico oculum amisit. Sed iis addendam Psecam, mulierem planè virilem, altero oculo captam: cuius meminit Strabo libro decimo septimo.

Annibalem in omni fortuna nunquam cœnantem cubasse, aut plus sextario vini indulsisse, ait Iustinus 32.

Clearchus quum fronte hilaritatem in periculis subeundis præ se ferret, ipso aspectu suos ad subeunda discrimina reddebat paratiores.

DE DILIGENTIA, AC STVDIO. XXV.

DIligentia, vt si quando opportuna est laudi, ita nimia vitio vertitur, quòd hisce exemplis liquebit.

Africanus, centurionem qui in pugna non affuerat, quum increparet, atque ille diceret se in castris custodiæ gratia remansisse: Nō amo, inquit, nimium diligentem.

Apelles, quum Protogenis opus, immēsi laboris ac curæ, supra modum anxiè miraretur: dixit omnia sibi cum illo paria esse, aut illi meliora sed vno se præstare, quòd manū ille de tabula nesciret tollere memorabili præcepto, nocere sæpe nimiam diligentiam. hæc Plinius lib. 35. Martialis: Peccant Securæ nimium, sollicitæque manus. Horatius in Epistolis. Insani sapiens nomen feret, æquus iniqui, Vltra quàm satis est, virtutem si petat ipsam. Terentius in Phormione: Nostrapte culpa facimus, vt malos expediat esse, Dum nimium dici nos bonos studemus.

Rhodienses Lindiæ Dianæ sacrificantes, cōuiuia multos dies in Deę ara prorogabant. Deúmque quum consuluissent, an matulam essent in sacrificium illaturi: responsum est, vt inferrent. Illi verò ambigentes, vtrum æneam an cretaceam essent illaturi, iterum Deum consuluerunt: Deus verò indignatus, neutram inferendam respondit.

L. Tatius Ruffus infima natalium humilitate, consulatum militari industria meritus, antiquæ alias parsimoniæ, circiter mille siclos liberalitate Diui Augusti vsque ad detractionem hæredis exhausit, agros in Piceno

in Piceno coemendo, colendóque in gloriam. internicionem ergo famémque censemus, imò Hercle iudico modum rerum omnium vtilissimū, bene colere necessarium, optime damnosum: hæc Plinius libr. 8.

Duilli imper. classis ab arboreexcisa, 60 die nauigauit. contra Hieronem regem 220. naues diebus 40. factas Piso narrat.

Secundo bello Punico Scipionis classis 40. die à securi nauigauit.

Diligentia maxima vti prouerbialiter dicitur, omnibus vestigiis inquirere: item, manibus pedibúsque. item, velis & equis vti.

DE DIVITIIS. XXVI.

AEno quum sæpe dixisset diuitias esse indifferentes, Antigonus falso sibi nūciari fecit, prædia illius ab hospitibus esse direpta. & quum tristior effectus esset: Vides, inquit, diuitias non esse indifferentes?

Pompeij milites quum quidam ex illis in thesaurum inciderisset, omnem locum pecuniarū refertum esse putantes, quas Carthaginenses quondam occuluissent, pluribus diebus ad excauandum agrum incumbentes, per illos dies ne à Pompeio quidem ipso potuerunt à fossione deduci. subridensque Pompeius, impensè laborantes sudantésque ambibat. Sed tandem spe elusi, sese vt quocunq; eos ducere vellet obtulere, vt qui stoliditatis suæ pœnas essent pensuri.

Leon Eutycratides interrogatus, quam vrbem quis incolens tutus esset? Vbi, inquit, neque plura, neque pauciora incolentes possiderent. Pli. lib. 33. Illa nos premunt, illa nos ad inferos agunt, quæ occuluit natura, atque demersit.

Zeno dicebat, non magis prodesse quàm nocere opes atq; sanitatē.

Crates Thebanus, homo locupletiſsimus, quum ad discendam philosophiam Athenas concederet, magnum auri pondus abiecit: putans se non posse virtutes simul & diuitias possidere.

Epicurus ad Pytocleam: Si vis, inquit, Pytoclea te diuitem facere, non pecuniæ adiiciendū, sed cupiditatibus detrahendū est. Lucanus:

Sed pars viliſsima rerum Certamen mouistis, opes.

Quando plura quis habet, tum plurimos inuidere illi, insidiari, & hostes fieri, ait Xenophon.

Paria tormenta esse pauperū diuitúmque, ostendit eleganter Bion. ait enim, non minus molestum esse caluis quàm comatis pilos velli.

Plato in rep. ait: nec extrema in aliquibus ciuium inopia sit, nec ingentes diuitiæ.

Nabathæi adeò patrimonij seruatores sunt, vt qui rem paternam diminuerit, publicè damnetur. augenti verò præmium propositum.

Posidonius diuitias causas esse malorum dicebat, non quòd ipsæ facerent, sed quòd facturos irritarent. ex Seneca lib. 3 epistol. Idem de paupertate ait: Nudum latro transmittit, etiam in obsessa pauperi via pax est.

Cyrus

Cyrus apud Xenoph. Crœso suadenti vt pecunias cumularet, inquit: Ipse mihi iubes vt apud me collectos habeam thesauros, vt propter eos inuidiæ sim & odio, fidámque mercenariis custodibus, quos iis præfecerim. At ego dum amicos diuites reddo, hos esse puto mihi thesauros & custodes, simul tum mei ipsius, tum meorum bonorum. Quod mutuatus Martialis.

Extra fortunam est quicquid donatur amicis:
Quas dederis, solas semper habebis opes.

Idem Cyrus inferius ait: Nō eos ego Crœse fœliciſsimos existimo, qui pecunias plurimas possideant: quemadmodum neque fœliciſsimi sunt, qui muros custodiunt, & ob id quicquid in vrbe est: verùm qui & comparare plurimas pecunias iustè possint, & iis vti honestè.

Pheraulas diues à Saca fœlix nuncupatus ob diuitias quas pauper acquisierat: Num, ait, existimas Saca me nunc eo iucundius viuere, quòd plura possideo? an ignoras me & esse bibere, & dormire nullo modo iucundius, quàm tunc quum eram pauper? & subdit: Qui valdè oblectatur pecuniis, certò scito hunc sūmptum faciat, valdè tristari.

Diuitiis celebres: M. Crassus, qui negabat diuitem esse, nisi eum qui reditu annuo regionem tueri posset, vt ait Plinius libro 33. Cicero in Offic. qui exercitum alere posset. Plutar. verò in Crasso ait, Crassum male sensisse: nulla enim mensura bellum nutriri, teste Archidamo. Hic autem fuit ex ea gente, qua fuerat alius Crassus, diues appellatus. Item tres Claudij principatu, Pallas, Callistus, & Narcissus. Itē C. Cælius Claudius.

Isidorus testamento suo dixit, quamuis multa ciuili bello perdidisset, tamen relinquere seruorum quatuor millia centum ac sedecim, iuga boum tria millia sexcenta, reliqui pecoris quinquaginta septem millia, in numerato pondo sexcenta millia. item Sylla, Lucullus.

Ex externis Ptolemæus, qui Pompeio res in Iudæa agente, octo millia equitū sua pecunia tolerauit. Eundē aiunt mille conuiuas totidem aureis poculis mutantē vasa cū ferculis saginasse. Itē Pythius Bythinus, qui platanū aureā, vitémque nobilē illā Dario regi donauit: Xerxis copias, hoc est, septies octoginta octo millia hominum excepit epulo: stipendium quinq; mensiū, frumentúmq; pollicitus. Pythius, inquit Herodotus libro 7. Atys filius Lydus, Xerxis exercitum omnium maximum, ipsúmque regē, magnificentiſsimo hospitio excepit, spopondítque se pecuniā ei in bellis suppeditaturū. Xerxíq; rogāti quantum pecuniarum haberet, ait esse sibi argenti duo millia talentorum, auri verò quadragies centena millia, Daricorum septēmillibus minus, quæ sibi dono daret. item, Crœsus Lydorum rex, item Midas Phrygiæ rex: Tātalus Phrygius Pelopsq; filius. item, Attalus Pergami rex, qui opes pop. Rom. legauit hæreditate diuitemq; pariter, ac luxuriosum eum reddidit. itē, Callicrates Carystius Cyniras, Lucrius Auernus pater Biiti, quicum Domitio pugnauit. Solomon, qui ducentas lanceas sexcentorum

torum siclorum pondere aliquando ex auro confecit, trecentáq; scuta singula ternas minas auri habentia. Homerus Erichthonium Sysiphúmque omnium hominum locupletiſsimos vocat, celebratur item Mæander Protagoræ pater, qui Xerxem omneísque illius copias hospitio susceperit.

Romanis addendus Liuius Drusus, qui in tribunatu plebis 11. millia pondo argenti habuit, Demetrium Pompeianum puduit locupletiorem esse Pompeio.

Celebres diuitiis regiones, in Hispania Turdetana, in qua argenteis Turdetani aliquando præsepibus doliísque vsi sunt: ex Strab. Galatia, à Diodoro ob fluminum auriferorum decursus, qui aliquando exuberantes quum restagnassent, inglebis aurū reliquerunt. Vrbes, Corinthus & Thasiorum colonia, Datus, ob aurifodinas. Tarentum: sed supra omneis Syracusæ prouerbio etiam celebratæ. Montes Iberi, qui poste à Pyrenei sunt nuncupati, quia plures continuos dies ex flamma à pastoribus iniecta arserunt, argento multo abundantes, ex illo enim incendio riuuli argenti fluere per montes visi sunt, ea res ab oppidanis non cognita: sed Phœnices quum rem accepissent, tantum argenti abstulerunt, vt quum onustis nauibus supereſſet argētum, amoto ab anchoris plumbo, argentum suffecerint.

Auriferi fluuij: Pactolus in Lydia, Tagus in Hybernia, Ganges in India, Hebrus in Thracia, Padus in Italia, authore Plinio.

Plutonem diuitiarum deum putabant: cæcúmque hunc pingebant: nec immerito, cæcus enim est, qui diuitiis studet, ait Dion.

Vide titulum de Auaritia.

DE DEORVM CVLTV, ET cœlestibus. XXVII.

DEi cultus qualis debeat esse, Liuius non discrepans à literis sacris his indicat verbis: Eodem, inquit, anno Posthumia virgo vestalis de incestu causam dixit, crimini obnoxia ob suspicionem propter cultum amœniorē, ingeniúmque liberius quàm virginem deceret parum abhorrens, famam ampliauit, deinde absolutam pro collegij sententia pontifex Max. abstinere iocis, colíque sanctè potius quàm scitè iussit.

Barthabaces magnæ matris sacerdos. Mario contra Theutones bellum gerēte, quum vellet ad senatum referre, à matre deūm victoriam sibi nunciatam, ac ob id precaretur tēplum deæ decerni, prohibitus ab A. Pomponio tribuno, eq; ipso pulpito deturbatus est, sed dimissa concione, febris statim Aulum inuasit, intráq; septimum diem occubuit.

Alexander Seuerus imp. quum quendam locum qui publicus fuerat Christiani occupassent, contráque popinarij dicerent sibi eum deberi: rescripsit, melius esse vt quomodocunq; illic Deus colatur, quàm popinariis dedatur.

Diogenes Cynicus dicenti Lysiæ pharmacopolæ, an Deos esse crederet,

deret? Quomodo, inquit, non credo, qui te diis inimicum puto?

Epicurus, inquit Cicero, solus vidit primùm esse Deos, quod in omnium animis eorum notionem impressit natura. Abraham verò primus dixit, Deum creatorem vnum esse cunctorum.

Thales quum domo exiret inspiciendorum siderum causa, in subiectam scrobem incidisse fertur, petulantique probro dictum ab anu domestica: qua ratione ô Thales quæ in cœlis sunt comprehensurum te arbitraris, qui ea quæ sunt antè oculos videre non vales?

Fabricius, dicente Cynea Pyrrhi legato, deos ab ira longissimè amotos, ex Epicureorum sententia, nec vllam hominum curam suscipientes ociosos esse, exclamans: O vtinam, inquit, hæc Pyrrho & Samnitibus cordi sint, quàm diu aduersus nos bellum gerunt.

Hiero tyrannus quum à Simonide quæsisset quid aut qualis esset deus, deliberandi causa Simonides vnam diem sibi postulauit, postridie verò ab Hierone idem quærenti, biduum petiit, quum verò sæpe dierum numerũ duplicaret, admiratus Hiero, quæsiuit cur ita faceret: Quia quanto, inquit, diutius cõsidero, tanto res videtur mihi obscurior.

Camillus volẽtibus Romanis ex vrbe discedere, in oratione quam habuit: Inuenietis, ait, omnia prosperè euenisse sequentibus Deos, aduersa spernentibus.

Thysetæ ossa diis sacrificant, ipsi autem vescuntur carnibus.

Vide plura infra titulo de Religione.

DE DOLORE ET CVRA. XXVIII.

MArcus Antoninus Antonini Pij imperatoris gener, educatorem suum mortuũ quum magno deflere opere, nec à luctu ab aulicis, Antoninus illis dixit: Permittite illi vt homo sit, non enim philosophia vel imperium tollit affectus.

Seneca de consol. Non sentire mala sua, non est hominis: non ferre, non est viri.

Dionysius Heracleotes laborans ex renibus, in ipso eiulatu clamitabat, falsa esse illa quæ antea de dolore sensisset, quem dum Cleantes discipulus eius rogaret, quænam ratio eum de sententia deduxisset, respondit, quia quum tantum operæ philosophiæ dedissem, dolorem tamen ferre non possem.

Ouidius: Dolor artibus obstat.

Seneca: Imperari dolori silentium non potest.

Pericles licet animo fuerit inuicto, afflictatus tamen longo dolore incantationes collo alligauit, sibi à mulieribus pro amuleto datas.

Seruius Clodius eques Romanus magnitudine doloris in podagra coactus est veneno crura perungere: & postea omni sensu carere, æque ac dolore, in ea parte corporis.

Cic. ad Oct. Nulla enim, ait, remedia quæ vulneribus adhibentur tam faciunt dolorem, quàm quæ sunt salutaria.

M. Agrippa

M. Agrippa doloris pedum impatiens, inscio Augusto voluit potius vsu pedum carere, quàm dolorem vlterius perpeti, in feruens acetum pedes immergendo.

C. Proculeius Augusti familiaris, in maximo stomachi dolore, gypso epoto conscisuit sibi mortem.

Minos in maximo dolore tibiam coronámque è sacris abstulit.

Pseudolus apud Plautum, quum dixisset Ballioni lenoni:

Heu pudet quòd tibi promisit, quanquam id promisit dare:
Quia tibi minas viginti pro amica etiam non dedit. festiuè Ballio subdit:
Nimio id quòd pudet facilius fertur, quàm illud quòd piget.

Crocodili qui in aqua, & alterius qui in terra viuit, cinis corij ex aceto illitus iis partibus, quas secari opus sit, aut nidor cremati, sensum omnem scalpelli aufert.

Achilles Homericus Priamo, qui ad illum noctu pro Hectoris corpore se receperat, nimium fletui indulgenti: Age, ait, in hoc solio sedeas, dolores tristi animo premamus: nulli enim vsui nimij fletus sunt. Niobe eodem tempore nouem filiis orbata, cibo tamen non pepercit.

Sollicitudinem animi propitiat saliua, post aurem digito relata. Ex Plinio lib. 28. Lib. 25. verò ait, Herbas certè Aegyptias à regis vxore traditas, suæ Helenæ plurimas, ac nobile illud Nepẽthes, obliuionem tristitiæ veniámque afferens. Apud Homerum hic vt arbitror succus intelligitur, quum Helena iniecit pharmacum vino, quod omnẽ iram dolorémque obliteraret. Aqua mulsa tristitiam mitigat, ait Plinius.

Euripides dicere solebat: Suauis est laborum præteritorum memoria. Et Vergilianus Aeneas, Forsan & hæc olim meminisse iuuabit.

Dolorem Zeno dicebat esse irrationabilem animi contractionem, cuius species essent, Misericordia, Inuidia, Aemulatio, Zelotypia, Angor, Conturbatio, Tristitia, Mœror, Confusio. Plinius 20. libro ait: Ad omnes corporis dolores succum è scordio valere.

Anneus Seneca: Nunquam, inquit, lachrymæ opprimuntur impetrio, sed irritantur. Nulla flendi maior est causa, quàm flere non posse.

DE EXILIO. XXIX.

ANaxandridas Lacedæmonius, ad eum qui ægreferebat quòd exularet: O bone, inquit, ne vrbem relinquens horreas, sed iustitiam.

Diogenes Cynicus exprobranti cuidam exilium: At huius causa miser, ait, philosophatus sum. Alióque dicente, Sinopæi te exilij arguunt: Et ego, inquit, illos moræ.

Teucer rediens ex Troiana expeditione, quum ob Aiacis fratris mortem Telamoni patri esset inuisus, atque ab eo exilio mulctaretur, ad socios conuersus ait: Patria est, vbicunque bene est. Ex Cicerone in Tusc. Horatius:

Nil desperandum Teucro duce,& auspice Teucro.

Caligula, quum quendam à vetere exilio reuocatum postulasset, quidnam ibi facere consuesset:atque ille per adulationem respondisset,consuesse rogare vt(quod euenit)periret Tyberius, vtque ipse imperaret: suspicans sibi quoque exules suos mortem imprecari,misit circum insulas,qui vniuersos trucidarent.

Clodius in Ciceronis exilio legem tulit,ne quis de eo reducendo ad senatum referret,ne quis decerneret,nec disputaret, ne loqueretur,ne pedibus iret,ne scribendo adesset.

Metellus Numidicus,Apuleio Saturnino Agrariam legem ferente, quod noluerit iurare,die dicta, quum à bonis viris defenderetur,ne causa malorum certaminum esset,in voluntarium exilium Rhodum profectus est.Rutilius vir summæ innocentiæ,inuisus equestri ordini, repetundarum damnatus,in exilium mittitur,ex Floro.Seneca lib. epistolarum:Exilium,ait,Metellus fortiter tulit,Rutilius etiam liben ter,alter vt rediret.Reipublicæ præstitit: alter reditum suum Syllæ negauit,cui nihil tunc negabatur.

Idem Rutilius consolanti eum cuidam,ac dicenti,instare bella ciuilia,& ob id breui futurum vt omnes exules reuerterentur: Quid tibi,inquit,mali feci,vt mihi peiorem reditum quàm exitum optares?

† optantẽ

Callistratus factus exul ab Athenienſibus,† operãtem quempiam vt restitueretur,abominatus est.

Apud Græcos qui mittebantur in exilium,seruare bouem dicebantur. In Argiuis enim,quò mittebantur,bos æneus erat,magnitudine conspicua.

Marcellus iurisconsultus lib. 48. dig.Exilium,ait,triplex est: aut certorum locorum interdictio:aut lata fuga,vt omnium locorũ interdicatur,præter certum locum:aut relegatio in insulam.

Demetrius Phalereus pulsus patria,ac Thebis exul,Cratẽ obuium iniquo animo vidisse,propter abiectam vitam,dicitur.Crates verò licet Cynicus esset,benignè hominem alloquutus,de exilio disseruit: disputans, nihil in eo mali inesse, atque ob rerum benè gestarum conscientiam confideret,hortatus est,tum Demetrius ad suos conuersus:Heu inquieta negocia actionésque nostras,inquit,quorum causa hactenus tantum virum nosse non licuit.

DE EXERCITATIONE ET VSV. XXX.

Aomedon Orchomenius,ob vitãdum splenis morbum, ex consilio medicorum, longissimis cursibus vsus est. exinde recuperata ex habitu currendi valetudine,in certaminibus omneis superauit.Iulij Viatoris exemplum est huic consimile,in cap.de consuetudine.

Columella magistrum artium Vsum appellat:admonéque,ad misarium modica exercitatione concussum,vegetiorẽ ita factum inungi oportere,vt tacita quadam vi semina ipsa principiis agilioribus figu-

rentur. Plinius libro 28: His remediis,ait,annumeratur exercitatio: Multa adimit,corpus auget modica,in primis prodest ambulatio,gestatio,equitatio,stomacho & coxis vtilissima,pthisi nauigatio. Sed & Galenus cum cæteris medicis id asserit, corpus enim ait & animam exercitatione leuem fieri,partésque corporis valentiores solidioréque reddi.Ouidius: Et non sentitur sedulitate dolor.

Xenophon libro octauo Pædiæ Cyri ait,apud Persas fuisse legem, vt nemo neque spueret,neque mucorem faceret.Hoc ideo,vt per exercitationem sudorémque corpora illorum fierent solidiora.

Demosthenẽ ait Phalereus,quũ dicere nequiret:exercitatione feciſse vt diceret.Balbus,inquit Hieronim.melius balbi verba cognoscit.

Antonium,quum apud Actium vicisset Octauius, reuertenti inter gratulanteis,occurrit coruum tenẽs,quem instituerat dicere,Aue Cæsar,victor,imperator.Miratus Cæsar officiosam auem,viginti millibus nummûm emit.Socius opificis,ad quem ex illa liberalitate nihil peruenerat,affirmauit Cæsari,& se habere alium coruum, quem vt afferre cogeretur rogauit.Allatus,verba quæ didicerat expressit,Aue victor imperator Antoni.Nihil exasperatus,satis duxit iubere illum diuidere donatiuum cum contubernali,Exemplum sutorẽ pauperem sollicitauit,vt coruum ad parem salutationẽ institueret,qui impendio exhaustus,sæpè ad auem non respondentẽ dicere solebat,Opera & impensa periit.Aliquãdo tamen coruus cœpit dicere dictatã salutationẽ, qua audita ab Augusto in transitu:Satis,ait,salutatorum talium domi habeo,superfuit coruo memoria,subtexuítq;,Opera & impẽsa periit, ad quod Cæsar risit,emíque eam iussit,quanti nullam adhuc emerat.

Lycurgus legumlator,vt à mollicie ciues auerteret, duos catulos ex iisdem parentibus ortos,alterum gulæ domi assuefecit,alterum venationibus in agris exercuit. Deinde in concionem adductis canibus, disposuit gulæ irritamenta, postea leporem dimisit, concurrente vtroque ad consueta,leporémque quum venaticus accepisset:Videte, inquit,ô ciues,quàm dissimiles ob educationẽ solam euaserint:quantóque efficacior,quàm natura,ad res honestas sit exercitatio.Seneca ad Lucilium:Non potest athleta magnos spiritus ad certamen afferre,qui nunquam sugillatus est.

Senex quidam exactæ diligentiæ,quum post annum nonagesimum procurationis vacationem vltrò à C.Cæsare accepisset,componi se in lecto:& velut exanimem,à circunstante familia deplorari iussit.Lugebat domus ocium domini senis,nec finiuit antè tristiciam,quàm labor illi suus restitutus est.

Labores obsonium sunt viris bonis,ait Xenophon.

Memorabile est quod Philostratus in vita Apollonij aitãn conuiuiis Indorum,mensam in semicirculum cõponi,circa quam conuiuæ coronati epulantur,post potationes verò puer in medio consistit,ac sagittam in se missam, saltu supra caput reuolutus vitat. Funda

adeo exerciti, vt summos capillos glande attingant. sunt & sagittarij, qui sagittarum ictibus lineam ducant. Sed in Capit. de Arte quamplurima.

M. Lepidus, quum cæteri tyrones militésque in campo se exercerent, ipséque in herba recumberet: Vellem hoc esset, inquit, laborare.

Scipio Aphricanus, exercitus sub aliis imperatoribus victos, ita exercuit omni opere, fossisque faciendis, vt diceret, fodientes luto inquinari oportere, qui sanguine hostium madere noluerint: inuictósque penè reddidit.

Metellus in Africa, Albino imperante, subiugatum accepit exercitum: quem ita emendauit veteribus institutis & disciplina maiorum, vt postea eos à quibus sub iugum missi fuerant, superarent. Ouid. lib. 5. de Tristibus:

Adde quòd ingenium longa rubigine læsum
Torpet, & est multo quàm fuit antè minus.
Fertilis assiduo si non renouetur aratro,
Non nisi cum spinis germen habebit ager.

Cicero in Tusc. Et quemadmodum ager, quantumcunque fertilis, absque cultura fructuosus esse non potest: ita sine disciplina animus & doctrina.

Marius exercitus victi à Cimbris sub Cœpione, Manilio, & Sylla-
no reliquias ita eruditiuit, & exercuit, vt mirabilem multitudinem Cim-
† Vngaro rum. brorum Theutonicorúmque & † Vgrorum, publico marte deleret. Cæterum exercitatio militaris erat eiusmodi, vt tyrones iunioréque in exercitu, manè ac post meridiem exercerentur saltu, cursu, iaculatione, funda plumbata, ad palum, ad scuta. Cogebantur præterea pedites instructi omnibus telis, militari gradu decem millia passuum ire, redíréque, gradúque militari viginti millia passuum, horis quinque duntaxat æstiuis conficiebant: pleno gradu qui citatior erat, totidem horis passuum viginti quatuor millia, inque eo gradu cogebantur ferre pondus 60. librarum. Tyrones ante expeditiones in campo Martio exerceri, sudorémque ac puluerem in Tybrim deponere consueuerant, natandi vsum perdiscentes. Vide in Cap. de Militia.

Democrates palestrita pedibus æger, conatus morbum excutere, eousque productus est vsu, vt in certamine lineam circunduxerit: insisque aduersariis vt extraherent, illisque nequeuntibus, coronatum abiisse memorant.

Post cœnam deambulatione calorem excitari, quiescere, & statim ad lectum accedere, suffocari Aristoteles vocat.

Addendum illud ex Plin. lib. 28. Capita aperiri aspectu magistratuum, non venerationis causa iussere: sed (vt Varro autor est) valetudinis, quo firmiora consuetudine ea fierent.

DE ELECTIONE. XXXI.

Dionysius tyrannus tres in conspectum Aristippi simul duci iussit mulieres, eúmque quam ex illis vellet eligere, tum Aristippus tres simul adduxit, dicens neque Paridi tutum fuisse, quòd vnam prætulerit cæteris.

Lysander Spartanorum legatus ad Dionysium venerat. huic quum Dionysius duas misisset stolas, vt vtram vellet filiæ deferret, ambas accepit: aitque, ipsam melius electuram.

Cato Hispaniam sortitus, quum hostium audisset miram copiam esse ad bellum paratam, ob idque decreuisset Celtiberorum ope vti, petentibus illis ducenta talenta subsidij gratia, atque negantibus aliis conditionem, ac dicentibus, turpe esse populo Romano auxilia mercede conducere: vrbanè scitéque Cato, non esse graue respondit. nam si vicissent hostium manubiis, satisfactum illis iri si victi essent: nec eos qui peterent, nec à quibus repeti deberet, superstites relictum iri.

DE EXERCITV, MILITIA, ac bello. XXXII.

Phocion, quum Leosthenis ducis milites concinnè ornatos aspexisset, rogatus qualis sibi ille exercitus videretur: Belle mehercule, inquit, ad stadium decurrendum instructus.

Antiochus ostendebat Annibali in campo copias, quas bellum populo Romano facturus comparauerat, conuertebátque exercitum insignibus argenteis aureisque florentem, inducebátque etiam currus cum falcibus, & elephantos cum turribus, equitatúmque frenis, ephippiis phalerísque præfulgentem. Atque ibi rex tanto támque ornato exercitu gloriabundus, Annibalem aspicit, & ait: Putásne, inquit, satis esse Romanis hæc omnia? Tum Pœnus ignauiam imbelliámque militum eludens, precioseque armatorum: Planè, inquit, esse satis credo hæc Romanis, etsi auariſsimi sint.

Pescennius omne vas argenteum, etiam ad bibendum accommodatum, sustulit, dicens, posse fieri vt sarcinæ militares in potestatem hostium venirent, fierétque barbari argento nostro gloriosiores.

Cabrias Athenienſis dicebat, terribiliorem esse exercitum ceruorum duce leone, quàm leonum duce ceruo. Hunc aliqui Gobriam vocant: Gobrias verò Assyrius apud Xenophontem est,

Apud veteres, exercitus ex duabus tantum legionibus & copiis auxiliaribus constabat: legio verò interdum erat ex sex millibus, aliquando ex pluribus, vt est apud Vegetium. Alexander Macedo, traiecturus in Italiam erat cum triginta millibus Macedonum veteranorum, & quatuor millibus equitum, Thessalorum maximè. nam Persas, Indósve si adduxisset, impedimentum traheret. Palæstinorum exercitus contra Hebræos, expeditibus trecentis millibus, equitibus

sexaginta millibus, curribus triginta millibus. Ninus contra Bactrianos, pedites duxit ad decies septies centena millia, currus falcatos paulò minus decem millibus & sexcentis. Darius aduersus Sacas, octingenta millia militum duxit.

Eius filius Xerxes, in Græciam septingenta millia de regno, trecenta millia ex auxiliis, naues decies centena millia, ait Iustinus. Herodotus plura fuisse ait, rémque longius prosequitur.

Apud Homerum exercitus tacitus, ceu mutus ad bellum incedebat. Moses in legibus, eos qui domum ædificarint, ac non habuerint tempus annuum ad fruendum: & qui arbores seuerint, nec de fructibus freti sint: item qui nuper vxores duxerint, immunes belli fore sanxit.

Scipio Aphricanus negabat cum hoste confligi debere, nisi aut occasio, aut necessitas cogeret.

Illud notandum, Iani templum ter obseratum omnino fuisse, quod symbolum erat pacis: regnante prius Numa: ac post hunc annos 480, composito bello Carthaginense, C. Attilio Titóque consulibus: atque Augusti tempore. Vide titulum de Ducibus.

EXITVS. XXXIII.

CYneas orator, Demosthenis auditor, Pyrrhi familiaris, decernentem Pyrrhum in Italiam nauigare contra Romanos, Tarentinis auxilio futurum: interrogat, Superatis (si dij dederint) à nobis Romanis Pyrrhe, quid tum agemus? Totam, inquit Pyrrhus, haberemus Italiam. Parumper commoratus: Cyneas ait, quum autem Italiam cæperimus, quid tum agemus? Et Pyrrhus: Proxima, inquit, Sicilia est felix, captúque facilis. rectè dicis, inquit Cyneas. sed num finis nobis erit militiæ, Sicilia capta? Deus modò, inquit Pyrrhus, victoriam præstet: nam iis veluti præludiis vtemur ad res maximas conficiendas. quis enim se Libya abstineat, & Carthagine? Cui Cyneas: Sed victis omnibus ac subactis, quid faciemus tandem? Et Pyrrhus ridens: Ocium inquit, agemus, & quotidiana festiuitate, mutuisque sermonibus lætiáque perfruemur. quum ad hæc Cyneas Pyrrhum adduxisset: At quid verat, ait, ô Rex, quò munus nunc ista lætitia, festiuitate & ocio perfruamur?

Athenienses, quum inuito Phocione bellum cum Antipatro suscepissent, eúmque Athenas irruentem audissent, Phocioni detulerunt vt pacem ab Antipatro postularet. at Phocion: Tunc ait, quum ociosis vobis consulebam, si mihi creditum esset, haud nunc profectò tumultuantes consuleretis, cui potissimum vos vestráque credere debeatis.

Epaminundas rogatus, vtrum se meliorem diceret, an Chabriam, an Iphicratem? Difficile est, inquit, donec viuimus, iudicare.

Solon à Crœso rogatus, an eum esse fœlicem iudicaret? respondit, Vsque ad exitum vitę iudicari non licere: vt dicam in cap. de Fœlicitate.

Artab

Artabanus Xerxem monet, ne Iones secum ducat contra patriam pugnaturos. ait itaque: Hoc vetus prouerbium tanquam optimum mente rex teneto, non statim ab initio exitum omnẽ esse manifestum.

DE FILIIS, ET EORVM INGENIO atque educatione. XXXIIII.

SEruilius Geminus quum apud L. Manilium, qui optimus pictor Romæ habebatur, cœnaret, filiósque Manlij deformes admodum conspexisset, Non similiter, ait, Manli fingis ac pingis. Tum vrbanè Manlius: In tenebris enim fingo, inquit, in luce pingo.

Hermetias à Democrito appellatur herba ad liberos generandos pulchros bonósque. item medicamenti compositionem è nucleis pineis tritis cum melle, myrrha, croco, vino palmeo, postea mixto Theombrocio & lacte, bibere generaturos iubet: & à conceptu puerperas partum nutrientes, ita fieri excellentes animo & forma, atque bonos. Hæc Plinius.

Themistocles, quum illi filius matris auxilio intercessionéque pleraque iuberet: ô vxor, inquit, Athenienses Græcis imperant, ego Athenienſibus, tu mihi, tibi filius.

Syrus seruus Clitiphoni filio Chremetis heri suadet, vt pecuniam à patre, matre adiutrice, extorqueat. ait enim:

Nunc aliud specta:
Matres omnes filiis in peccato adiutrices,
Auxilio in paterna iniuria esse solent

Mithridates, quum regnandi studio insidias patri frustra struxisset, aperto bello cum illo congredi decreuit. sed pater morte præuentus, filium inhiantem reliquit. Ouidius:

Filius ante diem patrios inquirit in annos.

Vide exemplum Nicomedis, in cap. de Dolis.

Antipater, primus ex Cassandri filiis, Thessalonicam matrem necauit, Alexandrúmque fratrem regno expulit. Vide in cap. de Crudelitate, Thessalonide & Eucratides.

Gallienus capto à Persis Valeriano patre imperatore, non modò bellum non intulit: sed assiduis voluptatibus singulis diebus deditus, perinde quasi captiuitatem patris exoptasset, vixit:

Euander, suadente matre Nicostrata, quæ etiam Carmentis est dicta, quia carminibus vaticinabatur, patrem occidit: atque cum matre in Italiam fugit.

Tullij Annalis filius, quum eius pater in campum ad comitia quæstoria ipsius descendisset, comperisséque esse proscriptum, ad clientem confugit. sed sceleratus filius, ductis per vestigia parentis militibus, cædem patris prophanis oculis spectare passus est.

Cyriades è tyrannis Romanis triginta primus, Cyriadē patrem sanctum quum secum grauaret, direpta magna argēti auríque parte Persis petit, Saporíque regi coniunctus Romanis bellum intulit, patrémque conficit: sed ipse per suorum insidias postea occisus est.

Absolon Dauidis filius regni cupidus, dum bellum cum patre gerit, fugiens (mirabile dictu) crinibus ramo appensus occiditur: quem pater pientissimus lachrymis luctúque prosecutus est.

Aristobulus Hyrcani filius mortuo patre, matrem, cui omnis potestas regni legata fuerat, vinculis famēque consumpsit, & cum eo Antigonum fratrem, matri percharum. Vide in capite de Fratribus.

Ariaraster Tigranis filius, quum audisset Pompeium regnum patris inuadentem, ad illum confugit, atque vnà patrem expugnare conatur. Ea res quum Tigrani esset nunciata, ad Pompeij genua confugit, à quo benignè susceptus, à dextra locatus est, Ariaraster autem à sinistra, atque vtrique regnum partitus est. Ariaraster rem molestè ferens, ad Pompeij conuiuium inuitatus noluit accedere, minacibúsque verbis sibi Pompeio non opus esse dixit: se ad alium confugiturum Romanum, cui esset futurus charior. Pompeius verò iis verbis irritatus, in carcerem eum coniecit, in triumphúmque duxit. Ex Plutarcho, in Pompeio. Apud Valerium Sariaraster legitur, mendose. alibi Ariaratem legi Cappadocum regem.

Gallienus imperator, de quo suprà, capto à Persis patre triumphum assimulauit, ac fingebatur esse rex Persarum captiuus, quum alioqui patris captiuitatem floccifaceret. Id autem ridentes scurræ, ad eum globum vbi rex Persarum captiuus assimulabatur, eunt, scrutantúrque omnia, vniúsque cuiusque vultum intuentur, quúmque ab illis quæreretur quid peterent, quidve agerent illa scurrilitate: respondérunt, patrem principis quærimus. Gallienus verò indignatus, viuos exuri iussit.

C. Turannius patrem proscriptum ac latentem centurionibus ostendit. senex verò non de vita tam sollicitus quàm de filij salute, rogitabat an Turannius filius incolumis esset. Vide exemplum in capite de Crudelitate, in dictione Thessalonice.

Orestes matrem Clytemnestram, quia cum Aegisto adultero Agamemnonem occiderat patrem, confodit: quemadmodum Alcmæon matrem Eriphilem, quæ insidias Amphiarao patri struxerat: vt dicemus in capite de Vxoribus.

Blandenius Zeuxides etiam matrem occidit, vt est apud Cicer. ad Qu. fratrem.

Lotharius Ludouici regis filius, quum nosset Carolū fratrem natu minorem, cui Caluo fuit deinceps cognomentū, paterna beneuolentia sibi præferri, patrem in carcerem coniicit. Exemplum Cyriadis est in capite de Improbis. Tulliæ exemplum in cap. de mulieribus.

Fredericus secundus imperator, omni labe crudelitatéque inquinatus, filium Henricum scelera patris in Christianos incusantem, in carcerem primùm coniecit, ac mox necari iussit, sed eum postea in Apulia, ex graui morbo, quū conualesceret, Manfredus filius ex concubina, compresso ore, iacentem in strato suffocauit. L. Ostius patrem occidit.

Herodes Pacori pater, audita filij morte à Ventidio illata, exercitúsque clade, ex dolore ad furorem conuertitur. Post longum deinde luctum alia sollicitudo miserum inuadit, quem ex numero 30. filiorum quos ex pellicibus genuerat, in locum Pacori regem constitueret: exorantibus singulis pro filio pellicibus. sed tandem Phrahatem quendam statuit, qui statim & patrem confodit, & triginta fratres sustulit, adultumque etiam filium interfici iussit. Est exemplum filij Antipatri in matrem, & Eucratidis in patrem, in capite de Crudelitate.

Idothea Prothei filia, Vlyssem apud Hom. libro. 4. Odyss. docet, quemadmodum patrem sit vincturus, à quo iter edoceatur, ac reditus.

Ptolemæus parentibus occisis, imperandi cupiditate fratrem etiam sustulit: nec multo pòst in libidinem effusus, Euridicen vxorem, eandemque sororem occidit, captus Agathocleæ meretricis illecebris.

Nero quum matrem sustulisset, vrbanè Africanus, Rogant, ait, te Cæsar Galliæ, vt felicitatem tuam fortiter feras.

M. Pompeius tribunus plebis diem L. Manlio dixerat, quia T. Manlium filium relegauerat. sed T. Manlius amore pietatéque patris concussus, in cubiculum tribuni irrupit, strictóque gladio coëgit in verba sua iurare, non perseueraturum in accusatione. ex Liuio, Floróque apud alios, Pomponius.

Althamenes Catarei Cretensium regis filius, consulto oraculo responsum tulit, in fatis esse, vt ab eo pater interficeretur. quod cupiens vitare Rhodi partem, quę Camiros dicitur, cum aliquot comitibus petiit. Pater verò videndi filij cupidus, præsertim quum nulla alia proles illi esset, soluens è Creta, noctu applicuit ad Camirum. sed orta contentione inter suos, accolásque accurrens Althamenes, patrem insciis cōfodit. Re postea cognita, fugiens hominum conspectus, in solitudines se recepit, atque ibi vi doloris interiit.

Andromacha apud Euripidem: Omnibus, ait, profectò hominibus filij sunt anima.

Humilis è plebe puerpera, supplicij causa carcere inclusam ad matrem quum impetrasset aditum, à ianitore semper excussa nequid cibi inferret, deprehensa est vberibus suis alens eam.

Coriolanus adeò matrem Veturiam dilexit, vt sua causa exercitum ex agro Romano eduxerit, non multo tempore post cæde subsequuta. Alexander Rom. imperator & Heliogabalus matribus fuere obsequentissimi.

Cimon Miltiadis filius, vt pater qui ob pecuniæ mulctam in carcere obierat, sepulturę mandaretur, captiuum se præstitit.

Ionatas, qui fauum mellis contra patris præceptum iusiurandúmque gustauerat, minitanti mortem patri, mortem ait illi suauem esse pro

patria pietate, populique victoria.

Fratres duo in Hispania tyrannum confoderunt Patietis gratia, cuius tyrannus filios occiderat: ea lege, vt Patietis filij parentem eorum decrepitum alerent.

Filij aut parentes alant, aut vinciantur: prouerbij loco legibus continebatur.

Homerus ait in Iliade: Breuem ætatem contingere illi, qui parentibus nutricationis munus non reddiderit.

Moses legibus sanxit, vt qui patribus non paruerint, suspenderentur, pérque diem totum in cruce penderent, noctu sepelirẽtur. sanxitque, vt filij parentes alerent: non enim propter aliud pater filium generat. Iniquissimum enim quis meritò dixerit, patrem egere, quum filius sit in facultatibus, ait Vlp. lib. 29. digest.

Cleobis & Biton matrem, ceu boues ad currum iuncti, ad Iunonis sacra vexerunt.

Amphinomus & Anapia fratres, quum Catana periclitaretur, parentes humeris baiulantes, saluos reddiderunt: ex Strab. 6. apud Valerium Anaphis legitur, & patrem ex Aetnæ incẽdio eripuisse. at Aeneas apud Vergilium & Ouid. Anchisem humeris sustulit parentem.

Scipio Aphricanus, Scipionem patrem apud Ticinũ fluuium vulneratum in bello contra Annibalem, interceſſu suo liberauit.

C. Flaminius trib. pleb. à ferenda lege quum neque à senatu neque ab aliquo posset abduci à patre, qui manum iniecit, prohibitus est.

Claudia vestalis triũphum patris, eius interuẽtu ab hoste tutata est.

Cimoni patri damnato, filia parem lactis pietatem in carcere exhibuit, vt Plebeia matri.

Ebutia Menenij Agrippæ vxor moriens, hæredem Plætoniã filiam reliquit, Affronia altera filia exhæredata: quæ & si posset testamẽtum facile rescindere, noluit tamen, vt pietate sua maternam ingratitudinem faceret notiorem.

Metelli filij, qui illis hæreditate excusis Curinatem familiarẽ reliquerat hæredem, testamento obuiã non ierunt patris superbissimi.

Icarus acceptum à Libero patre vinum, bibendum pastoribus exhibuit. Ex iis alij somno sopiti, alij in aliam partem se reiiciunt, semimortua membra iactantes. ex illis aliqui putantes venenum sibi ab Icaro datum, adorti illum conficiunt.

Erigone filia desiderio parentis extimulata, quum omnia lustrare decreuisset: canis Icari Mæra nomine, apprehendens illius vestem dentibus, ad patris cadauer traxit. Erigone igitur solitudine pauperiéque oppressa, suspendio vitam finiuit ea in arbore, sub qua parens fuerat sepultus.

Alexander magnus missam ab Antipatro cõtra matrem epistolam quum legeret: Ignorat, inquit Antipater, quòd vnica matris lachryma innumeras delebit epistolas.

Hesio

Hesiodus ait, primo illo sæculo centum annis homines sub matris imperio ceu infantes vixisse.

Demodocus apud Platonem libo 3. ait Socrati, Genituram facilem esse, educationem difficilem.

Apud Persas, ante quinquennium filius in conspectum partis non venit, ne si inter educationem decederet, patri afferret molestiam. ex Herod. lib. 1. Valerius ante septennium ait.

Aristippus castiganti cuidam, quòd filium ex se genitum abiiceret: An verò, inquit, ignoramus & pituitam & pediculos à nobis gigni? quę tamen veluti inutilia abiicimus.

Caspij parentes septuagenarios inclusos fame necant. Sidones, mortuos deuorant.

Augustus quum Vectius monumentũ patris exarasset, vrbanè: Hoc est, inquit, verè monumentum patris colere.

M. Antoninus imperator ac philosophus moriens quum quidam cui filium commendarat: dicerent: Vobis, inquit, si dignus est, & diis immortalibus.

Agesilaus Lacedæmonius filiorum amantiss. cum paruis pueris domi colludere, in arundinémque vt equum puerorum more conscendisse esset visus à quodam amicorũ, rogauit, ne cui prius id diceret, quàm ipse quoque puerorum pater esset.

Moses legibus sanxit, filium non puniri ob parentis delictũ. Quod apud Ro. obseruatũ quoque est. & Calistus lib. 48. digest. ait, crimen paternum nullam maculam filio infligere posse. idque etiam diui fratres Ieropolitanis rescripserũt. apud Græcos verò tyrãni filij parentũ crimina luebant exilióque mulctabantur, aut vita tanquam non sinente natura à parentibus malis bonos creari posse filios.

Finensis iuuenis portæ vrbis custos, quum hostes patrem captum illi obtulissent, ac nisi portas aperiret patri mortem minitarentur, irruptione in hostes facta patrem eripuit, atque se à patriæ proditione tutatus est.

Quàm difficile sit oriri bonos filios à magnis viris, ostendit Africani superioris filius, fœdè à paruulo Antiochi præsidio captus. qui etiam præturam petiturus, candidam togam turpitudinis maculis obsolefactam in campum detulit.

Q. Max. Fabij filius tam perditæ fuit luxuriæ, morúmque fœdorũ, vt Q. Pompeius prætor vrbanus paternis bonis ei interdixerit: publicéque sit exhæredatus. & Clodij Pulchri filius eneruem frigidámque vitam sub meretricis imperio egit.

Minerua, 2 Hom. Odyss. ait, paucos filios honestos nasci ex honestis parentibus: sed sequens ætas semper peior est priore.

Horatius: Aetas parentum peior proauis tulit nos nequiores.

Sed verba Spartiani super ea visum est reponere. ea enim sunt in vita Seueri in hunc modum: Et reputanti mihi Diocletiane Auguste, neminem

nem propè magnorũ virorũ optimũ & vtilem filium reliquisse satis claret. Denique aut sine liberis viri interierunt: aut tales habuere plerique, vt melius fuerit de rebus humanis sine posteritate discedere. Et vt ordiamur à Romulo, hic nihil liberorum reliquit, nihil Numa Pompilius, quod vtile posset esse reipublicæ. Quid Camillus? num sui similes liberos habuit? quid Scipio, quid Catones, qui magni fuerũt? Iã verò de Homero, Demosthene, Vergilio, Crispo, Terentio, Plauto, cæterisque aliis quid loquar? quid de Cæsare? quid de Tullio? cui soli melius fuerat non habere. quid de Augusto, qui nec adoptiuum bonum filium habuit? quum illi eligendi potestas fuisset ex omnibus. Falsus est etiam ipse Traianus in suo municipe ac nepote diligendo. Sed vt omittamus adoptiuos, veniamus ad genitos. quid Marco felicius fuisset, si Commodum non reliquisset hæredem? quid Seuero Septimio, si Basianum non genuisset? hæc ille.

Demosthenes dicebat, A viris bonis quasi fatis voluentibus filios improbos nasci. vnde prouerbium apud Græcos, ἀνδρῶν ἀγαθῶν τύχαι πήμαλα: id est, heroum filij noxæ sunt.

Pallas quidam quinquaginta filios dicitur habuisse. Combes heroina centum, filia Aesopi. Scylurus Cheronensium regulus quinquaginta, Apollonides octoginta, Artaxerxes centũ ac quindecim, Masinissa quinquaginta, Aegyptus quinquaginta, qui occisi omnes à patruelibus, eisdémque vxoribus, Danai filiabus, præter vnum Lynceum, ab Hypermestra miserante seruatum. Gedeon ex vxoribus ac concubinis, septuaginta. Roboam ex vxoribus concubinísque, viginti octo filios, filias verò sexaginta. Absanis, post Ieptæ mortem rex, filios habuit nonaginta.

Crispinus Hilarius, ex ingenua plebe Fesulana, cum liberis nouem, in quo numero filiæ fuerunt duæ, nepotibúsque viginti septem, pronepotibus viginti nouem, neptibus nouem, præalta pompa, cum omnibus his in Capitolio fertur immolasse.

M. Aemilius Scaurus repetundarum reus, ob nobilitatẽ, recentémque patris memoriam, gloriámque, absolutus est.

Seruis, quibus essent tres filij, vacatio: quibus plures, libertas contingebat. Iulius Cæsar, quibus essent tres filij, campum Stellatem agrúmque Campanum in consulatu diuisit. Martialis ait se donatum iure trium liberorũ. Plinius Secundus petiit per epistolã à Traiano, vt Suetonio Tranquillo præstaret ius trium liberorum, atque impetrauit.

Chrysippus philosophus: Quis patrem, inquit, laudabit nisi probi filij? Quem Dionysiodorus arguens veram huiusmodi sententiam affert: Quis patrẽ laudabit, nisi improbi filij? Quoniã qui nulla re præstant, maiorum virtutibus innituntur.

Proinde Iuuenalis:

Stemmata quid faciunt? quid prodest Pontice longo
Ordine censeri, pictósque ostendere vultus
Maio

Maiorum, & stantes in curribus Aemilianos?

Ciconiæ nidos eosdem repetunt, genitricum senectam inuicem educant, Meros vocatur, genitores suos reconditos pascens. Glires genitores fessos alunt insigni pietate. Ex Plin. Vide exemplum Alexis in cap. de Parentum indulgentia.

DE FIDE ET PERFIDIA. XXXV.

CIcero, dicente illi Metello, plures testimonio peremisti quàm patrocinio seruasti: Nẽpe, inquit Cicero, plus est mihi fidei quàm eloquentiæ.

Xenocrati tanta fides habita est, vt quum nullius in iurati admitteretur testimonium, illi soli Athenienses remiserint iusiurandum, iniurató que crediderint.

Quum Messanæ Antonius, Sextúsque Pompeius ad cœnam se mutuò inuitassent, atque esset conuentum, vt in prætoria naui Sexti cœnaretur, pontémq; ex aggere in nauem fecissent: iactis anchoris feruentibus in locis, Antonij & Cleopatræ, Metadorus pirata adhærens Pompeio, clàm cum illo loquutus: Vísne, ait, Sexte anchoras succidam, & te non Siciliæ, neq; Sardiniæ, sed Romani imperij faciam dominum? cui Pompeius, quum paulisper secum cogitasset: Oportuit, inquit, ó Metadore, hæc per te ipsum, me inscio, fecisse: peierare enim nequaquam meum est.

Cn. Domitius, ait Cic. in oratione pro Deiotaro, ille quem nos pueri consulem, censorem, pontificem maximum vidimus: quum tribunus plebis M. Scaurum principem ciuitatis in iudicium populi vocasset, Scaurique seruus ad eum clàm domum venisset, & crimina in dominum relaturum se esse dixisset: apprehendi hominem iussit, ad Scaurúmque deduci.

Attilius Calatinus, ob Soranorum oppidi proditionem reus quum esset, Q. Maximus socer illius: Si eum, inquit, sontem comperissem, affinitatem direpturus fuissem. tum vniuersus pop. Rom. fidem Maximo habens, Calatinum absoluit.

Pontius Cæsaris centurio captus à Pompeij socero Scipione, quum vno modo ei salus daretur, si se futurum Gn. Pompeij militem affirmasset, ita respondit: Tibi quidem Scipio gratias ago, sed mihi vti ista conditione vitæ non est opus.

Syracusana seditione, quum vniuersa Hieronis regis stirps cladibus exausta, ad vnicam filiam Harmoniam virginẽ esset redacta, in eámq; certatim ab inimicis fieret impetus, nutrix puellæ æqualem illi regio cultu ornatam hostilibus gladiis subiecit puellam, quæ ne quum ferro quidem traderetur, vt cuius esset conditionis ederet, proclamauit. Admirata illius fidem Harmonia, superesse non sustinuit: reuocatósq; interfectores quæ esset professa, in cædem suam conuertit.

Tisa

Tisaphernes quum inducias pactas cum Agesilao trium mensium non seruaret, quamuis iuratus: Agesilaus re comperta, in fœdere etiam mansit.

Accepta ad Cannas clade, quum quidam qui Romam venerat de redimendis captiuis, fallaci reditu de iureiurãdo se exoluisset, censuerunt Romani illum comprehendendum, & custodibus publicè datis ad Annibalem deducendum.

Narcissus ab epistolis Claudij potentissimus etiam regum factus, mortuo Claudio, ab Agrippina morti destinatus, omneis secretas illius epistolas ad Agrippinam atque ad alios, priusquam iugularetur, cremauit.

Fides, inquit Iustinus, Parthis nulla est, nisi quantum expedit. Syris rarum est, imò difficile vt fidem seruent, ait Vopiscus in Aureliano. Græcis nullam fidem habẽdam esse, ex Cicerone pro L. Flacco liquet. Plautus in Aulularia: Cætera quæ volumus, vti Græca mercamur fide. id est, vt pecunia coràm numeretur. quamuis Attica fides Græcorum testimonio celebretur. Ex iis Thessali infames, in capite de Dolis. infames Pœni: vnde Plautus eleganter, Nemo me Pœnus est Punior. Liuius libro 2. decadis 3. In clade accepta à Flaminio ad Thrasimenum, qui fugerant, assequutus Maharbal, pollicitus est, si se dederint, ire cum singulis vestimentis passurum. quæ fides Punica religione seruata est ab Annibale: atque in vincula omnes coniecti Her. libro 3. ait, Arabas seruare fidem inter homines.

Fidem canum miram esse, vno hic ostendam exemplo. Quum ex causa Neronis animaduerteretur in T. Sabinum, ac seruitia eius, vnius ex iis canem nec à carcere abigi potuisse, nec à corpore recessisse aiũt: sed abiecto in gradibus Gemoniis domino, mœstos edidisse vlulatus, magna populi Rom. corona circunstante. Ex qua quum quidam ei cibum obiecisset, ad os defuncti tulisse, atque innatandóque identidem cadauere abiecto sustentare conatum. Celebratus quoque Icari canis, & Vlysis, qui redeuntem dominum post tot annos agnouit.

Equorum penè par fides. Occiso enim Antiocho, Centaretrium è Galathis potitum equo conscendisse ouantem dicunt. At illum indignatione accensum, domitis frenis ne regi posset præcipitem in abrupta isse, exanimatúmque vnà.

Alexandri magni equus, quem ex toruo aspectu siue ab insigni taurini capitis in armo impressi, Bucephalum appellatum constat, in Thebarum oppugnatione vulneratus, in alium transire Alexandrum non est passus. Sed operæ precium est ascribere quæ Plutarchus in Alexandro, de equo Alexandróque recitat. Philonicus hæc ait: Thessalus emerat Philippo Macedoni Bucephalum tribus ac decem talentis. qui ductus in campum, quum neminẽ admitteret tergo sessorem, tanquam indomitus iussus est à Philippo abiici. sed quum Alexander qui aderat rem grauiter ferret, dicerétq; se facilè conscensurũ equum,

Iouem obtestatus ni id faceret, precium se soluturum, concessissétque Philippus, festinabundus Alexander correptum habenis equum, contra solem conuersum statuit (animaduerterat enim, vmbra sui ipsius solitum agitari) itaque blandè iuba attrectata: reiecta, sensim chlamide conscendit equum, ac mox laxatis habenis, calcibus vocéq; ad cursum agitat, lætúsque etiam retorsit. Tum Philippus præ gaudio illachrymasse dicitur, descendentíque caput exosculans dixisse: Aliud tibi pariam regnum quære, non enim iam te Macedonia capit.

Non esse committendum quicquam nisi notis, ostendit Plautus in Asinaria. Ibi enim quum mercator à Leonida sæpe quateretur, vt pecuniam crederet: respondit, Lupus est homo homini, non homo, quum qualis sit non nouit. huiusce rei plura exempla in cap. de Dolis dicta sunt. Dionysius tyrannus censebat, vti pueros talis, ita homines iureiurando decipiendos.

Fidei ædes consecrata fuerat ab Attilio Calatino, post quam in Capitolio altera ab Aemilio Scauro dedicata est, in qua fuit celebris illa imago senis cum lyra, puerum docentis.

Sacrificabatur Fidei capite panno velato.

Horatius in carminibus, Et albo, Rara Fides colitur velata panno: Vbi Porphirio ait, albo panno coli, vel quia fides à pauperibus magis colatur, vel ob puritatem. Acron verò addit, vel quòd colatur à senibus. Verg. Cana fides.

Sinnidis filia, interempto patre à Theseo, fugiens delituerat inter dumos, reuocante verò Theseo, ac fidem dante, nihil detrimenti à se passuram, exiit, ad illúmque se contulit, à quo grauida facta, Menalippum genuit. Seneca de fide ait: Vtrumque vitium est, omnibus credere, & nulli: sed alterum honestius dixerim vitium, alterum tutius.

DE FOELICITATE. XXXVI.

THales Milesius rogatus, qui fœlix esset: qui corpore, inquit, sanus, fortuna locuples, animóque non ignauus aut imperitus.

Plato in quinque partes felicitatem distribuit: Primã, bene consulere: secundam sensibus bonáque valetudine vigere: tertiam, in rebus gerendis fortunatum esse: quartam gloria & claritate excellere: quintam, pecuniis rebúsque necessariis abundare.

Socrates apud Plat. in Gorgia, ait honestum bonúmq; virum & mulierem esse felicem.

Lacon quidam, ad eum qui Iampen Aeginetam beatum esse dicebat, quia ditissimus esset, multorũmque nauigiorum dominus: Nihil, inquit, curo felicitatem è funibus dependentem.

Gyges Lydus, qui siue ob inuentum ab eo in Promethei sepulchro annulum, pastor quum esset, cuius ope potitus est vxore Candaulis regis:

gis: siue propter Candaulis væsaniam, qui vxorem illi nudam voluit ostentare (vt est apud Iust.) rex Lydiæ factus est: tanto successu elatus Pythium consuluit, an aliquis mortalium se felicior esset? sed deus ex abdito sacrarij specu voce emissa, Aglaum Sophidium prætulit. Arcas is erat, ætate iam senior, pauperculúsq;, terminos agelli sui nunquam egressus, paruuli ruris fructibus voluptatibúsque contentus.

Anaxagoras philosophus rogatus quis fœlix esset? roganti respondit: Nemo ex iis quos tu felices existimas: sed is in ipso numero, quem tu miserum credis.

Antisthenes rogatus quidnam apud homines esset beatius: felicem, inquit, mori.

Crœsus Lydiæ rex omnium ditissimus, accitum ad se Solonem in congressu (ita vt fit) rogauit, An quis esset se felicior? Cui Solon, esse Tellum ciuem suum feliciorem, qui filios habuerit probatissimos, ísque fuisset vir integerrimus, próque patria pugnans strenuissime parta victoria occubuisset. Crœsus putans Solonem omnium vrbanitatum expertem, iterum contendit, num post Tellum, alium beatiorem nosset? Cleobem dixit, & Bitonem, Argiuos, cùm mirifico inter se amore, tum summa in matrem obseruantia: qui tardantibus bobus, ipsi iugum currus subeuntes, ad Iunonis templum matrem traxerunt, lætam, ab omnibúsque felicem habitam: deinde peractis sacris epulati, quum accubuissent, non assurrexerunt in tantique gloria mortem sine vlla molestia oppetierunt. At nos, inquit Crœsus ira incensus, nullum in numerum beatorum reponis? At Solon expectare finem iussit, quare dimissus est Solon inhonoratus. Sed vera oracula esse mox planè ostendit. nam victus captúsque à Cyro, quum viuum comburi iussisset Cyrus, pyræ impositus, Solonis nomen sæpe citauit, quærenti Cyro, rem narrat. quamobrem Cyrus fortunæ varietatem exitúsq; rerum humanarum contemplatus, extincto igne, socium consiliorum Crœsum habuit.

Socrates in Platonis Gorgia, quum ab eo quæsitum esset, num felicem putaret Archelaum Perdiccæ filium, qui tum fortunatissimus habebatur: Haud scio, inquit: nunquam enim cum eo locutus sum.

Martialis ad seipsum, de vita beata.

Vitam quæ faciunt beatiorem
Iucundissime Martialis hæc sunt.
Res non parta labore, sed relicta:
Non ingratus ager, focus perennis:
Lis nunquam, toga rara, mens quieta,
Vires ingenuæ, salubre corpus.
Prudens simplicitas, pares amici.
Conuictus facilis, sine arte mensa:
Nox non ebria, sed soluta curis:
Non tristis torus, attamen pudicus.

Somnus qui faciat breues tenebras.
Quod sis esse velis, nihilque malis:
Summum nec metuas diem, nec optes.

Vatia Romanus prætorius vir, in villa quæ Vatiniana dicta est, prope Cumas, consenuit: habitúsque est felix.

Q. Metellus, qui à victis Macedonibus, Macedonicus nuncupatus est, ab ineunte ætate fortuna fauente ad clariores honores semper elatus: tandem à quatuor filiis rogo illatus est, vno prætore, tribus consularibus, duobus triumphalibus, vno censorio. Reliquit ergo sex filios, treis filias nuptas, nepotes vndecim: nurus verò ac generos, & omnes qui illum patris appellatione salutarent, 17. ex Cicerone, Valerióque. Plinius verò 27. nō 17. ait. Fuit autem hic filius Q. Metelli, qui amisit lumina ob raptum Palladij: qui etsi non infelix dici, tamē nec felix debet, inquit Plinius. Macedonicus etiam fuit consul, censor, & augur. Plutarchus in libro de Fortuna Romanorum, ait duos ex illius genere consulares fuisse.

Datilus apud Athenienses felix, omnibus perfunctus honoribus.

Dionysius Halicarnasseus Numam felicem appellat, regio genere, forma honoréque potitum, pia eruditione excultum, omni tempore integrum vitæ, in nullo à fortuna conflictatum, quatuor filios vnámq; filiam reliquisse.

Lampido Lacedæmonia, vna (ait Plinius libro 7.) fœminarum in omni æuo refertur felix: quæ regis filia, regis vxor, regis mater fuit, vna Berenice, quæ filia, soror, mater Olympionicarum, vna familiæ Curionum, in qua tres continua serie oratores extiterunt, vna Fabiorum, in qua tres continui principes senatus, M. Fabius Ambustus, Fabius Rutilianus filius; Q. Fabius Gurges nepos. Lactátius Enhippum, regem Argiuorum, felicem appellat.

Caspij, eum qui septuagesi-num annum excesserit, fame necāt: quo in solitudine expositio, euentum eminus speculantur. Nam quem ab auibus in lectulo distrahi viderint, felicem putant: si à feris vel canibus, nequaquam: si à nullo, infelicem dicunt.

DE FORTVNA. XXXVII.

Dionysius iunior rogatus à quopiam, cur pater, quum priuatus esset, ad tyrannidem sit euectus: ipse verò, ex ipsa tyrannide sit deiectus: Pater, inquit, mihi suam reliquit tyrannidem, non fortunam.

Crœsus consultus à Cyro, de bello suscipiendo contra Tomirim reginam, à qua occisus tādem est: Si tibi, ait, esse videris immortalis, nihil est opus vt meam tibi dicā sententiam: si verò te quoq; agnoscis hominē, illud in primis discito, humanarum rerum circumesse, qui rotatus, semper eosdem fortunatos esse non sinit.

Polycrates tyrannus Samius adeò erat fortunatus, vt nihil vnquam frustra cupierit, vota nuncupabantur, & soluebantur, semel duntaxat

vultum mutauit,perquàm breuis triſtitiæ ſalebra ſuccuſſum: idque tunc,quum admodum gratum ſibi annulum de induſtria, ne fortuna incrudeſceret, abiecit in pontum: quem tamen continuò recuperauit capto qui deuorauerat piſce. Hic tandem quum bellum cum Dario gereret,ab Oronte Darij regis præfecto captus,in excelſiſsimo Michaleſi montis vertice cruci affixus, auibúſque laniandus relictus eſt. Dictum eſt de hoc in cap. de Auaritia.

Fortunam Seneca in prouerbiis eleganter ait eſſe vitreã,quæ quum tantum ſplendet,frangitur.

Plinius libro 2. Toto quippe mundo & locis omnibus,omnibúſque horis,omnibus vocibus,fortuna ſola inuocatur,& vna nominatur,vna accuſatur,vna agitur rea,vna cogitatur,ſola laudatur,ſola arguitur,& cum conuiciis colitur,volubilis à pleriſque verò & cæca etiam exiſtimata,vaga,inconſtans,incerta,varia, indignorúmque fautrix, huic omnia expenſa,huic omnia feruntur accepta,& in tota ratione mortalium ſola vtranque paginam facit.

Idem Seneca in prouerbiis: Ex hominum quæſtu facta eſt Fortuna dea. Athenienſis verò hoſpes apud Platonẽ de legibus,ait: Deum quidem omnia,& fortunam opportunitatémque ſimul cum deo, cuncta humana gubernare.

Ancæus,Neptuni & Aſtypaleæ Phœnicis filius, quum vitem ſereret,grauitérq; inſtaret miniſtris,quidam tædio operis commotus negauit futurum,vt ex ea vite herus vinum biberet. Pòſt vbi vitis proueniſſet feliciter,vuæque maturuiſſent,herus exultans, ſeruum eundem accerſit,atque ſibi vinum infundi iubet. Deinde quum calicẽ ori admoturus eſſet, ſeruo vanam exprobrans diuinationem: ecce alter miniſter exterritus,nunciat vinetum ab apro ingenti deuaſtari,quibus auditis, Ancæus depoſito poculo accurrit, in aprum inuehitur,à quo occiditur,vnde ortum prouerbium:

Multa cadunt inter calicem,ſupremáque labra.

Leotychidas primus roganti,quomodo quis maximè præſentia bona tueretur: Si non omnia,inquit,fortunæ crediderit.

Cneus Marius,non ſanæ mentis hominem eſſe aiebat,qui ſe fortunæ committeret.

T. Aufidius,publicanus primo in Aſia,poſtea proconſul fuit,iterum P. Rutilius miniſter publicanorum in Sicilia,poſtea in eadẽ prouincia proconſul fuit.

Phocionis pater cochlearia conficiebat.

Ventidius humili genere Picens: cuius mater capta eſt à Strabone Pompeij patre, capto Aſculo: imperator poſtea factus, Parthos vicit, & triumphauit. Hic mulio caſtrenſis erat de quo verſus factus eſt: Cõcurrite omnes augures,portentum inuſitatum conflatum eſt recens: nam mulos qui fricabat,conſul factus eſt.

Perſeus rex,patre ignobili ortus.

Aemilius

Aemilius Scaurus ex obſcura vita,obſcuro genere ortus,nouus homo,&(vt dicitur)terræ filius,à fortuna elatus,princeps ſenatus reputatus eſt.

Cornelius Sylla ex Nicopolis meretriculæ ſinu aſſumptus,ad cœlum elatus,ſeptiéſque conſul præter dictaturam fuit.

Lucius Lentulus conſularis,repetundarum crimine oppreſſus,cenſor creatur.

Q. Cæpio prætorius & cõſularis,& qui maximus pontifex fuerat,in publicis vinculis ſpiritum depoſuit.

Marius Arpini natus,ad tantum honoris euectus eſt: vt ſepties conſul fuerit.

C. Cæſar à piratis captus & redemptus,eos mox aſſecutus cruci affixit.

Alcibiades forma, diuitiis,nobilitate,imperiiſque præſtans, actus in exilium,venditis bonis ad inopiam deuenit.

Dionyſius iunior factus eſt è tyranno ludimagiſter.

Syphax rex mirabilis & Romanis & Carthaginenſibus, catena à Lælio legato ad Scipionem protrahitur.

Aeſopus fabulator ſcribit,cuidam cædẽti ſyluam,prolapſam è manibus eſſe ſecurim,tum Mercurius inuocatus,reddidit auream, hanc quoque ſuam eſſe neganti,ferream reſtituit. Alius verò quidam eundem euẽtum ſperans,de induſtria paſſus eſt elabi ſecurim,eam quum Mercurius inuocatus non reſtitueret,expoſtulanti,feſtiuè Mercurius: Non ſemper ſecures fert fluuius,inquit.

Hiero natus ex Heroclito nobili viro,& ancilla, quum eſſet expoſitus,ab apibus diebus multis alitus eſt,ea re intellecta,pater receptum ali iuſsit,qui poſtea à Siculis rex eſt creatus.

Pyrrho apud Argos mortuo,Alexander eius filius Antigono à militibus deſtituto,Macedoniæ regnum eripit: Demetrius verò Antigoni filius puer admodum,abſente patre recuperato exercitu: non ſolum amiſſam Macedoniam recepit,verum etiam Epiri regno Alexãdrum ſpoliauit.

Bonifacius octauus pontifex,quum Petro Morroneo viro ſanctiſſimo pontificatum deponere ſuaſiſſet,ad quem ex heremo fuerat aſſumptus,atq; depoſito pontificatu,Petrum ad heremum redeuntẽ,in carcerem cõpuliſſet,ac tandem in mortẽ: Iacobus & Petrus Cardinales Columnenſes,viri ſanctiſsimi, mortem Petri Bonifacio per dolum ad pontificatum aſſumpto obiectabãt. Is verò adeò in Cardinales excanduit,vt Prænesteſe,Zagarolum & Columnã vrbes,in quas ſe receperãt, ſolo æquauerit. Quin tanta in Columnenſes ira exarſit vt in die cinerum Chriſtiano Porcheto Genuenſi archiepiſcopo,Gibellinas partes colenti,ad pedéſq; de more procidenti,dixerit: Memento quòd Gibellinus es,& cũ Gibellinis in puluerem conuerteris. & in oculos cinerem iniecit,eodémq; die archiepiſcopatu priuauit. Sarra autem,qui

Cardinales hospitio susceperat, pontificis iram fugiens, in piratas Catalanos incidit, ad remigiúmque adactus est: sed quum forte Catalana triremis Massiliam delata esset, Sarra à rege Francorum Philippo, cui inimicitiæ cum Bonifacio intercesserant, redemptus est. Præmisit igitur Sarra Romam Gulielmum Nogaretiũ, qui ducentos equites Gallos Romæ comparauit, atque ipse habitu seruili ad Ananiam venit, vbi Bonifacius in domo paterna, & eodem quo genitus fuerat cubiculo degebat, adiuuantibúsque amicis Ananinis Pontificem adortus, effractis portis comprehẽdit. Perductúsque Romam, intra vigesimum quartum diem obiit.

Deficiente Argiuis Heraclidarum familia, ex qua mos fuerat reges creari, consultus Apollo respondit: eum crearent regem, cuius domo aquila paucos post dies superuolans sederet. sedit igitur supra Aegonis domum, qui statim rex creatus est.

Cinyrasorum familia, ex qua reges in Papho creabantur, deficiente, quum rex creandus quæreretur, Halynomum vltimæ sortis hominem, extremæque inopiæ, ac neglectum, ex horto elegit Alexander, vbi aquam elicibus deducentem offenderunt. ductus ergo à militibus, non sine magna trepidatione, statim rex creatur, intérque Alexandri sodales constituitur.

Seleucus, mortuo patre Antiocho Syriæ rege, hortante Laodice matre, nouercam Berenicem, Ptolemæi regis sororem, cum paruulo fratre occidit. sed quum vlturus sororem Ptolemæus bellum Seleuco inferret, omnes penè Syriæ reges Ptolemæo se dediderunt: eo autem reuocato domestica seditione in Aegyptum, Seleucus classem aduersus ciuitates, quæ rebellauerant, compararat. Verùm ingenti orta tempestate, classem naufragio amittit, vix ereptus cum paucis. Ciuitates verò veluti satisfactum sibi esset, in misericordiam versæ, imperio Seleuci se restituunt. qui contractis copiis, Ptolemæo bellum infert, à quo victus, in Antiochiam confugit, ludibrium videlicet fortunæ.

Demetrius vitam securam ac sine vllis incursionibus, mare mortuum vocabat.

Prompalus extremæ sortis iuuenis, persuasus à Ptolomæo, Attalo, Ariarathéque regibus, vt Alexandrum filium Antiochi se esse assimularet: id quum feci sset, breui magnis viribus comparatis. Demetrium vincit, occidit que. sed paulo pòst à Demetrio, Demetrij filio, primo prælio victus occiditur.

Timotheus Cononis filius, quum multas vrbes imperio Atheniensi subdidisset, eius inuidi præclara illius gesta fortunæ adscribentes, in tabulis dormientem illum, fortunámque vrbibus retia tendentem depinxerunt. Ille verò his rebus irritatus, quasi gloria rerum gestarum priuaretur, ab expeditione victor rediens. Viri, ait, Athenienses, rerum bellicarum à me gestarum nullam sibi potest fortuna partem vendicare. Itaque iratam dicunt in illum Fortunam esse redditam, ita vt deinceps

ceps nullũ facinus egregium bello gesserit, sed aduersis semper auspiciis pugnasse: ac demum populo inusum, è patria exulem factum. Hunc quidam inuidis illis dixisse aiunt: Si vrbes dormiens capio, quid me facturum putatis, si vigilauero?

Lucret. Vsque adeò in rebus solidi nihil esse videtur.

Admiratus Plutarchus fortunæ potentiam, ait: Ex duobus Actæonibus, quorum alter Syrus, alter Arcas fuit, vtrunque ab apro interemptum constat.

Duorum item Acteonum alterum à canibus, alterum ab amatoribus discerptum. Duorum Scipionum ab altero victos Carthaginenses, ab altero funditus euersos.

Troiam ob Laomedontis equos primùm ab eo Herculi denegatos, deinde per ligneum equum ab Agamemnone, tertiò propter equum qui in porta consistens Iliensibus claudere volentibus impedimento fuit, à Charidemo duce captam fuisse scribunt. Ad quod prouerbialiter alluśit Vergil. illo carmine: Equo ne credite Teucri. verba sunt Lacoontis, lib. 2.

Sergius Galba imperator monile margaritis gemmísque consertum, ad ornandum fortunam suam Tusculanam ex omni gaza secreuerat. Id repentè quasi Augustiore dignatus loco, Capitolinæ Veneri dedicauit. Proxima nocte somniauit speciem Fortunæ querentis fraudatam se dono destinato, minantísque erepturam & ipsa quæ dedisset. quúmque exterritus, luce prima ad expiãdum somnium præmisis qui rem diuinam appararet, Tusculum excurrisset: nihil inuenit, præter tepidam in ara fauillam, atratúmque iuxtà senem in catino vitreo thus tenentem, & in calice fictili merum. Paucis igitur post diebus iugulatus est ad lacum Curtij, solúsque relictus, donec gregarius miles à frumentatione rediens abiecto onere caput ei amputauit, in gremiúmque, abdidit, quoniam capillo præ caluitie arripere non poterat.

Cleon sutoris filius, fauente fortuna exercitus ductor factus, Pylum cepit, suámque patriam Athenas furto spoliauit. factus itaque diues est. sed variante fortuna, tandem eiectus ab alio, pœnas persoluit. Vide Regilliani exemplum in cap. de Imperatore.

Lysimachus, vnus ex Alexandri magni comitibus, pòst Alexandri mortem à Dromichete Getarum rege captus, dimissus ab illo est, liberalitérque donatus & amicitia & hospitalitate. Idémque ab eodem secundò captus in bello, iterum dimissus est. Sed is postea 15. filiis variis casibus amissis, à Seleuco victus occubuit.

M. Fiduśtius senator proscriptus à Sylla, mortem euasit: seruatúsque annis sex & triginta, à M. Antonio proscriptus est, nullam aliam ob causam, quàm quòd proscriptus à Sylla fuisset.

Canuleius tribunus plebis, abnuentibus patriciis matrimoniorum copulationem cum plebe, apud consules queritans ait: Numam Pompilium ex Sabino agro accitum regem factum: Seruium Tullium patre

tre nullo, matre serua regnum tenuisse: Tullum Hostilium in tugurio ortum è pastore regem factum. L. Tarquinium ex Demaratho natum, mercatore Corinthio, atque exule patre.

Terentius Varro, cuius incuria clades Cannensis accepta est, è macellaria patris taberna consul factus est. Sed recensere exempla fortunæ varietatis, immensi esset laboris. Etenim quæ facit magna gaudia nisi ex malis? aut quæ mala immensa, nisi ex ingentibus gaudiis.

Erichthonium Dardani filium, omnium fortunatissimum appellat Dionysius Halicarnasseus. Fortunatiores fieri credebantur, qui decumam Herculi soluebant: vnde Lucullum ob id ditissimum factum, ait Diodorus libro 5. Item qui caprã Amaltheam, Iouis altricem, in sidera relatam, exorientem aspicerent. Item qui Lunam marem, non fœminam esse crederent. Item qui Alexandri magni in argento auróve exculptam imaginem secum haberent. Item qui draconis caput limini ianuarum subditum, propitiatis oratione diis, haberent.

Salino vimine Aegæum nauigare, de admodum fortunatis prouerbio iactatur.

Fortunæ duæ in Prænestе colebantur, authore Papinio: Et Prænestinæ poterant migrare sorores. Plin. lib. 13. vnam tantum ponit: cuius simulachrum crassissima auri lamina contectum dicit. ab hoc templo sortes dabantur. Cicero libro 2. Diuin. Fani pulchritudo & venustas Prænestinarum etiam nunc retinet sortium nomen. Clitomachus scribit Carneadem dicere solitum, nunquam fortunatiorem quàm Prænestе vidisse fortunam.

Erat & in Antio templum fortunarum. vnde Caligulam monitum à fortunis Antiatinis, vt à Cassio sibi caueret, scribit Tranquillus. Et sortes ab iis dari: vnde Domitiano sortes Antiatinas, alioqui semper faustas, in obitu semper tristes fuisse.

Romæ duo templa Fortunæ Seruius Tullius struxit. vnum in foro Boario, alterum ad Tyberis ripam, quam virilem appellauit: is enim Fortunam per fenestram in cubiculum ad se irrepere dicebat. Extruxit item Fortunæ Primigeniæ fanum in Capitolio: item & obsequentis Fortunæ. Erat & priuatæ fortunæ delubrum in palatio: item aliud Fortunæ visitatricis. Ad fontem Parthenium fanum item fortunæ, & in magno angiportu fortunæ Euelpidis. est & ad Veneris masculæ, fortunæ ædicula: & sexcenta alia fortunæ cognomenta. Item templum muliebris fortunæ, à matronis ex senatus consessione extructum, ob conciliatum Coriolanum à Veturia, Volumniáque, in qua solæ mulieres litabant. ex Dione & Plut. Aedem fortunæ in Quirinali Q. Martius Ahala duumuir dedicauit, 10. anno postquam P. Sempronius Sophus consul aduersus Annibalem certaturus vouit. ex Liuio. Construxit & Lucullus ædem fortunæ, & porticum, in qua statuas à Mummio dono acceptas collocauit. Nero princeps ædem fortunæ lapide phengite transluсente construxit: in qua apertis foribus claritas diurna erat, haud

haud aliter specularium modò, tanquam inclusa luce non transmissa. ex Plin. Malæ fortunæ ara erat in Aesquiliis, authore Cicerone & Plin. Bonæ fortunæ simulachra erant in capitolio.

Fortunæ aureæ signum in cubiculis principum apponi solitum, ostendit tum Capitolinus in Antonino Pio, vbi ait: Tertia die quũ se grauari videret, M. Antonio rempub. & filiam præsentibus præfectis commendauit: fortunámq; auream, quæ in cubiculo poni solebat, transferri ad eum iussit. Tum Spartianus in Seuero, vbi ait: Fortunam deinde regiam, quæ comitari principes & in cubiculis poni solebat, geminare statuerat, vt sacrosanctissimũ simulachrum vtriq; relinqueret filiorũ. sed quum videret se perurgeri, sub hora mortis iussisse fertur, vt alternis diebus apud filios imperatores, in cubiculis fortuna poneretur.

Fortunati dies, lapillo cãdido in vrnã iniecto, vel in pharetrã, Scytharum more, notabãtur: Fœliciores vnione, infortunati atro lapillo.

Fortunam Cicero in oratione pro M. Marcello, humanarum rerum dominam appellat. Salustius fortunam ait in omni re dominari. Idem Cicero in Paradoxis ait, omnem spem, rationem & cogitationem à fortuna pendere.

Curtius eximiam quoque gloriam dicebat sæpius fortunæ, quàm virtutis esse beneficium.

Constantinus dicere solebat: Imperatorem esse, fortunæ est.

Demetrius Phalereus diuitias cæcas, cæcámque fortunam appellabat, inde Martialis ab eo mutuatus ait:

Postquam bis decies tribuit dea cæca.

Apud Homerum nulla mentio fortunæ est, ait Macrobius.

Epicurus dicebat fortunam non esse deam: Deos enim nihil temerè facere.

Fortuna à fato sic differt, vt fatum sit ordo seriésque causarum, quas fortuna subsequatur: vt sit fortuna concursus causarũ ex fato originem trahentium, incertus tamen & instabilis. Casus est concursus causarum, absque ratione accidentium in brutis vitáque carentibus.

Latentes causæ, ait Cicer. in Topicis, subiectæ sunt fortunæ, vt iacere telum voluntatis est, ferire est fortunæ. in Partionib. ait: In fortuna esse genus, amicitias, liberos, propinquos, affines, opes, honores, & iis contraria.

Agathocles Siciliæ tyrannus, in omni fortuna nunquam sine fictilibus, argenteis admixtis vasculis, cœnabat.

DE FATO.

Ascletario Mathematicus à Domitiano imperatore interrogatus, quis exitus vitæ ipsum expectaret: affirmauit fore, vt breui laceraretur à canibus. Domitianus igitur euestigiò interfici illum imperat, atque accuratissimè sepeliri, ad artis derisionem. sed repentina tempestate deiecto funere, semiustum cadauer canes discerpserunt.

Tiberio Graccho occiso à Nasica, ob agrariam legem, C. Tiberio fratri vitam ociosam degere cupienti, omneisque magistratus repudianti, Tiberium in somnis visum dixisse ferunt: Quid tardas Caii nulla est fuga, sed ambobus vnam vitam & vnam mortem pro populo Romano certantibus fata statuerunt. quod quum fecisset Caius, à consule Opimio & ipse occisus est.

Zeno philosophus, quum seruum in furto deprehensum cæderet, atque ille diceret, fatale sibi esse furari: Et cædi, inquit Zeno.

Diocletianus, quum apud Tungros in Gallia, in caupona quadam moraretur, in minoribus adhuc locis militans, facerétque rationem conuictus sui cumquadam muliere Druiade, atque illa diceret, Diocletiane nimium auarus, nimium parcus es: per iocum respondisse fertur, Tunc ero largus, quum imperator fuero. Druias verò tunc dixisse fertur: Diocletiane iocari noli, nam imperator eris quum aprum occideris (de Apro Numeriani socero intelligens, quem Diocletianus interemit ob cædem generi illatam). Diocletianus verò omine motus, apros in venatione mirificè insectabatur, plurimósque quum occidisset, & imperium Aurelianus, Probus, Tacitus & Charus suscepissent: Ego, inquit, semper apros occido, sed alter vtitur pulpamento. Quum verò Aprum virum occidisset, imperatórque creatus esset, dixisse fertur, Fatalem Aprum occidi.

Daphytas quum lugendi gratia Apollinem consuluisset: num equum posset inuenire, quamuis nullum amisisset? accepit ab Apolline oraculum, se inuenturum equum, sed ex eo deturbatum periturum. inde ludibundus, quasi oraculum lusisset, reuertens, in regem Attalum antea semper absentem contumeliis lacessitum incidit: cuius iussu è saxo, cui equus nomen erat, præcipitatus est.

Gargoris Curetum rex, qui Carchesiorum saltus incoluerunt, quum ex filiæ stupro puerũ suscepisset, ob flagitij pudorem filium exposuit. quem quum inuenisset vario ferarum genere nutritum, relatum domum in tramite angusto, per quem armenta commeare cõsueuerant, proiici iubet: sic quoque seruatum canibus, multorum dierum ieiunio cruciatis, ac mox suibus obiici iussit. sed sic quoque asseruatum, in Oceanum abiici imperat: qui quum leni salo in litus exponeretur, non multo pòst cerua affuit ad alendum illum. cui conuersatione nutricis eximia pernicitas fuit: intérque ferarum greges diu montes saltúsque non inferior velocitate peragrauit. Ad postremum laqueo captus regi offertur: qui & lineamentis, notisque corporis quæ inustæ paruulo fuerant, nepos agnitus, ab eodem regni successor destinatur.

Percosius vates clarissimus, quum sciret in fatis esse duos filios Adrastum & Amphium in bello Troiano morituros, monuit ne accederent: sed trahentibus fatis, quum accessissent, occisi sunt à Diomede. Ex Homero in Iliad.

Hecuba grauida párere se ardentem facem visa, ad virum Priamum rem

rem detulit. Isque consulto coniectore, quò se verterent sortes somnium: accepit, puerum videlicet primum qui post illa tempora nasceretur, si tollerent, futurum Troiæ exitium. ortus igitur Paris exponi à patre iubetur. sed Hecuba venustulum puerum miserata, clàm pastoribus regis alendum tradidit: alitus igitur tandem in Troiano agone omnes superat, ipsúmque etiam Hectorem: quem in se irruentem, edocet se esse illius fratrem. Agnitus ergo Paris, inter Priami regis filios recipitur, somniúmque non fecit irritum.

Procas succedens in Albano regno, Amulium Numitorémque filios suscepit, Numitori natu maiori regnum legat: sed Amulius viribus fretus, regnum occupat, filium etiam Numitoris de medio tollit: filiam Rheam Siluiam ne, qua proles susciperetur, religioni destinat. sed ea sine à milite, siue ab alio compressa, geminos peperit. sacerdos igitur vincta in custodiam datur, & pueri exponendi ad Tyberim decernuntur.

Fortè per id temporis Tybris lenibus stagnis effuso, cùm is cui negotium exponendi datum fuerat, ad iustum alueum peruenire non potuisset, & posse infantes quamuis languida mergi aqua putaret, in stagnis abiicit. restagnante autem Tyberi, sub ficu quæ postea Ruminalis dicta est, exponuntur cum alueo. ad quos lupa accedens mammam præbuit, ex eóque Romulus & Remus & Ruminalis ficus dicta: veteres enim mammam rumam vocabant. Superueniens deinde Faustulus regius pastor, inuentos pueros vxori Accæ Laurentiæ, quæ de pudicitia male audiebat, & ob id nata fabula (lupa enim meretricem significat) alendos dedit. adulti pueri venationibus studebant, inque latrones prædá onustos impetum faciebant, magnumque fortitudinis nomen sibi comparauerant. Ortaverò contentione inter Numitoris Amuliique pastores, aduersus Numitoris pastores cedunt. instantibus verò Lupercalibus, Romulum Remúmque votis attentos, pastores agrediuntur, Remum capiunt, Numitorí que vinctum deferunt. sed tum fortè Numitor audaciam Remi admiratus, indolemque non popularem, supputat expositionis tempora: inque nepotum ob lineamenta etiam oris venit suspicionem. interea Faustulus qui rem omnem sciret, Romulo rem aperit: Romulus collecta iuuenum manu, adiutore etiam Numitore, qui Remum agnouerat, in Amulium impetum faciunt: regéque occiso, Numitorem auum in regnum restituunt. ipsi verò allecti condendæ vrbis desiderio, vbi expositi fuerant relicta Alba Romam condunt. Illud addendum ex Plutarcho in libro de Rom. Fortuna: Quo tempore conceptus est Romulus, eclypsim solis fuisse, atque eandem contigisse eclypsim in eius morte. Nec illud tacendum, quod eodem authore, quo tempore à lupa aliti sunt, etiam picus martius vnguiculis ora puerorum diducens cibum infarciebat.

Mandanæ Astyagis filiæ, visum est per quietem, tantum vrinæ facere, vt omnem ipsius vrbem oppleret, Asiamque totam inundaret: Hoc somnio conterritus Astyages, filiam Cambysi viro sedati bonique ingenij,

genij, & inter mediocres se gerenti, vxorem dat, sed eo anno per somnium vidit, ex genitalibus filiæ vitem enasci, quæ omnem occuparet Asiam. Filiam ergo partui vicinam ex Persis accersit, custodésque parituræ apposuit, volens quod pareret occisum iri. genitum igitur Cyrum, Harpago familiari fidissimo, additis precibus ministque, deferendum domũ, ibique occidendũ tribuit: quò vt venisset, decreuit non esse suis manibus Cyrũ occisurum. sed accersito Mithridatis regio pastori Astyagis nomine, vt puerum in montibus exponat, dedit. Ille puerum acceptũ domum fert, rem vxori indicat. illa ad pedes prouoluta orat, ne puerum exponat. sed si necessum fuerit aliquem exponere, exponat suum, quem eo die mortuũ pepererat: quod ita factũ est. Quum igitur adoleuisset puer, à colludẽtibus pueris rex creatur: Tum quoq; Artembaris cuiusdam viri inter Medos spectati puer, quum regi puero non paruisset, comprehensus verberibus affectus est: accusatur Cyrus, ad Astyagémq; ducitur, quem intuens Astyages. Túne, inquit, pastoris filius, ausus es huius viri apud Medos primarij filium tã indignis concidere verberibus? cui ille: Hoc, inquit, here iure feci. pueri enim me regem constituerant: quippe qui videbar eis ad hoc maximè idoneus. at hic, obtẽperantibus cæteris pueris, audiens dicto esse nolebat, atque ob id pœnas dedit: hæc loquente puero, Astyages tũ oris lineamenta, tum tẽpus expositionis supputãs, in suspicionẽ venit nepotis: quare dimisso Artẽbare, Mithridatẽ bubulcũ de puero rogat. neganti minatur: ille timore perculsus, rem vti erat aperit. quare rex Harpagum ad se vocari iussit, rogitat an mandata de puero fecerit. ille verò, quũ omnia vt gesta erant aperuisset, Astyages iram dissimulans, puerum filium eius vnicum membratim dilaniari iubet, patríq; epulandum apponit. dicente verò post cibos, an satis esset bona exceptus cœna? atq; illo, etiá dicente: iis quibus datum erat negotiũ, caput, pedes, manus, reliquiasq; filij velatas detegi iubet. Cyrúmque in Persidem ad parentes remittit.

Hercules Angeam Alei filiam corruperat, pater grauidam nauæ mergendam dedit. illa quum esset iuxta Parthenium montem, vrgentibus partus doloribus, in proximã syluam, tanquam ad opus necessarium, accessit. ibi infantem peperit: quo intra virgulta abdito, in naviculam rediit. eam prudentissimus nauta quibusdam in Asiam profecturis dono dedit: filius verò inuentus est à pastoribus Corythi regis, à cerua lacte ali, eum ad regem detulerunt: quem Corythus Telephum, quòd esset à cerua nutritus, vocauit.

Laius Thebanorum rex, consulto oraculo an filios esset ex Iocasta vxore susceptus, responsum tulit, non conducere sibi prolem habere. nam qui ex eo nasciturus esset, aduersa fortuna domum esse funestaturum. Natum ergo infantem traiectum pedibus, ob id postea Oedipũ nominatum, exponi iubet. Is, quoniam domestici non exposuerant, clam à Polybia muliere nutritus est. Adultus puer, re cognita parentem inquirebat. obuiis Laio Oedipóque inter se factis, quum Laius Oedi

Oedipum cedere de via superbius mandasset, ab indignato Oedipo in cognitus occiditur. fertur eo tempore venisse Thebas Sphingẽ biformem, cuius ænigma positum soluenti Iocasta vxor & regnum Thebanorum exhibebatur. ænigma erat huiusmodi, quod animal bipes dicitur, idem tripes, & quadrupes foret. dubitantibus cæteris, Oedipus solus soluit: hominem esse, qui infans quatuor iret pedibus, adultus duobus, iam senior factus tribus, ob baculum quo senes fulciuntur. Sphinx victa se præcipitem dedit: Oedipus ignotam parentem vxorem ducit. de Hierone exposito, dictum est in cap. de Fortuna.

Rheam Chrysothei filiam, quum Apollo stuprasset, veritus pater ne ab homine corrupta esset, in arca inclusam in mare deiicit. mulier præter opinionem salutem est assequuta. nam Delon appulit, vbi Anium peperit: qui ab Apolline altus, doctúsq; diuinandi artem, magno in honore habitus est.

Acrisius Argiuorum rex, quum vitiatam à Ioue Danaëm filiam nosset, eam in arcam inclusam præcipitauit in mare. quæ delata in Italiã, inuenta est à piscatore, cum Perseo, quẽ illic enixa fuerat, & regi oblata, quam duxit vxorem.

Saturnus Cretensium rex, quum audisset in fatis esse, vt vi à filio pellẽdus esset è regno: omnes filios occidebat. Ceres verò vxor, Iouem Curetibus in Ida monte alendum clam tradidit: atque ibi lacte capræ Amaltheæ nutritus est, qui iniustum patrem Saturnum regno pepulit.

Vlysses multis somniis exterrefactus, à coniectoribus accepit, vt insidias sibi à filio caueret: is igitur Telemachum filium in agris quos in Cephalenia possidebat, additis etiam custodibus fidissimis, relegat. ipséque secedens in alia loca semota, fatum vitare nitebatur. Per idem tempus Thelegonus Vlysis Circésq; filius parentem quærens, Thracam venit, gerens hastile cui summitas marini turturis esse armabatur. insigne scilicet insulæ eius in qua genitus erat. edoctus vbi Vlysses ageret. ad eum accessit, prohibitus à custodibus, se esse Vlysis filiũ vociferatur, custodes putantes eum esse Telemachum, acrius resistunt. Thelegonus è resistẽtibus plures occidit: quòd quũ Vlysses audiret, reputãs quendam esse à Telemacho missum ad eum occidendũ, lanceã in Thelegonũ iaculatur. quã ille vt vitasset, inq; Vlyssem hastile contorsisset, vulnerat parentem, qui eo ictu concidit. sed postea quum fateretur se esse Vlyssem, Thelegonus vtraque manu caput, quòd patrem occiderit, dilaniat. Vide par exemplum Althamenis in cap. de Filiis.

Atherius Ruffus quum per quietem se confossum iri à retiario vidisset Syracusis, posteróque die rem in spectaculi confessibus narraret, ostenderétque retiariũ à quo confodi somniauerat: volens discedere à cõsessoribus, dissuasus retentúsque est. sed retiarius in eum locum compulso mirmillone, dum iacentem ferire conatur, Atheriũ occidit.

Appius Achaiæ imperator, quum consuluisset Apollinem, an interesse bellis ciuilib. deberet, virgo spiritu afflata: Nihil, inquit, ad te hoc

Romane

Romane bellum, Eubœæ cellam obtinebis. Appius itaque Eubœã secedere statuit: atque in eam regionem secesit, quæ inter Rhamnũtem Charistúmque cella Eubœa dicitur, ibíq; morbo interiit. ex Valerio. meminit Lucanus & Ouidius.

Philippus Macedonum rex, monitus ex oracvlo vt quadrigam caueret, toto regno disiungi currus iussit, locúmq; Bœotiæ Quadrigana vocatum semper fugit. Cæterum à Pausania occisus est, qui in ensis capulo quadrigam haberet.

Xerxi ab expeditione in Græciã ab Artabano deterrito, apparuit in somnis vir specie ingenti, qui bis ac secundo interminatus est, nisi eat, se futurum humilem. hoc quum rex Artabano narrasset, Artabanũ etiam in somnis illa imago aggressa est: Túne es, ait, ille qui festinantem in Græciam Xerxem detines, tanquam eius curator? Tu neque in futurum neque in præsens consideras qui dissuades, id quod est fatale contingere. Ouid. Nam ratio fatum vincere nulla valet. Fatum non ignis, non ferrea arcebunt mœnia, ait Pindarus.

Crœso sciscitanti à Pythia, ita responsum est: Sortem fato destinata non defugere deo quoque est impossibile. Fato omnia fieri, Chrysippus, Posidonius, Zeno in lib. de Fato: item Heraclitus, Empedocles, Aristoteles, Cicero de Diuinatione, & Hom. dicit: qui Iouem etiam inducit querentem, quòd Sarpedonem filium à morte contra fatum eripere non posset. Iupiter apud Ouid. libr. 9. Metam.

Me quoque fata regunt, ait. Vergil. in Aeneid.
Fortuna omnipotens & ineluctabile fatum, ait.

DE FRATRIBVS ET SORORIBVS. XXXIX.

PVblius Rutilius leui morbo occupatus, nunciata fratris repulsa, in consulatus petitione illico expirauit.

Arthemanes Xerxésque, duo ex Darij filiis, quũ post patris mortem de regno disceptarent, atque ille maior natu priuilegio ætatis regnum sibi deberi affirmaret, Xerxes verò ad nascendi felicitatem confugeret (nam ortus erat regnante Dario, Arthemanes verò adhuc priuato) ad patruũ Anafernem iudicium deferunt: qui re cognita, Xerxem præposuit. sed nec in fratrem victor insultauit, nec victus indoluit: quin ipso litis tempore inuicem munera miserunt, & iucunda quoque inter se conuiuia habuerunt, quod miraculi vicem obtinet.

Proculius eques Romanus, Augusti amicus, rarissimæ pietatis erga fratres suos Scipionem & Murenam fuit: adeò vt bona sua cũ iis æquis partibus diuiserit, quia illi bello ciuili erant spoliati. Horatius:

Viuet extento Proculeius æuo.

Lucius Lucullus tanta fratrem Marcum prosecutus est beneuolentia, vt quamuis maior natu esset, nullum tamen magistratum ante adultam

adultam ætatem fratris obire voluerit: tantámque hac humanitate apud populum sibi gratiam conciliauit, vt vel absens vnà cum fratre ædilis creatus sit.

M. Fabius, quia Q. Fabium fratrem in bello contra Etruscos amiserat, de eisdem triumphum delatum renuit.

Quum apud Persas non liceret cuiquam in mensa regia accumbere, præterquam vxori & matri, quarum mater supra regem, vxor infra sedebant: Artaxerxes tamen fratres Oxonem & Xanthem, natu iuniores, ad mensam recepit.

Cato quum Cæpionem fratrem mortuum comperisset, lamentis illum, planctu mœstitiáque incredibili prosequutus est. exactóq; immodico funeris sumptu, sepulchrum è lapide thasio illi construxit. sed quum rediturus in Italiam, Cæpionis cineres secum ferre decreuisset, amicis suadentibus vt in alia naue huiusmodi reliquias poneret, potius animam suam à se separaturum respondit. nauísque dicitur magno cum periculo traiecisse, aliis ab omni periculo immunibus.

Itapherne capto omni cum familia à Dario, in vinculáq; coniecto, Itaphernis vxor ad regias fores assiduè lamentans, lachrymansque, ad misericordiam Darium induxit. missusq; ad eam nuncius: Rex, inquit, Darius offert tibi mulier vnius electionem è vinctis domesticis, quem vóles liberari. illa verò, ex omnibus, ait, fratrem eligo, admiranti regi de electione, quòd viro filiisque fratrem præposuisset, respondit: Maritus mihi alius, si dæmon voluerit, atque alij liberi, si hos amisero, esse possunt: alius frater, parentibus meis iam vita defunctis, nulla ratione potest contingere.

Isach Germanico imperatori frater erat Alexius, quem adeò dilexit, vt nihil ad imperij administrationem præter nomen deesse videretur. captúmq; etiam à Turcis, magna pecuniarum vi redemit. sed Alexius vir temerario ingratóque ingenio, pientissimum fratrem dolo circumuentum, captum occæcatúmque, in carcerem trudit.

Cicero Q. fratrem mirificè dilexit. ad Atticum enim ita ait: Q. fratrem meum fac diligas: quem ego miser si incolumem relinquo, me totum periisse arbitrabor.

Titi duo adolescentuli Hispani, Vergilio se tradiderant. à quo ad Scipionem Pompeij socerum deducti, post diem tertium, quum morti essent destinati, maior Titus petiit à centurionibus, vti se priorem quàm fratrem interficerent: quod impetrasse, atque ita interfectos esse ferunt.

Tyberius Nero adeò fratrem Drusum dilexit, vt ad illum ægrè valentem, in Germania è Ticinio, die ac nocte, mutato subinde equo, ducenta millia passuum emensus, venerit.

Miles Cn. Pompeij quum militem Sertorianum occidisset, ac iacentem spoliaret, vt fratrem germanum esse cognouit, raptum ad castra lamentis prosequutus, rogo imposuit; ibíque se, eodem quo

fratrem,

fratrem, gladio confecit.

Antisthenes dicebat, fratres qui essent concordes victu, omni pariete esse fortiores.

Titus & L. Quintius fratres, mira beneuolentia bellum contra Philippum gesserunt: P. & Lucius Scipiones contra Antiochum. Scipio enim natu maior legatus fratri esse voluit.

Nitocris Aegypti regina, eos qui fratrem regem occidissent, nouo mortis genere occidit. nam extruxit ædificium subterraneum, ad quod conuocatis cædis fraternæ authoribus, flumen per specum immisit.

Antipater regnandi cupiditate accensus, fratres omnes de medio sustulit.

Cleopatra regni cupiditate incensa, fratrem quintum decimum annum agentem confecit: Arsinoémque sororem Ephesi ad templum Dianæ confugientem, per Antonium extinxit. idem in capite de Mulieribus citatur.

Aristobulus Hyrcani filius, mortuo patre, fratres omnes in vincula coniecit, cúmq; iis matrem etiam, præter Antigonum fratrem, quem postea suspectũ cõfodi iussit. vide exemplũ Ptolemæi in cap. de Dolis.

Corbis & Osue fratres singulari certamine; Scipione spectante, de regno pugnauerunt.

Hircanus Ioseph filius, missus à patre ad congratulandum Ptolemæo Epiphani, ob filij natiuitatem, quum à rege benignè exceptus, tractatúsque esset satis liberaliter, domum redeunti, à fratribus insidiæ struuntur.

Simulus & Rhesus Maximi filij, adeò inter se discordes fuerunt, vt Simulus Rhesum fratrem in venatione confoderit.

Telamon Aeaci filius, Phocum in venatione etiam fratrem occidit.

Aristot. lib. 7. Politicorum: Prouerbio inquit iactatum est, fratrum contentiones iráque esse acerbissimas. & qui nimium amant, hi nimium oderunt.

Abimelech Gedeonis filius ex concubina, mortuo patre, ob principatus cupiditatẽ, cæteros fratres, qui septuaginta fuerant, præter vnum occidit. sed ipse à muliere saxi fragmento occiditur.

Ioseph mercatori Aegyptio à fratrib. venũdatus, regi Aegyptiorum perquàm charissimus factus est. laborante regione fame, ad Aegyptum venire decernunt. veniunt, à fratre agnoscuntur: qui vt eorum fidem experiretur, clam poculum aureum in saccis Beniamin fecit abscondi: facta vasis inquisitione, compertóque eo apud Beniamim, assimulat Ioseph illum vita velle priuare, tanquam furem, remissis cæteris fratribus vt pote innocentibus. Iudas verò qui patri suaserat de mittendo in Aegyptum Beniamin, pro fratris salute caput suum exponere velle dicit. sed tãdem cognitus à fratre Ioseph est, & illis parsum est, & in gaudium omnes fusi sunt.

Cato senior L. fratrem, inito cum accusatoribus consilio, grandi ære in publicum referendo mulctauit.

Cambyses quum somniasset, videre nuncium è Perside venientem, qui nunciaret Smerdim fratrem in regio sedentem solio, cœlum contingere capite: statim mittit in Persas, qui fratrem occiderent.

Idem Cambyses quum aliquando catulum leunculúmque cõmitteret, superiórque esset leunculus, alter catulus catelli frater superuenit, leunculúmque superant. Tum Cambysis soror, eadémque vxor, cœpit illachymari, rogatáque à Cambyse quid illachrymaretur, dixisse fertur, subiisse fratris Smerdis occisi memoriam, cuius nemo foret vltor, indignatus Cambyses, statim illam iussit confodi, vide in cap. de Crudelitate, in dictione Ochus.

Arcesilaus Batti filius ægrotans, epoto medicamẽto à fratre Learcho strangulatus est, sed & is ab Erixo Arcesilai vxore est confossus.

Euristheus & Procles, fratres gemini, ex Argiua matre orti, patre verò Aristodemo, in omni vita inter se dissenserunt. Eorúmque posteri in dissensione semper perseuerarunt.

Osiris rex Aegyptiorum à Typhone fratre, adiutoribus filiis, occiditur: inque sex ac viginti partes sectus, cuilibet eorum qui cædis fuerant participes, deditur.

Sesosis Aegypti rex, quem Herodotus Sesostrem appellat, quum cœnaret cum vxore filiisque apud fratrem, insidiis fratris penè combustus est, nã quiescentibus post cibum illis, ignem in cubiculum noctu iniecit: inualescentéque flamma à custodibus regis sublato clamore, vix incendium deuitauit.

Regina Titeæ filia, fratrem Hyperionem virum sumpsit, duósque ex illo suscepit filios, Solem Lunámque, sed illius fratres siue ob inuidiam, siue ob imperij cupiditatem, Hyperionem fratrem obtruncarunt, Solémque puerum in Eridanum abiecerunt, Luna verò ob fratris interitum se præcipitem dedit.

Butes quum insidias parasset Lycurgo fratri, ex patre duntaxat: cognitis insidiis, coactus à fratre est, vt sumptis nauigiis cum insidiatoribus nouam patriam quæreret, & præter hoc aliud nihil.

Erigona Orestis soror ex Aegistho nata, vbi fratrem ab Areopagitis absolutum, quod matrem Clytemnestram atq; Aegysthum confecerat, comperit victa dolore immodico, interiit.

Plutus & Philomeis Cereris filij fuere, ex iis Plutus, quum nihil illi de bonis concessisset paternis, coactus Philomeis est, venditis omnibus quæ haberet bonis, duos boues emere, itaque ab eo primùm fabricatum plaustrum, arationéq; & agricolatione eum vitam duxisse aiunt.

Atreus & Thyestes odio inter se incredibili, quum vires ad nocendum pares haberent, gratia simulata ad dolos conuertuntur. Thyestes enim cum fratris vxore concubuit, Atreus verò epulandum ei filium apposuit, vt fusius in capite de Improbis dicetur.

Antonius Caracalla, quum fratrem Getam è medio sustulisset, au-

 dirétque

dirétque facinus posse mitigari, si fratrem diuum appellaret, dixisse fertur: Sit diuus, dum non sit viuus.

Gryphus Cyricœnum fratrem, ex patruo Antiocho regni æmulum, veneno de medio tollere tentauit.

DE FVRTIS AC RAPINIS. XL.

Aedituus arcis Capitolinæ, quum in annulo furtum fecisset, deprehensus annulum in os occuluit. Sed fracta in ore annuli gemma, statim expirauit.

Octauius victo Antonio, Atillum illius ex Fuluia filium necari iussit, datũ negocium Theodoro pædagogo: qui quum adolescenti ceruix abscinderetur, lapillum preciosissimum quem in colloge stabat, clàm subtractum zonæ inseruit: qua de re accusatus, conuictúsque, in crucem sublatus est.

Anitus Athenienſis admodum diues, quum Alcibiadem ad conuiuium, ad quod multi conuenerant, vocasset, denegauit, sed mox facto cum seruis agmine, in domum Aniti irrumpit, abaci suppellectilem mediam diripit, raptis vasis argenteis aureisque, tum Anitus: humanissimè mecum, inquit, Alcibiades egit, quòd mihi alterum dimidium reliquerit.

Eleazarus Dinei filius, quum latronum ordinem apud Iudæam instituisset, Fœlix Iudææ præfectus data fide, nihil mali perpessurum si ad se veniret: ad se flexit, flexúmq; & comprehensum Romam mittit. Attende, fidem latronibus non seruandam.

Passalus & Achemon fratres sceleratí, à matre Sennone, vt à Melampygo cauerent sæpe admoniti, cùm Herculem qui illàc iter fecerat, sub arbore recumbentem atque dormientem, dolis aggredi tentassent, experrectus Hercules, ambos corripit, vinctósque leporum in modum à tergo de claua appendit. Qui ita penduli, Herculis culũ nigris horridum pilis aspicientes, materni memores præcepti colloquebantur, id vt Hercules intellexit, cognomine delectatus (melampygus enim culum nigrum significat) in risum solutus, soluit, dimisitque.

L. Quintius prætor de prouincia nuper reuerterat, is quum esset æger, assidentiq; amico diceret frigidas se habere manus: respondens ille, ait: Atqui eas de prouincia calidas paulò antè reuocasti.

Ominius apud Claudium Cæsarem cœnans argenteum poculum clàm sustulit, id quum Cæsar accepisset, postridie ad cœnam vocato, fictilia apponi iussit: vt ait Plutarchus in Galba. Cæterũ Tacitus hunc T. Iunium Seruilium nuncupat, non Ominium.

Vorannius Catulli libertus furacissimus, quum deprensus esset à nummulario, de cuius mensa nummos subtractos in calceos sibi inserat, quidam re cognita, festiuè: Ve tibi, inquit, si nummularius ille excalceauerit: ita enim chalcon, id est, æs ablatum excalceato obiecit.

Claudius Nero vrbanè iocatus est in seruum nimis cupidum, nimísque furacem: Solus, inquit, es cui domi nihil sit nec obsignatum, nec occlusum.

Diogenes Cynicus, quum vidisset aliquando magistratus, qui Hieromnemones dicebantur, quendam comprehensum, quòd ex ærario phialam furatus esset, adducẽtes: Magni, inquit, fures paruum ducunt.

Idem Harpalum celebratissimum, furem contra Deos testimonium dicere aiebat, quòd in illa fortuna tandiu viueret.

Idem cernens vestimentorum furem in balneis: Num inquit, ad vnguentum, an ad aliud vestimentum?

Dion cum pessimis hominibus nauigans, in latrones incidit, dicentibus illis, Peribimus si agnoscamur: at ego, inquit, nisi agnoscamur.

Marcus Cato in oratione pro præda militibus dispartienda: Fures, inquit, priuatorum furtorum in neruo atque in compedibus ætatem agunt, fures publici in auro atque in purpura.

Lysander quum in Thraciam nauigasset, grandem pecuniam donáque recepit: ex quibus quædam per Cylippum, qui in Siciliam ductaret exercitum, Lacedæmona transmisit. Sed Cylippus dissutis, vt aiunt, sacculis, non mediocrem ex singulis pecuniam subducens, consuit: ignorans vnicuique ineſſe literulas, numerum significantes. Spartam itaq; profectus, quum ea quæ subduxerat, domi sub tegulis clam occultasset: sacculos Ephoris tradit, sigilla cõmonstrans. At illi quum recluſissent, in dubitationem adducti sunt, quòd argenti numerus cum scriptis dissonare visus est, seruus interim Gylippi veniens, factum subambiguè dicit, multas sub tegulis cubare noctuas: eo enim tempore vt plurimum Athenienſium gratia noctuæ nummis insigniebãtur.

Festus Pompeius vocabulorum antiquitatúmque studioſissimus, ait, eum qui in alienam domum furtum quærens accederet, licio cingi consuesse, ac lancem ante oculos propter matrumfamilias & virginum præsentiam tenuisse.

Alexander Seuerus imperator adeò vindex furti fuit, vt per præconem sæpe edixerit: Nemo salutet principem, qui se furem esse nosset, vide in capite de Iudicibus.

Rhapsiniticus, qui in regno Aegyptio Protheo succeſsit, tantum habuit pecuniarum, quantũ alter Regum nemo, quas vt tutiores haberet, ædificium extruxit è lapidibus quadratis, cuius murus vnus in exteriorem ædium partẽ pertingebat: in quo pecuniam ompem collocauit: sed faber machinatus opportunitatem rapiendi auri, lapidem in muri parte exteriore ita collocauit, vt facilè tolli posset, atq; inde posset aurum per furem arripi. Moriturus igitur filios quos habebat duos ad se vocat, rem aperit. Patre defuncto, haud multum rem differũt filij. Nocte igitur ad locum euntes, amoto leui momento lapide, magnam auri partem expilarunt. veniente autem ad ærarium rege, nõ inuentis vasis vti erant plenis, admiratus, obstupescénsque, quum signa salua ædificiúmq; obseratum inuenisset, vbi iterum ac tertio aperienti mi-

nor pecunia videbatur,suspicatus fures esse,laqueos quosdam circa vasa collocat,quum igitur noctu vnus è fratribus introgressus, laqueo inextricabili esset irretitus: fratrē orat,vt caput sibi abscindat,ne quis esset cognosceretur,quo facto,frater aptato lapide caput domum abstulit,vbi dies illuxit,ingressus rex expauit,mortuum vbi cernit sine capite,nec aditum vllum in ædificio. Abiit igitur,corpúsq; furis è muro suspendi iussit,custodibus appositis,vt siquem transeuntem,ploran tem,aut miserantē aspicerent,adducant. Cadauere suspēso,mater minitata est filio,nisi corpus alterius resolueret,se rem omnem regi nunciaturam. His angustiis(quum matrē nullis potuisset precibus à proposito diuertere)actus,rem mirā est commentus,instratis enim asinis, vtres vini optimi imposuit,vtq; ventum est ad custodes,reuulsis ligaculis duos trésve vtrium pedes resoluit:túmq; profluente vino vociferatum,capútq; cædentem,quasi nesciret vtri ex asinis se cōuerteret,videntes custodes procurrēre cum vasis,vinúmque collegēre,ille verò simulans primò iracundiam,postea rediit in gratiā,ac inde profectus donauit illis vinum ex vtribus:eos igitur temulentos sopor inuadit, post multam noctem,corpus suspensi dissoluisse,& custodum malas dextras in contumeliā derasisse,atq; asinos impositò cadauere domū versus agitasse ferunt,regi verò quum id esset nunciatū,egerrimè tulisse:ac tandē(si credere dignum est)ad rem inueniendam,filiā scilicet suam domi prostituisse omnibus qui vellent. Sed ante coitum qui accedebant,cogebātur,quicquid callidi egissent in vita,enunciare, ita vt qui narraret ea quæ circa furem facta essent,eum comprehenderent. Hunc itaque furem tandem,recentis mortui amputatam manum sub pallio ferentem isse,atque ingressum omnia narrasse. Illam manum in furem iniecisse. Illum dextram mortui porrexisse,atque per fores se proripuisse muliere delusa. His cognitis,rex fide data per præconem edixit,non veniam modò daturū: sed munera,qui istæc fecisset,quod quum factum esset,admiratus Rhapsiniticus illius prudentiam,filiam illi matrimonio collocauit.

Agamedis,Cercyonis & Trophonij par huic,aut ferè idē est exemplum. Nā quum hi optimi essent artifices, ærarium Augeæ regi construxerunt,lapidémq; de industria commissum submouentes,aurum Augeæ prædabantur,sed laqueo quem Dædalus parauerat,Agamedes illaqueatus est. Trophonius igitur & Cercyon caput Agamedi abstulerunt,atque in Orchomenium aufugerunt. Agamedes verò & Cercyon fratres fuerunt,Trophonius verò Agamedis priuignus.

Catulus,dicente Philippo,quid latras? festiuè ille,furem se videre respondit.

Iliaci furati quum essent aureum cantharū è Cybelis fano,comprehensi: En,inquiunt,indignæ rei sæuitiā,quam pleriq. insontes periclitantur homines,propter vnicū calicùlum,quem Deūm mater sorori suæ Syriæ hospitale munus obtulit. Ex Apuleio lib.9. de Asino aureo.

Famosi

Famosi furto: Autolycus apud Hom. Vlisis auus maternus,apud Strab. Cleon latronum princeps, sequutus Anronij prius partes,dein Augusti,factúsque princeps,vt apud nos Viriatus: item Pulfuerius à Probo imperatore occisus. Zenodotus,Harpalus,de quo suprà: item Corcyræi,Cirtij,Martij,Paresitaceni,Scenetæ Arabes,Elymaitici,Coralli,Bessæ,Dantheletæ,Tapyri,vt ait Strab. Cossei ex Plin. Apud Iudæos latronum princeps Ezechias quidam,Syriā deuastans: item Tygias,Attabas,Numenius,& Phœnix quidam,cui quatuor fuisse aures fabulæ aiunt,à quo occisi Entimus Cretensis,& Antiphemus Rhodiensis: quamuis essent ab oraculo moniti,vt sibi ab homine quatuor aurium cauerent. Infames Argiui: Cacus Vergiliano carmine notus, occisus ab Hercule iuxta Pallanteum,propter abactas boues. Hunc, ni fallor,Diod. lib.10. Lacinum vocat: Apud Thucydidē Cares & Phœnices: item,Periphatus & Coryneis à Theseo occisi,cum Procuste,Scyrone,& Cercyone Arcadico: quorum Procustes longioribus lecto hospitibus pedes amputabat,breuioribus extendebat: Scyron flexis arboribus,hospites alligans, relaxatis arboribus discerpebat: Cercyon verò viatores ad certamen apud Eleusinam vocatos,victos cōficiebat, P. Cornelius Ruffinus manu quidem strenuus,& bellator bonus,militarique disciplina peritus: sed furax homo,ex Gellio,apud Philostratum famosus Thamus Aegyptius.

Quidam furti damnatus est, quod equum, cuius vsum Aritiam vsque commodatus fuerat, ad vlteriorem municipij cliuum adduxerat: ex Val. Nam vt Paulus Dig. lib.47. ait,Qui iumenta sibi commodata longius duxerit,alióve modo inuito domino vsus sit,furtum facit.

Latronum beneficium est,inquit Cicero in Philippica 2. vt commemorare possint se vitam dedisse,quibus non ademerint.

Laconici pueri ob licentiam adeò erant furaces,ac deprænsionis timidi: vt quum exillis quidam leonis catulum surripuisset,pallióque inuoluisset,eius ventre vnguibus dentibúsq; à bestia discerpto,omnia latendi gratia tolerans,obierit. deprænsi enim in furto cædebantur, aliàs immunes.

Apud Aegyptios verò qui furari volebant,consuesse apud principem sacerdotum nomen suum scribere,factúmque furtum ad eum deferre,inuentóque furto qui rem amisisset,quarta parte mulctabatur,quæ furi daretur.

Cor vulturis qui secum haberet,tutum esse à regum latronúmque ira,ait Plin. lib.29.

In Sardinia fontes sunt coarguendis furibus apti,nam quisquis sacramento raptum negat,lumina aquis abluit,vbi periurium non est. cernitur clarius: si perfidia abnuit,detegitur facinus cæcitate,& captis oculis admissum tenebris fatetur.

Furti exemplū vide in capite de Crudelitate,in dictione Caligula,

DE FAME ET SITI. XLI.

DArius quum aquam turbidam, cadaueribúsque etiam putrefactam, admodum sitiens biberet, negauit vnquam se bibisse iucundius.

Socratem ferunt quum vsque ad vesperum contentius deambularet, quæsitúmque esset ab eo quare id faceret: respondisse, quo melius cœnaret, obsonare ambulando famem: optimum enim obsonium, dicebat, est fames.

Ptolemæo peragranti Aegyptum, comitibus non consecutis, quum cibarius panis in casula rustici datus esset: Nil visum, ait, illo pane iucundius. Non habet panem meus pistor, inquit Seneca lib. vlt. Epist. sed habet villicus: sed habet atriensis, sed habet colonus. malum panem, inquis. expecta, bonus fiet. Etiam illum tenerum tibi & siligineum fames reddet.

Apud Laconas ius quod nigrum vocabant, maximè quum celebraretur, fertur Dionysius tyrannus iuris ipsius gratia Laconicum emisse seruum: ac iussisse id sibi præparari, nulla impensæ habita ratione. sed quum gustasset, indignabundus expuisse. Tum verò coquus, O rex, inquit, hoc ius tibi famendum est, quum te Laconicè exercueris, in Eurotáque laueris.

Egio Plautinus in Captiuis, quum Ergasilo parasito dixisset, Esurire mihi videris. festiuè Ergasilus, Mihi equidem esurio, non tibi.

Artaxerxes cognomento Memor, Cyri frater, quum in fuga eius essent impedimenta direpta, siccisque ficis ordeaceóque pane tantum vesceretur: Qualis voluptatis inexpertus, inquit, eram?

Diogenes Cynicus in foro manibus operans: Vtinam, inquit, liceret sic perfricato ventre non esurire. Catò in oratione quam habuit ad populum tumultuantem in frumento diuidendo, ait: Difficile quidem est Quirites, ad carentem auribus ventrem verba facere. venter præcepta non audit, poscit, appellat. At non est molestus creditor, paruo dimittitur. Si modo das illi quod debes, non quod potes. Ex Seneca lib. . epist. ad Lucil.

Syrus Chremetis seruus apud Terentium, quum herum lusisset, Clitiphonis herilis filij gratia, atque dixisset Clitiphoni: Rogasse vellem. & Clitipho dixisset, Quid? Sy. Vnde mihi peterem cibum, tibi iam esse a sorore n intelligo. Clit. adeón rem redisse, vt periculum etiam de fame mihi sit Syre? Syr. modo liceat viuere. Est spes. Clit. quæ? Sy. nos esurituros satis.

Obsidente Demetrio Athenas, tanta fames vrbem inuasit, vt de muro qui mortuus è tecto decidérat, pater & filius inter se decertarint.

Artaxerxis exercitus contra Cadusios adeò fame laborauit, vt asini caput vix sexaginta drachmis venale inueniretur.

Vsipij Britanniam aggressi, conclusi tandem eò redacti sunt, vt infirmissimis suorum sorte ductis vescerentur.

In Hierosolymitana obsidione boum veterum fimum, aliúdque stercus pro alimento habuere. & mater ad cibum filium affauit, præmissis tamen his verbis: Miser fili, in bello, fame, & seditione, cui te seruauero? apud Rom. etiam si vixeris, seruiturus es, fames etiam præuenit seruitutem. his verò seditiosi sæuiores sunt. Esto igitur mihi cibus, & seditiosis furor, & humanæ vitæ fabula. quod etiam Romam obsidente Vtigite, in Italia contigisse, memoriæ proditum est.

Cambyses quum duceret exercitum contra Aethiopes, tanta fame laboratum est, vt sortiti ex seipsis decimum quenque comederint.

Othone Henrici filio imperatore Romam obsidente, tanta fames Romæ inualuit, vt modius furfuris triginta aureis sit venditus.

Phraate Parthorum rege effusuro se in nostras prouincias, in Bosphoranis tanta fames secuta est, vt singula mancipia singulis frumenti modiis permutarentur.

Proculo Geganio Macerino & L. Menenio Lanato consulib. tanta fuit fames Romæ, vt multi ex plebe obuolutis capitibus se in Tyberim præcipitauerint.

Cretenses obsidente Metello ob penuriam vini aquarúmque, iumentorum vrina sitim sedarunt.

Numantini à Scipione obsessi, carnibus humanis vesci coacti sunt. Plin. cap. 58. viror. illust. Lucanus lib. 4.

Iámque comes semper magnorum prima malorum
Sæua fames aderat.

Calliguritani vt cineri Sertorij fidem seruarent, obsessi à Pompeio, ex rerum penuria vxores filiósque ad vsum ciborum verterunt.

Vergilius: Et malesuada fames.

Lupus in fame terra vescitur, serpentes annuam famem tolerant, algore modo dempto. Chameleon nullo cibo: sed ore hianti aëre tantum victitat.

In Scythia herbam esse aiunt, quam Spartaniam vocant: eam in ore habentes, famem sitimque non sentiunt. In Creta herba est quæ Alimos dicitur, ea admorsa diurnam famem prohiber. Hippicem herbam etiam habentes Scythæ, famem 12. diebus perferre traduntur.

In Cephalenia insula pecudes maiore ex parte anni ore aperto ex alto ventos recipientes sitim sedant. Miluos verò semper famelicos esse, Plinius ait.

Plautus in Amphitryone, Fames & mora bilem in nasum coniiciunt. Columel. lib. 2. teterrimam mortis comitem famem appellat. Homer. lib. 12. Odyss. ait: Miserrimum esse fame mori.

Crates Thebanus dicebat, amorem fame sedari.

Chrysantas apud Xenoph. lib. 8. quum dixisset, non bene conuenire cœnatum cum incœnato, festiuè Cyrus: Ita mediusfidius, nam plenorum venter fit curuus, incœnatorum autem simus.

DE FVCO. XLII.

PHilippus Macedo quum audisset, quendam quem iudicum ad numerum conscripserat, barbam capillósque infecisse: è munere remouit. Eum enim, inquit, qui in capillis infidus est, non dignum esse cui in negotiis fides habeatur. Vrbanè igitur Seneca: Personam, inquit, vt malis, quàm faciem.

Mulieres fucatas, Aristophanes simias fucis pictas vocat.

Apud Troglodítas mulieres cerussa mirificè faciem illinunt: collóque conchas suspendunt, contra fascinationes.

DE FORTITVDINE, ANIMIQVE magnitudine. XLIII.

PRitannus gladiator Samnis, rectis transuersisque neruis toto corpore, omneis aduersarios leuibus atque plenè securis congressionibus vicit. Filiúsque eius pari modo natus Cn. Pompeij miles ita spreuit hostem prouocantem, vt inermi eum dextra superauerit, & captum digito vno in castra imperatoris sui detulerit.

Milon Crotoniata ictu nudæ manus taurum cecidit, eadémque die eum solus sustulit non grauatim. In Olympiis taurum quadrimum per stadium gestauit.

M. Sergius ter & vigesies vulneratus, amissa dextra manu, vno die quater pugnauit: & vicit sinistra. ab Annibale bis captus, refugit ruptis compedibus, catenisque. Cannensi quoque prælio solus recepit coronam. idem sibi fecit ferream manum, eáque religata duodecim castra hostium in Gallia cepit.

Eundem Milonem Pythagoricæ disciplinæ columnam aliquam, in philosophorum contubernio labantem, adeò subeuntem sustinuisse, donec ereptis cæteris, ipse quoque periculum euaserit.

Sicinius Dentatus centies & vigesies pugnans, in prælio semper victor, sex & triginta spolia ab hoste retulit, authore Gellio. Plin. 3. 45. vulnera in pectore excepit, nullum in tergo, donatus coronis aureis 8. ciuicis 14. muralibus 3. obsidionali 1. torquibus 183. Plin. lib. 33. armilis 160. hastis 18. phaleris 25. Achilléque Romanus vocatus est. ex Gell. Valerióque. Plin. addit, octies victorem fuisse ex prouocatione. Diony. Hali. L. Siccium dicit centies & vigesies pugnasse.

Aristomenes Messenius 300. occidit Lacedæmonios solus, ipse conuulneratus & captus per cauernam Latomiarum euasit, vulpium aditus sequutus.

M. Seruilius vir consularis, vigesies tricies singulari certamine pugnauit, semper hoste occiso.

Alunius Valens centurio in Augusti prætorio vehicula cum culeis onusta

onusta donec exinanirentur sustinere solitus est: carpenta comprehensa vna manu retinere, obnixius contrà nitentibus iunctis.

Fusius Saluius duo centenaria pondera pedibus, totidem manibus, & ducenaria duobus humeris contra schalas ferebat.

Athanathus quinquagenarium thoracem indutus, cothurnisque quingentorum pondo calceatus, per scenam ingrediebatur.

Q. Cotius ob fortitudinem Achilles cognominatus est.

Sampson in sacris literis fortitudine celebris, Vergilio autem lib. 4. Aeneid. Erix, qui cestibus cum Hercule pugnauit. Entellus cum Darete, Epeus & Eurialus apud Homerum cum cestibus, apud quem nouem fortissimi numerantur cum Hectore pugnaturi, Agamemnon, Diomedes, Aiax Telamonius, Aiax Oileus, Idomeneus, eiúsque famulus Merion, Eurypilus, Thoas, Vlysses, apud eundem celebratissimus: Bellorophon item, Achilles & Dores. At celeberrimus apud omneis est Hercules, Iouis Alcmenæque filius: sed ab hoc Hercule omnes Saturni nepotes fortissimi, id est, vetustissimarum familiarum, regum nobilium nepotes, Hercules dicuntur, vt primogeniti illorum Ioues, authore Xenophonte. Vnde Varro enumerat Hercules quadragintatres. atque hoc nomine honorari omnes qui fortiter quippiam egissent.

Polydamus athleta adeò viribus confidebat, vt ruentem speluncam diffugientibus aliis conatus sit humeris, licet frustra, sustinere. Vide Maximum in capite de Imper.

Ogyges rex celebratur fortitudine. is lectum etiam ferreum habuit, latitudine cubitorum quatuor, longitudine nouem.

Attilius vnus è Cæsaris militibus, nauali apud Massiliam prælio hostilem ingressus puppim, abscissa ei gladio dextra, vmbonem sinistra retinuit, eousque hostes vultibus obterrens, vt prostratis omnibus nauem victor occuparet. Plutar. in Cæsare. Valerius verò sic de ipso ait, Attilius miles 10. legionis Cæsaris, in pugna maritima abscissa dextra quam Massilensium naui iniecerat, læua apprehendit: nec antè dimisit, quàm demergeret.

L. Glaucus vir nobilitate conspicuus, in bello quod gestum est contra Asdrubalem, duce Metello, fugientem Asdrubalis nauem vna manu detinebat: qua excisa, altera detinuit: quam etiam amisit. Cynegirum etiam in naui Persarum præfecti Pachi detinēda idem passum esse, ait Plut. in Paral. sed is dentibus nauem detinuit fuítque Athenienſis, authore Valer. & in bello Darij contra Athenienses, ex Iustino.

Symon Sauli filius tantæ fuit fortitudinis, vt integros hostiū cuneos sæpe solus fugauerit: quum igitur multos Iudæos Scythopolim venientes obtruncasset: atque aliquando Scythopolitani à Iudæis circundati essent ne in hostium manus deueniret, parentes primò occidit, ac pòst hos coniugem liberósque. quibus occisis, & ipse forti manu totum in viscera ensem demergens, super illos occubuit.

L. Siccius, qui centies ac vigesies in pugna vicerat, emeritus propter ætatem militia, ad bellum contra Aequos vltrò accessit cum octingentorum militum cohorte: missus ab vno è cõsulibus ad hostium castra, oppugnando vallum cœpit. rediénsque Romam, multa in duces iactabat, vtpote ignauos, bellique inexpertos. Molestè tulit rem Decemuir Appius, ac sub honoris specie insidias illi struit. Misit enim illum ad consules legatum, ad quos scripserat, vt de perdendo illo cogitarent. Qui vt venit, ostendit non opportuno loco castra esse posita. sed rogatus vt locum eligat, secúmq; ducat quos velit ad locum eligendum, assumpsit centum, quibus negotium occidendi eius datũ esset. Erat cum Siccio famulus subscutarius, qui suspicatus rem domino indicat: Ille verò descendens ex equo (erat enim conclusus in loco difficili) venientes in se expectat. quindecimque ex illis occisis, trigintá jue vulneratis, omneis erat occisurus, si à fronte obuiã irent: sed scelestissimi milites in illum eminus iacula, fustes, è rupibúsque transuersis lapides iaculantur. atque ita senem illum de patria bene meritum confodiunt.

Romanus miles in bello Cannensi truncatis manibus, Numidam supereminentem vltus est. complexus enim nasum, oráque Barbari, mordicus dilacerauit.

Calsius Scæua pugna ad Dyrrhachium commissa, excusso sagitta oculo, traiectis per humerum crúsque iaculis, centum ac triginta telorum ictibus acceptis, in clypeo hosteis perinde atque se dediturus accibat. subeuntibúsque duobus, alterius quidem humerum ense cecidit, alterum ore percussum vertit in fugam.

Idem in bello Britannico solus in scopulo cateruas hostiũ sustinuit: donec traiectus femur tragula, galea ictibus discussa, & scuto crebris soraminibus absumpto, duabus loricis onustus inter vndas enatauit.

Xerxes quum Græciæ bellum intulisset, Athenienses miserunt speculatum Agesilaum Themistoclis fratrem. is vt venit in exercitum, Mardonium quendam è Xerxis stipatoribus pro Xerxe confodit. captus, deductúsque ad regem, cùm ad Solis aram immolandus datus esset: in ea dextram imponens ipse, aliquandiu suppliciorum vim, nec vllo quidem emisso suspirio tulit. itaque vinculis solutus: Vniuersi, inquit, huiusmodi Athenienses sunt, quod si fidem non habes, lœuam quoque iniiciam. idem fecisse Mutium Rom. præsente rege Ethruscorum Porsenna, legimus.

Præxaspes à secretis Cambysis, quum is transfixum filium à Cambyse vidisset, extincto Cambyse, sollicitatus à Magis vt Persis apud quos erat magnæ autoritatis suaderet, Smerdim qui Cambysi successisset, non esse Medum: sed fratrem Cambysis, quem occidendum ipsi Præxaspæ mandatum fuerat: quum concionabundus turrim ascendisset, cœpit regum Persarum rationem recensere. ac postea Persis persuasit, vt de Magis pœnas sumerent: seque è turri præcipitem dedit.

Lacon

Lacon quidam adhuc impuber captus, clamabat, Non seruiam. vtque primum iussus est fungi seruili ministerio (afferre enim vas obscœnum iubebant) elisum parieti caput rupit. ex Seneca 11 epistola. Plutarchus ait, se præcipitem dedisse è tecto.

Alexandro Magno vulnerato in pectore, in arcis Mallorum expugnatione, quum ab amicis reprehenderetur quòd opus militis subiisset, seniorem quendam Bœotum dixisse ferunt: Virorum est, ò Alexander, magna facinora aggredi: sed qui præclare quicquam facit, necesse est & pati.

Iulius Cæsar quum eius acies feroci Neruiorum impetui cederet: arrepto scuto è manu militis, prælium restituit, Netuiósque fugauit.

Idem aquiliferum terga hosti dantem, faucibus comprensum in hostes conuertit, atque subiunxit, Quorsum abis. illic enim sunt quibus cum dimicamus.

Scipio Aemilianus quum Intercallantiam Hispaniæ vrbem obsideret, suadentibus quibusdam vt circa mœnia ferreos murices spargeret, omniáque vada tabulis plumbatis consterneret, clauorum cacumina habentibus, ne subita eruptione hostes in præsidia nostra impetum facerent: respõdit, Non esse eiusdem & capere aliquos velle, & timere.

Androcidas Lacon ad eum qui rogabat, cur breuibus Spartiatæ pugionibus in bello vterentur: Quia cum hostibus, inquit, comminus dimicamus.

Manlius Capitolinus ante 22 annos bina cæpit spolia: qui primus omnium eques coronam muralem acceperat, 6 ciuicas, 37 dona, cicatrices aduerso corpore 33.

Leonidas, Cleomenis frater, quum ad illum Xerxes scripsisset, mitte arma: rescripsit ille, Veni & cape.

Callicrates aduersus Mardonium Xerxis ducem pugnaturus, sagitta percussus, ac propemodum exanimatus. Ego, inquit, mortem mihi lugeo, scilicet quòd domo profecisens, vt pro Græcia morerer huc venerim. sed angor animo, quod nec strenue, nec fortiter dimicans oppeto.

Pythius Scenoi filius, in bello nauali contra Persas, capta naue eousque restitit, donec totus dilaniatus est.

Miles quispiam quum incentem eum hostis trucidaturus esset, interrogatus ab hoste, cur potius in pectore quàm humeris vulnerari vellet: ne, inquit, si is qui me amat, terga perfossa vulnere respexerit, erubescat.

Quum quidam in tabula picta aspiceret Lacones ab Athenienſibus iugulari, ac diceret presente Lacone, fortes nimirum esse Athenienses: festiuè Lacon, in tabula, inquit.

Diogenes Cynicus in hyeme solebat aut niueam imaginem, aut æneam amplecti: quum igitur in magno frigore statuam æneam amplectentem vidisset quispiam, perconctatus à Diogene est, an frigesceret? Negante illo: Quid igitur, inquit, magni facis?

Germanus

Germanus quidam,inquit Seneca libro decimo Epistolarum, nuper in ludo bestiariorum, quum ad spectacula matutina pararetur, secessit ad exonerandum corpus (nullum enim aliud ei dabatur sine custode secretum) Ibi lignum i l quod ad emundanda obscœna adhærente spongia positum est,totum in gulam farsit. & præclusis faucibus spiritum emisit.

Quidam etiam,inquit Seneca eodem in loco,quum veheretur inter custodias ad matutinum spectaculum,tanquam somno premente nutaret,caput vsque eò demisit, donec id currus radiis inseruit: & tandiu se in sedili suo tenuit,donec ceruicem circumactus rotæ frangeret.

Secundo Naumachię spectaculo,inquit idem ibidē,vnus è barbaris lanceam quam in aduersarios acceperat,totam iugulo suo mersit.quare,inquit,non omne tormentum,non omne ludibrium iam dudum effugio?quare ego mortem armatus expecto?

In coniuratione,in qua cōtra Magos à Dario cæterisque pugnatum est, quum res noctu trasigeretur, vnúsque è sociis Gobrias implicitus esset cum Mago, Darius stans hærebat ne Gobriam feriret. ei quum dixisset Gobrias,cur manu non vteretur,respondēti Dario, dispicio ne te feriam:Tu verò,inquit,vel per vtrunque exige gladium. cui Darius obtemperans,ictu vibrato Magum casu percussit.

C.Milo athleta quum constitisset,nemo vestigio educebat: malum tenenti,nemo digitum corrigebat.

Hegesistratus Eleus in vincula à Spartiatis coniectus, ne cruciatibus torqueretur(sciebat enim se multa passurum,quum multa intoleranda illis tribuisset) vt erat ligneis ferreisque compedibus vinctus, dimidium sibi pedem præcidit,vt reliquum pedis educeret. subrutóq; muro,deceptis custodibus aufugit in Tegæam.

Cæsaris centuriones quum in Britannia in aquosum palustrémque locum incidissent, irruerunt in eos hostes: tum in Cæsaris conspectu miles quidam medios hosteis irrupit,plurima fortitudinis edens opera:versisq; in fugam hostibus,centuriones reduxit incolumeis.Ille verò ægrè cunctos vitans, in limosam sese iniecit paludem, quam nunc natans,nunc pedibus commeans,vix tandem omisso scuto traiecit. admirante deinde Cæsare,& magna cum alacritate ac clamore obuium excipiente, mœstus ille ante Cæsarem concidit, déq; proiecto clypeo multis cum lachrymis veniam postulat.

M. Cato, Catonis superioris filius, in prælio contra Perseum equo delapsus,ab hostium manipulo circumuentus, quum quendam procerum impeteret,gladius è manu elapsus, in mediam hostiū cohortem decidit:ad quem recuperandum inter hostium mucrones se immergit. collectóque gladio,multis vulneribus acceptis,ad suos reuertitur.

Philopœmenes Achæorum imperator, quum in loco iniquo ab hostibus Messeniis oppressus,captus,Messenámque ductus esset, nolente turba ob virtutē meritáque virū occidi:factionis authores clàm venenum adferendum curarunt. illum autem accepto poculo, nihil aliud loquutū ferunt,quàm quæsisse,an incolumis Lycortas(is alter Achęorum imperator erat)equitésq; euasissent?posteaquam dictum est incolumes esse:Bene habet, inquit. & poculo impauidè hausto, expirauit.

Phaselus,Herodis regis frater,captus ab Antigono,ac manibus vinctus,quum amarissimum iudicaret sub inimico perire,caput saxo illisit, exeóq; vulnere moritur:additis(vt aiunt)ab Antigono venenis.sed antequam animam eructaret,mirificè aiunt oblectatum, quòd Herodem fratrem ad hostium vindictam superuenire audiret.

Victo à Parthis Crasso, quum illi passim Romanos sternerent, 20. Romani nudatis gladiis per confertissimos hosteis traseuntes, incolumes Carras venēre.

Abimelech,qui 69.fratres regnandi cupiditate occiderat,quum turrim in quā Israhelitæ confugerant oppugnaret,saxi fragmento à muliere grauiter vulneratus:armigerum rogauit,vt eum occideret, ne à muliere occisus videretur.quod factum est.

Obsidente Perinthum Philippo, Antigonus sagitta oculum eius à catapulta missa verberauit.nonnulli eam parantibus eximere,prohibuit Philippus:nec ante pugna excesit, quàm fusum intra mœnia fugasset hostem.

Ippitas,vnus è tredecim qui in vincula cum Cleomene à Ptolemæo coniecti erant,quum effugisset è carcere vnà cum aliis,essetque altero pede claudus:sociósq; eius causa expectandi tardius progredientes videret,rogauit vt ipsum interficerent.neque enim æquum esse dicebat, tantæ rei agendæ occasionem ob vnius inutilis viri salutem amitti.

Pyrrhus à Mamertinis iniquo loco deprehensus, vulneratus in capite,quum paulùm ex pugna cessisset.vnus ex hostibus elatus, regem si viueret barbara voce in certamen prouocauit.iratus Pyrrhus, in pugnam redit; Barbarúmque illum assequutus,ita caput percutit, vt & Pyrrhi robore & virtute gladij vsque ad parteis inferiores vulnus descenderet,inq; duas partes corpus diuisum sit.Sunt qui putent, Pyrrhi ensem ad Rolandum peruenisse.

Alexander Macedo Parmenioni Granicum fluuium transire dissuadenti,ait,futurum vt Hellespontus erubescceret, si eo superato Granicum pertimescerem.

Fabius Rutilianus magister equitū,absente Papyrio Cursore, dum manum cum hoste conserit,nostríque cedunt,detractis equorum frenis,calcaribúsque extimulantes,in aduersos Samnites,suos egit.

Cæsar dictator,audita Catonis morte in Vtica,Inuideo,ait, mortem tibi Cato:nam & tu mihi salutem inuidisti. Horat. Catonis nobile lethum vocat.

Laconicus quidam adolescens, pollicenti cuidam se Gallos daturum,qui pugnando interirent:vrbanè, Ne tu quidem des istos, sed ex illis potius qui dimicando occidant.

Cleome

Cleomenes Anaxandridę filius, rhetore quodam de fortitudine orationem habente, Plurimũ ridebat. dicente illo, quid rides Cleomenes, de fortitudine verba facientem audiens, præcipuè quum rex sis? Quia, inquit, ô hospes, si hirundo de se ipsa diceret, hoc idem facerem: sin aquila magna, magnam agerem quietem.

Iubellius Taureas Campanus, ob Fuluij crudelitatem, vxorem filiósque confecit: ac demum gladio incubuit.

Philomenes, laudantibus aliis mirum in modũ quendã: Quónam, ait, modo eius viri dignè habenda mentio est, qui in hostium potestatem viuus peruenit?

Polydorus Alcamenis filius, victis Argiuis, quum socij hortarentur ad inuadendam vrbem, cuius facilè potiretur extinctis viris: Hostes, inquit, pugnando ex æquo mihi vincere est honestum.

Pelopidas, quum in Tegyras venisset, eóque etiam Lacedæmonij, accelerans quispiam: ô Pelopida, inquit, incidimus in hostem: Quid magis, inquit, quàm illi in nos?

Sinnidas Lacon ante pugnam Leuctricam, quibusdam dicentibus illum ipsum diem ostensurum fortem virum: multifaciendum, vrbanè inquit, diem esse, qui virum fortem saluum monstrare possit.

Pelopidas domo egrediens, lacrymante vxore, ac dicente, vt seipsum saluum redderet: O mulier, inquit, priuatorum semper est admonere, Ducum autem ac imperatorum alios saluos facere.

Argiuo quodam dicente, multa sunt apud nos sepulchra Spartiatarum: excipiens Lacon, At apud nos, ait, nullum Argiuorum. quòd videlicet ipsi Argos inuasissent.

Thebani, quum victis Laconibus, ad Eurotam vsque venissent: exilisque iactabundus quidam dixisset, vbi nunc Lacones sunt? Lacon quidam captiuus: Non adsunt, inquit, neque enim vos huc venisse tis.

Lacon quidam oculorum morbo laborans, ad bellum proficiscebatur. sed quibusdam dicentibus: quò abis, sic affectus, aut quid facturus? quamuis, inquit, nihil aliud egero, hostis saltem gladium hebetabo.

In India, gentes hi qui sapientes habentur, nudi ætatem agunt, & Caucasi niues hyemalémque vim perferunt sine dolore: quúmque ad flammam se applicuerint, sine gemitu aduruntur.

Lysimachus Callisthenis philosophi sortem miseratus, quòd membris turpiter truncatis, labiis nasoq; etiam mutilatus, ab Alexandro magno in caueam cum cane clausus circunferretur, venenum ei in calamitatum remedium dedit. quod adeò ægrè Alexander tulit, vt eum obiici leoni ferocissimo iuberet. sed quum ad eum leo impetum fecisset, manum manipulo inuolutam in eos leonis Lysimachus immisit: arreptáque lingua, feram exanimauit.

Antigonus, quum circa Andrum nauale ageret bellum, dicente aliquo, multo plures esse hostium naues, Me autem, inquit, aduersus quot oppones?

In bello

In bello quod à Spartanis duce Leonida in Persas gestum est, Dieneces vir Spartanus, quum à quodam Trachinio diceretur, barbaros præ multitudine sagittarum solem obducere: Eo melius, inquit, nam in vmbra pugnabimus.

Fortem virum, ait Homerus lib. 13. Iliad. in pugnæ principio modicè timere. Plin. lib. 18. ait, validiora fieri corpora quæ fermentato pane alerentur.

Apud Iosephum lib. 11. Antiquit. quæstio à Dario proposita est tribus custodibus, quidnã fortius esset vino, muliere, & veritate? dicente post alios duos Zorobabele, veritatẽ, hoc est, deũ esse fortiorẽ, omnes assensere: quęstio est ibi vrbanissima, quam qui videre velit, illic legat.

Brasidas quum in Caricis murem cæpisset, morsus dimisit: ad eos autem qui aderãt inquit, nihil est tam paruum, quod se nõ seruet, dum audeat vlcisci aggredientes.

Aurelianus Probus imperator, à morum probitate dictus, quum equus esset illi oblatus, qui quantum captiui pollicebantur, centum ad diem millibus passuum currere dicebatur, atque per octo vel decẽ dies cursum continuare, credẽtibus omnibus Probum eum equum emturum, sibíque seruaturum: fugitiuo, inquit, militi potius quàm forti hic equus conuenit.

Cicero, quum à Cæsaris viri magnanimi partibus discessisset, Pompeiíque debilitatem contemneret, vrbanè, Quem fugiam, inquit, noui: ad quem fugiam, non noui.

Sertorio Laronium Hispanię oppidum obsidente, accessit cum omnibus copijs Pompeius, auxilium laturus obsessis. sed quum Sertorius opportunũ aduersus vrbem cumulũ occupasset, Pompeius oppidanis scripsit, vt bonam haberent spem, Sertorium ab illo obsessum esse, non autem obsidentem: intercluſum enim mediũ putabat Pompeius Sertorium inter vrbem suásque copias. Sertorius verò hæc audiens risit, & Syllæ discipulo (sic enim Pompeium vocabat) se ostensurum inquit, oportere ducem post terga magis quàm à fronte prospicere. reliquerat enim Sertorius sex millia militum post terga, ita vt Pompeius penitus oppidi euersionem aspicere sit coactus.

Androclidas Spartanus inerepatus quòd in aciem claudus descenderat: Pugnare, non fugere, propositum sibi esse respondit.

Epaminundæ pugnaturi cum Lacedęmoniis, quum sella succubuisset, militéque rem malé ominarentur: Imò, inquit ille, sedere prohibemur. animósque militum restituit.

Brutus post Cæsaris cædẽ periculis circundatus, scribit ad Atticum, optimo in statu mentem suam locatã esse. aut enim victor Romanam Rempublicam liberabo, aut moriens à seruitute euadam, inquit.

Idem Brutus, quum in porticu Pompeij prætor iura diceret, quidámque iudicum ad Cæsarem prouocasset, multúmq; exclamans obtestaretur: Brutus ad astanteis aspiciens, me Cæsar, inquit, facere iuxta

leges

leges non prohibet,nec prohibebit.

Portia Bruti vxor, cogitantem sollicitumque virũ de Cæsaris morte,quum non ausa esset compellare, rémq; sibi occultari molestè ferret,animi constantiam voluit viro ostendere. nam arripiẽs cultellum, profundum vulnus in crus sibi intulit.quo vulnere, quum febre laboraret,Brutúsque vehementer indoleret:Ego, ait, Portia Catonis filia, ô Brute,tibi data sum,non vt pellex cubilis mensæq; tantũ particeps, sed vt tecum cuncta communicarem. scio muliebrem naturam ad arcana reticenda imbecillem:sed est Brute vis quędam educationis,optimæq; consuetudinis,& Catonis filiam,& Bruti coniugem esse. atque hæc locuta, vulnus ostendit.Plutar. in Bruto. Valerius verò ait illam dixisse:Ego verò experiri volui,si tibi propositum ex sententia parum cessisset,quàm æquo animo me ferro essem interemptura.

Scipio Aemilianus, adolescente pulcherrimum ei scutum ostẽtante: scutum, inquit, ô adolescens pulchrum est: sed Romanum virum decet magis in dextra spem habere,quàm in sinistra.

Archidamus Lacon Zeuxidami filius, ruentem ad pugnam cum Athenienſibus filium admonuit his verbis:Vel adde virib. vel magnanimitati detrahe.

Philippus Macedo,quum Alexandro filio dixisset, num vellet regiã ædificare domum, ornatam auro, electro,eboréque:Minimè, inquit Alexander,sed potius hostium spoliis.

Alexander Macedo,insultantibus in eum Scythis,conuiciisque trãs Tanaim fluuiũ lacessentibus,tranare decreuit.sed dissuadẽte Aristãdro vate,quòd prodigiis prohiberetur, ac periculũ sibi imminere dicente: iræ impatiens,Satius est,inquit,periculo me offerre, quàm tota penè Asia subacta,Scythis ludibrio contemptuique esse:flumenq; traiicit.

Idem Alexander cuidam ciuitati partem agrorum,& dimidium rerum omnium promittenti:Eo,inquit proposito in Asiam veni, non vt id acciperem quod dedisses,sed vt haberetis quod reliquissem.

Africanus prior patria cedere maluit,quàm cum tribuno plebis humillimo de innocentia sua disserere.

M.Castritius, quum non obtemperaret Gn. Carboni, de obsidibus Placentinis dandis:atque ille dixisset,multos se gladios habere:at Castritius,Et ego multos annos, ait.

Cæsar signis collatis, quinquagies dimicauit: solus M.Marcellum transgressus,qui dimicauit vndequadragies.

Idem captis apud Pharsaliã Pompeij Magni scriniis epistolarum, iterúmque apud Taspum Scipionis, ea optima concremauit fide, ac non legit,

Cornelia Scipionis filia, duodecim partuum mater, totidem funeribus recognouit,Eam ob occisos Tyberium & Caium Gracchos, atque etiam insepultos abiectos, miseram vocantibus iis qui cõsolabãtur: Nunquam,inquit, non felicem me dicam, quæ Gracchos peperi.

Sene

Seneca de consolatione ad Martiam: ad Albĩdam verò matrem ait, Corneliam decem amisisse filios.

Canus Iulius vocatus à Caio imperatore,quum post altercationem ab eo discedere vellet: Falleris,inquit Caius,duci te iussi ne abires. Gratias,inquit ille,tibi ago optime imperator:decémque dies medios vsque ad supplicium sine vlla sollicitudine exegit,ludebátque calculis ac latrunculis,quum centurio agmẽ piratarum trahens,illũ quoq; excitari iuberet,vocatus etiam numerauit calculos,& sodali suo:Vide. inquit,ne post mortem meam mentiaris,te vicisse tamen.Annuénsque centurio,Testis,inquit,eris vno me antecedere.Atq; quum amici mœsti essent:Quid mœsti,inquit,estis vos? quæritis an immortales animæ sint?Prosequebatur illum philosophus,atque quum ventum esset ad locum vbi immolandus erat Canus: Quid iam,ait philosophus, nunc cogitas?Obseruare,inquit Canus proposui,illo velocissimo momento,an sensurus sit animus exuere se,promisitque,si quid explorasset,circumiturum amicos,& indicaturum quis esset animarum status.

Porus Indorum rex,inuadente Indiam Alexãdro,suadentibus amicis vt societatem cum regibus finitimis iniret,ad propulsandam Alexandri inuasionem:Si mihi inquit,tantæ vires non sunt,vt sine sociis saluus esse non possim,melius profectò est non regnare.

Idem Porus,suadentibus amicis vt flumini sacrificaret, ne postea transitum Alexandro,si secus fecisset,præstaret: Non est,inquit,arma tentantium supplicare.

Idem,dicentibus amicis,si supplex Alexandro cessisses,non esses victus,respondit,Si Alexãdro supplex cessissem,fore vt ipse me ignauum seruum:sin armatus restitissem,generosum regem iudicaret.Idẽ pòst ductus ad Alexandrum captiuus, dicente Alexandro, quomodo à se esset tractandus:Regio,inquit,modo,& dicente Alexãdro,Ecquo alio modo?Nullo prorsus,inquit.

Bussequa Tritormus Aetolus,viribus adeò claruit,vt à Milone Herculeus sit nuncupatus.Is enim lapidem ingentem ad se protraxit,bísque ac ter propulit,ac demum sustulit ad genua,humeróque impositũ ad quinquaginta tulit vlnas,quem Milo vix tellure mouebat,idémque Tritormus,tauri omnium maximi atque ferocissimi pedem constantissimè retinuit:Suspicor Tritannum de quo antè dixi,prius Tritormum,ob huius similitudinem fuisse nuncupatum,corrupto paulatim nomine.

Alexander quum castra prope Darij castra locasset,eíque Parmenio è charissimis vnus suaderet,vt noctu hosteis inuaderet:respondit, Turpe esse victoriam furari. Lucanus:

Nescia virtus.
Stare loco,solúsque pudor non vincere bello.

Epaminundas,quum circa Leuctricæ pugnæ tempora vir strenuus morbo occubuisset,ô Hercules,inquit,quomodo in tantis rerum mo-

mentis otium moriendi vir iste potuerit inuenire?

Idem Alexander, quum ob vulnus ad Triballos acceptum pater Philippus claudicaret, atque ob id in publicum prodire non auderet: Sustine, inquit, pater, nec dubites in medium prodire: ambulãdo enim virtutis magis memineris.

Idem admodum puer, quum Persarum legati ad Philippum venissent, ac fortè per id temporis Philippus peregrè profectus esset, admodum hospitaliter eos accepit, atque inter mutuos sermones Alexander cœpit rogare, quantas copias Persarum rex haberet, quáve in classe rex acie instructa consuesset dimicare? obstupuere legati, atque dixerunt, Puer hic rex magnus, noster verò opulentus, fuit enim in Alexandro Cyri spiritus, Agesilai temperantia, Themistoclis solertia, Philippi experientia, Brasidæ fiducia, Periclis dicendi vis.

DE FORMA AC PVLCHRITUDINE. XLIIII.

CRassus quum apud Marcum Perpennam iudicem pro Aculione diceret, aderat contra Aculionem Cratiliano L. Lælius Lamia deformis, qui cùm interpellaret odiosè: Audiamus, inquit Crassus, pulchellum puerũ. Tum Lamia: Non potui mihi, inquit, formam ipse fingere, ingenium potui. Seneca in Prouerb. Formosa, inquit, facies muta commendatio est.

Zeno dicenti formoso cuidam, non videri sibi amaturum sapientem: Nihil, ait, vobis formosis est infelicius.

Philopœmen Megalopolitanus, vir illustris, quum mulieris Megarensis hospitium aditurus esset, atque ea vẽturum Philopœmenem Achæorum imperatorẽ audisset, animo fluctuabat, præsertim in ipso cœnæ apparatu (fortè enim maritus aberat) agitabatur. Interim ipse Philopœmen tenui admodum cũ chlamide subit ædeis: quem mulier, ex ministris quempiam præcurrentem anteuertisse suspicata, vt ministranti sibi opem adhiberet, rogat. continuò Philopœmen relicta chlamyde, scindere ligna cœpit. Inter hæc hospes ingressus, vbi rem cõspicatur, quidnam hoc est, inquit, ô Philopœmen? cui Philopœmen: quidnam aliud, ait, quàm quòd indecoræ faciei supplicium do? Ex Plutar. in Philopœmen, apud Liuium Philopomenes semper legitur.

T. Flaminius Philopœmenem aliquando mordens, ô Philopœmen, inquit, quàm pulchras manus habes & crura, cæterum ventrem nõ habes (erat enim mediis ex partibus gracilior) scomma verò Titi in modicas Philopœmenis facultates inuectum est.

Formam dicebat Aristoteles plus quàm epistolas omneis valere ad commendationem.

Socrates vocabat formam modici temporis tyrannidem: Plato, naturæ priuilegium: Theophrastus, tacitam deceptionem: Theocritus, eburneum

eburneum detrimentum: Carneades, regnũ solitarium. Domitius nec quicquam gratius dicebat decore, nec breuius. Hom. formã appellat naturæ dona glorioſa: quod Ouidius æmulatus, forma dei munus, ait.

Formosi apud Homerum, Idæus virorum omnium excellentissimus forma, & Marpises eius vxor: Nereus, Caropei & Aglees filius: item Lædæ filiæ, vnde formosos ex ouo prodiisse, prouerbio dicitur, item Aeneas, Parísque. Formosissimas verò mulieres in Hellade esse, ait Ouidius 1. Metamorph. si memini, apud Hypepas venustissimas mulieres esse ait. apud Xenophontẽ lib. 3. Pædiæ, Susia mulier omniũ mulierũ Asianarum pulcherrima dicitur.

Celebres forma, Claudius imperator, & Spurina, de quo supra: Alcibiades in omni ætate formosam prætulit speciem: fuisse tamen ei balbutiem, quæ nitorem voci & sermoni venustatem afferebat. Macochir Persa præcipuam habuit laudem, amplissimæ pulcherrimæque corporis formæ, vt ait Probus in Timoleonte. Celebratur & Artemon adolescens. Iupiter apud Homerum capitis forma laudatur, atq; oculorum: pectoris Neptunus, cincturæ atque ilium Mars. Hebes pedum venustate celebratur à Diodoro libro quinto: fuit autem Iouis filia. Ab eodem homero Niobe venustissima nuncupatur.

Darij vxorem omnium venustissimam reginarum fuisse, ait Plutarchus: Dariúmque formosissimum, formosissimus etiam habitus Phaon, in adulterióque deprehensus occisus.

Voconio, cum tribus filiabus deformissimis, obuiam factus Cicero, submissa voce ad amicos, Hic, inquit, Phœbo non permittente liberos seminauit. Plutarchus in Apoph. Roman. deformes fuisse Manilij filios, supra in cap. de Liberis dictum est.

DE FVGA ET FVGITIVIS. XLV.

FVgitiuum seruum ad puteum sedentem videns Diogenes Cynicus: caue, inquit, adolescẽs ne incidas, ad fugam alludens.

Fabricius quum demisso capite à iudicio recederet, vrbanè Cicero in oratione pro Cluentio ad illius fugam alludens: Respicite, inquit, hominum fortunam, respicite C. Fabricij senectutem.

Agamemnon apud Hom. in Iliad. lib. 14. consultans cum Hectore de nauibus deducendis, quum murus esset à Troianis dirutus: Neque enim, ait, perniciem fuga vitari crimini dandum est, nocte præsertim: & meliore loco est qui fugiendo euadit malum, quàm qui detrectando fugam malo ipso intercipitur, sed ab Vlysse acriter increpitus est.

Fugitiuus lapis est in Cyzico: quo Argonautæ pro anchora vsi, ibi eum reliquerant, hunc è Prytaneo (ita vocatur locus) sæpe profugum fixere plumbo.

Vestales nostras,inquit Plin.lib.28.hodie credimus nondum egressa mancipia ex vrbe retinere in loco precationis.

Acron illud Hor.in epist.exponens, Vtque fugitiuus sacerdotis liba recuso:ait,Quum in seruis suspicio furti habetur: ducunt ad sacerdotem:qui crustum panis carmine infectum dat singulis,quod quum ederint,manifestum furti reum asserit,nunc quoque in furtorum suspicione datur panis comedendus hoc carmine inscriptus:cuius maledictione os plenum est,& amaritudine & dolo sub lingua eius,labor & dolor.fure non deglutiente.

Diogenes Cynicus,quum eius seruus Mathen,quem vnicum habebat,aliquando aufugisset,hortarentúrque vt reduceret,negauit:turpe est,inquit,Mathen sine Diogene viuere posse,Diogenem sine Mathen non posse.

DE FIDVCIA. XLVI.

POmpeius ad censores equum adduxerat,de more militum:qui omnia militaria munera quum obiissent, equum ad censores deferebant,vt numeratis stipendiis ab imperatoribus,vel laudes vel vituperationes acciperent, quibus percunctantibus,an omnia stipendia feciisset:omnia,inquit,sub meipso imperatore. Vide de hac re in capite de imperio.

Fabius legatus ad Carthaginenses,in senatu sinu ex toga facto ait: Hîc vobis bellum & pacem portamus,vtrum placet sumite,fidenter illi,Daret vtrum vellet,succlamarunt. Et quum ille bellum dare dixisset,accipere se omnes responderunt.

Galli Insubres Britomaro duce,non prius soluturos se baltea quàm Capitolium ascendissent,iurauerunt:sed victi ab Aemilio,ne sacramentum irritum foret,captos in Capitolio Aemilius discinxit.

Herodes apud Ioseph.lib.1.bell.Iud. Nimis enim confidens,ait incautus est:metus autem prouidentiam docet.Repete exemplum cap. de Iactantia,in dictione Aug.

Galli Adriæ vicini ad Alexandrum magnum amicitiæ & hospitalitatis gratia conuenêre,eos quum excepisset rex,rogassétq; comitem in conuiuio, quidnam esset quod maximè pertimescerent? ratus seipsum responsuros:Nihil illi aliud,aiunt,præstantissime rex,quàm ne suprà nos cœlum ruat.ex Arriano & Strab.

Tigranes mittens Metrobarzanem cum tribus equitum millibus,plurimisque peditibus in Lucullum,imperat,vt cæteris Romanis conculcatis,solum imperatorem viuum ad se deducat: sed in primo congressu à Sextilio vincuntur Barbari,Metrobarzanésque occiditur.

Idem Tigranes quum viginti millia funditorum sagittariorúmq; equitum supra quinquaginta millia,peditum verò centum quinquaginta millia,item qui viis sternendis & huiusmodi officiis opus essent, triginta quinque millia haberet:Lucullíque copias paruas negligeret: dixisse

dixisse proditum est,per quam molesto se animo ferre,quod cum Lucullo solo,non cum vniuersis Romanorum ducibus in vnum collectis decertandum esset:conspectóque Luculli exercitu,assentatores super spolia Romana sortes miserunt: sed mox consertis manibus ab vniuerso Tigranis exercitu fuga cœpta est:Tigraníque fugientis diadema in Luculli potestatem venit.è Romanis vulnerati 100.occisi 5.ex hostibus vltrà centum millia occisa.

Antiochus philosophus nullâ stragem ait talem sub sole vnquam visam.In bello tamen quodinter Theodoricum Attilámque gestum est,centum quinquaginta millia:vel secundum alios,centum octoginta millia ceciderunt,vide in capite de Victoria.

Occisis in Hispania cum parte exercitus,P.& Cn.Scipionibus,nullo è Romanis audente ad rem corrigendam accedere:Scipio,qui Aphricanus postea cognominatus est,annum quartum & vigesimum agens, se iturum pollicitus est.

Cato superior tantum fiduciæ in innocentia posuit,vt ad quæstionem deductus,Tyberium Gracchum,quo cum multum dissidebat,iudicem deposceret.

Mumio consule bellum cum Achæis gerente,eius copiæ ab illis despectui habitæ sunt,prædam enim cogitantes, vehicula ad spolia hostium reportanda duxerant,coniuges liberósq; suos ad spectanda certamina in montibus posuerant,sed commisso prælio,ante suorum oculos cæsi,spectaculum lugubre fuêre,coniuges quoque & liberi eorum de spectatoribus captiui facti sunt.

Euripides poëta,postulante populo,vt ex tragœdia quandam sententiam tolleret,progressus in scenam dixit,se vt eum doceret,non vt ab eo disceret fabulas componere venisse.

Diogenes Cynicus quũ venalis esset (erat enim ex libertate seruus factus) vellétque eum emere Xeniades,perconctantique quid artificij nouisset:Noui,inquit Diogenes, hominibus liberis imperare. Tunc Xeniades responsum admiratus,emptum manu emisit,filiósque suos ei tradens:Accipe,inquit,liberos meos quibus imperes.

Xerxes quum Atticas ficos venales in Persidẽ inuectas vidisset,nõ ante ipsum esurum affirmauit:quàm regionẽ illas ferentẽ subdidisset.

Antiochus Lacon Ephorus,quum accepisset Philippum Messeniis agrum dedisse:vrbanè interrogauit,an etiam vim illis dedisset,qua de agro certantes euaderent victores.

DE FOENORE AC VSVRA. XLVII.

AGesilaus quum Agidi persuasisset,vt debitorum fœneratorúmque nomina,tabulæq; vnà comburerentur:apportatæ in forum Clarium,ac coaceruatæ suppositó igni dum cõcremantur,abeuntibus fœneratoribus ac diuitibus cum tristitia:Agesilaus illorũ calamitates irridens, nunquam se clarius lumen aut ignem puriorem vidisse iactabat.

Gnipho fœnerator apud Lucianum in inferis ingemit, quòd Rodochari incesto prodigóque bona sua cesserint.

Cato interrogatus num liceret fœnerare: quid hominem, inquit, occidere? & in lib. rei Rust. Maiores, inquit, nostri ita in legibus posuere, furem dupli condemnari, fœneratorem quadrupli.

Vsuraria acquisitio pecuniæ, inquit Arist. in Politicis, est præter naturam.

Columel. in præfatione rei Rust. An fœneratio probabilior sit, etiam iis inuisa, quibus succurrere videtur.

Vespasianus filiorum familias fœneratoribus exigendi crediti ius sustulit, vt ait Tranq.

Macedo fœnerator inter cæteras sceleris causas, quas illi natura administrabat: quum æs alienum adhibuisset, & sæpe materiam peccandi malis hominibus præstaret: pecuniam nequid amplius diceretur incertis nominibus credebat. sancitum ob id, ne cui qui filiofamil. mutuam pecuniam dedisset, etiam post mortem patris eius, cuius in potestate fuisset, actio petitióque daretur: vt scirent qui pessimo exemplo fœnerarent, nullius posse filij famil. bonum nomen expectata patris sui morte fieri. ex Vlp. 14. Dig.

Apud Germanos vsuras nullas esse, ait Tacitus.

Ex legibus Mosaicis etiam non sunt vsuræ permissæ.

Alphius fœn. dicebat, optima nomina non appellando fieri mala.

Fœnerator celebris apud Hor. Fusidius apud Val. Q. Considius, qui furore Catilinę consternata rep. fœnus relaxauit. Cecilius adeò durus, vt minoris centesimis propinqui nummum mouere non possent.

Vsuræ semisses apud Rom. graues dicebantur, videlicet quum ex sorte, id est 100. nummis per singulos annos sex exoluerentur fœneratori: leuiores trientes.

Laudatur Alexander Seuerus, quod fœnus trientarium constituerit: & item Antoninus Pius, ex Capitol. Plin. Secundus in epist. scripsit ad Traia. de Vsura, non posse reperiri qui velint debere reip. ex duodenis assibus.

DE FRIGORE VEHEMENTI. XXVIII.

Corbulone aduersus Parthos exercitum tenente, tanta fuit frigorum vis, vt quidam inter excubias exanimati sint. annotatúsque miles qui fascem lignorum gestabat, ita præriguisse manus, vt oneri adhærentes truncatis brachiis reciderint.

P. Manlio, & P. Ticinio, P. Melio, L. Furio Medullino, L. Popilio tribunis tantum frigoris niuísque ea fuit hyeme, vt viæ clausæ, & Tyberis innauigabilis fuerit.

In ore quidem paludis Meoticæ tanta glaciei vis est, vt quo in loco missus

missus à Mithridate imperator equestri pugna barbaros in glacie hyeme superasset: illos ibidem, nauali prælio soluto per æstatem gelu vicerit.

Inter circulum septentrionalem, cardinémque poli, vbi sol continuis sex mensibus non videtur, in ea oceani parte ne nauigari quidem posse dicunt propter mare congelatum. Agrius id ait apud Varronem de re Rust.

Herod. quidem ait mare congelari, Macrobius verò negat. aítque ideò Cimmerium glaciascere: quia multorum fluuiorum aquæ illuc concurrant.

Vinum congelascere in Alpibus, Plin. ait: ita vt ruptis vasis glaciatæ moles prodigij modo stent. In Germania vinum congelatum non vasis modò ferri, sed etiam canistris & sinu, plures sunt qui viderint.

L. DOMITII BRVSONII LVCANI FACETIARVM EXEMPLORVMQVE

Liber III. Ad Mecœnatem.

DE GVLA. I.

Lurimum negotij (vt Plinij vtar verbis, modestissime Mecœnas) humano generi aluus exhibet, cuius causa maior pars mortalium viuit. aliàs enim cibos non transmittit, aliàs non continet, aliàs non conficit: eóque mores venêre, vt homo maximè cibo pereat: pessimum corporum vas, instat vt creditor, & sæpius die appellat. huius gratia præcipuè auaritia expetitur: huic luxuria conditur, huic nauigatur ad Phasim, huic profunda vada exquiruntur: quicquid auium volitat, quicquid piscium natat, quicquid ferarum discurrit, nostris sepelietur ventribus: & ideò subitò morimur, quia mortuis viuimus. Sed iam ingluuiei exempla subnectam, vt commodonibus aliquando faciam rem periucundam, & parcis ridiculam.

Geta imperator in mēsa sibi apponi iubebat dapes per alphabetum, videlicet anserem, anatem, aprum: aliquando pullum, pauonem, perdicem, porcellū, piscem, pernam: fasianum, farta, ficus, & id genus cætera.

Philoxenus Erixius collum longius sibi quàm gruibus fieri exoptabat, vt in gustu magis oblectaretur. ex Arist. in Ethicis. Magis autem sunt ciborum auidi, quibus ab aluo longius spacium est, ait Plin.

Apitius, ait Anneus Seneca ad Albidiam matrem, nostra memoria vixit: is scientiam popinæ professus, seculum sua disciplina infecit. quum verò sestertium millies in culinam coniecisset, quum tot congiaria principum & ingens Capitolij vectigal singulares comessationes suas fuisset: ære alieno oppressus, rationes suas tum primum coactus

ctus inspexit. superfuturum supra sestertium centies computauit: & veluti multa fame victurus, si in sestertio centies vixisset, veneno vitam finiuit.

Diuus Bernardus: Voluptas, inquit, gutturis quæ tanti emitur, vix duorum latitudinem obtinet digitorum. Apitij extant de re coquinaria libri: Sed iam ante eum Mythecus de Siculorum arte coquinaria scripserat: teste Socr. apud Plat. in Gor.

Festiuum distichon Valer. Martialis in Crispum comedonem

Quadrantem Crispus tabulis Faustine supremis
Non dedit vxori. cui dedit ergo? sibi.

Bion Boristhenites cuiusdam comedonis gulam, qui ventris gratia fundos vendiderat, vrbanissimè taxauit: Terra, inquit, Amphiaraum absorbuit, sed terram tu.

Cato superior, eum qui agros maritimos vendidisset, valentiorem ipso mari nuncupabat: vtpote quod mare vix diluere potuisset, ille ingurgitasset.

Maximinus imperator triginta libras carnium solus comedebat.

Clodius Albinus imperator quingentas ficus passarias, à Græcis callistrutias dictas, ieiunus comedebat: centum persica Campana, melones Hostienses decem: vuarum Lauicanarum pondo 20. ficedulas centum, ostrea quadringenta.

Comedo quidam, vt est apud Vopiscum in Aureliani imper. vita, in Aureliani mensa aprum integrum, centum panes, veruecem & porcellum comedit.

Theagenes Thasius athleta taurum solidum vna cœna comedit. Milon Crotoniata in Olympiis quadrimum taurum ingurgitauit: comedebat aliquando viginti minas carnium, totidémque panis.

Astyadamas Milesius ab Ariobarzane Persa ad cibos aliquando citatus: quicquid omnibus destinatum foret, voraturum se promisit: & promissa impleuit.

Clambis Lydorum rex ad id voracitatis euectus est, vt nocte quadam vxorem deuorauerit, atque quum summo mane illius dextram in ore comperisset, gladio incubuit.

Taxantur voracitate apud Liuium, Papyrius Cursor. apud Tranquillum Galba imperator, & P. quidam Octauius: de quo Seneca in epist. Nam quum Tyberius mullum quatuor pondo & selibræ vendi iussisset, Amici, inquit, omnia me fallunt nisi istum mullum aut Apitius emerit, aut P. Octauius: vltra spem illi coniectura processit. licitati sunt, vicit Octauius, ac quinq. sestertiis emit infamis Timocreon Rhodius.

Lari, labracésque edaces prouerbio dicuntur. pisces enim larus escæ auiditate stupidus, manu capitur: vt labrax deuorato hamo statim cum omni esca.

Percnopterus ex aquilarum genere ieiunæ semper est auiditatis, & querulæ murmurationis, sola aquilarum exanima fert corpora.

Strut

Strutiocameli omnia penè sine delectu deuorant, & lupi in fame terram mandunt.

Infamis etiam cognomento Fabius, qui ob absumptum patrimonium Gurgitis cognomen accepit.

Proteruia apud maiores sacrificium dicebatur, in quo mos erat, vt si quid ex epulis superfuisset, igne cõsumeretur. Hinc Catonis est iocus in Albidium quendam qui quũ suabona deuorasset, & nouissimè domũ, quæ ei reliqua erat, incendio perdidisset: proteruiam fecisse dicebat.

Diogenes Cynicus luxuriosum intuitus adolescentem, oleas edentem: si sic pransus esses, ait, non ita cœnares.

Zeno philosophus edaci, ac nihil patinarum sociis in conuiuiis relinquenti, appositum ingentem piscem sustulit: solúsque comedere cœpit. quum verò ille toruè Zenonẽ intueretur: Quid ergo, ait Zeno, socios quotidie pati arbitraris, si tu meam edacitatem semel ferre non potes?

Gallus testis contra Pisonem repetundarum reum, quum magnam pecuniam dixisset datam Magio præfecto à Pisone: ne prouincialium iniurias ad se delatas aperiret: Scaurúsq; Magij tenuitatem inopiámq; redargueret, inquit festiuè: erras Scaure. Ego non Magium conseruasse dico: sed tanquam nudus nuces leget, in ventrem coniecisse.

Scipio minor, qui postea Aemilianus dictus est, censor declaratus, quum accepisset iuuenem quendam placentam ex melle in vrbis similitudinem compactam, Carthaginémque nuncupatã, conuiuis diripiendam dedisse, equo priuauit. rogatúsque causam: quia me prior, inquit, Carthaginem diripuisti. optimóq; scommate gulam illius vindicauit.

Agesilao iter per Thasiorum agrum cum copiis facienti, quum Thasij anseres, bellaria libáque ex melle, atque id genus cibaria, vináque item preciosa obtulissent: accepta farina reliqua, asportari retrò iussit. precantibus verò Thasiis, vt omnino illa acciperet, mancipiis accepta distribuit. Cæterum illis causam rogantibus: Eos respondit, qui probitati fortitudiníque studerent, non decere huiusmodi ganeis & gulæ irritamentis delectari.

Et in Persíde, & in Mauritania Cæsariensi, Getulia contermina Massilis, venenati faui gignuntur. Quid sibi voluit natura nisi vt cautiorem minúsque auidum faceret hominem? ait Plin.

Lepidus censor quum M. Antistio Pigensi equum ademisset, amicique vociferarentur ac dicerent, quid ille patri suo respondebit? cur ademptum sibi equum dicet, quum optimus colonus, parcissimus, modestissimus, frugalissimúsque esset? Me istorum, inquit, nihil credere.

Pausanias quum Medos vicisset, iussit Persicam cœnã præparatam sibi apponi. in qua quidẽ quum magnus inesset sumptus: Per deos, inquit, lurco Persa erat. qui quũ tot haberet, ad nostram venerit polentã.

Claudius imperator gulæ deditus, vini cibíque adeò appetens erat, vt quum in Augusti foro causam cognosceret, victus nidore prandij, quod in maxima Martis æde Saliis apparabatur deserto tribunali, a-

l 5 scend

Universidad de Deusto Biblioteca

scendit ad sacerdotes, vnáque discubuit.

Martialis in Calliodorum.

Addisti seruum numnis here mille ducentis,
Vt bene cœnares Calliodore semel,
Nec bene cœnasti: mullus tibi quattuor emptus
Librarum, cœnæ pompa caputque fuit.
Exclamare libet, non est hoc improbe, non est
Piscis: homo est, hominem Calliodore voras.

Idem in Tongilium.

Vri Tongilius malè dicitur hemitriteo:
Noui hominis fraudes, esurit atque sitit.
Subdola tenduntur crassis modo retia ceruis:
Hamus & in mullum mittitur atque lupum.
Cæcuba siccentur, quæque annus coxit Opimi,
Condantur paruo fusca falerna vitro,
Omnes Tongilium medici iussere lauari.
O stulti, febrem creditis esse? gula est.

Cato maior libidinoso inter eius familiares esse cupienti, concessurum se negauit: quoniam cum eo, inquit, viuere non posset, qui melius ac subtilius palato quàm corde sentiret.

Epaminundas, quum coquus impensæ rationem collegis redderet, maximum olei sumptum duntaxat ægrè tulit. sed collegis admirantibus, impensam quidem sibi non displicere dixit, sed quum tantum olei intra corpus ipse accepisset.

Augusto obiicienti equiti Rom. quòd patrimonium omne absumpsisset, vrbanè eques: Meum, inquit, putaui.

Vitellius imperator diem quadrifariam cibis diuidebat, ientaculum, prandium, cœnam ac comessationem. facile omnibus sufficiens vomendi consuetudine.

Diogenes Cynicus stomachabatur in eos, qui pro sanitate sacra facerent, inter sacra verò sanitatem cœnarent.

Aristoteles in Probl. prandendum esse largè, cœnandum parcè ait.

Cato senior laboriosissimum esse dicebat, illam remp. saluam esse, in qua pluris quàm bos, piscis venundaretur, Seneca ad Lucilium: Ventri obedientes animalium numero computamus, non hominum.

Cyrus apud Xenoph. quum epularum luxuria Astyagem auum subtaxasset, Dixissétque Astyages: Si isthæc gustaueris, tibi erunt iucunda. Et quomodo, inquit, si has video tibi esse fastidio? nam quum panem attingis, manum non detergis: sed vbi horum quicquam attigeris, manum protinus purgas.

Iacob, quum ob certamen factus esset illi dolor circa latum neruum, & neruis ipse abstinuit, & cæteri Iudæorum posteri.

Poliadis Mineruæ sacerdos caseum recentem attingere prohibita est,

Apud

Apud Chaldeos in vrbe Borsippa maximi sunt vespertiliones: quos in esum condiunt.

Romani elephantis manum, quæ promuscis dicitur, mandere cœperunt: item & cossos vermes.

Iam quidem, inquit Plin. & in hoc luxuria esse cœpit, prægrandésque roborum delicatiore vti in cibo: cossos vocant. atque etiam in farina saginati ij, quoque altiles fiunt.

Cato senior quum in populi luxum inueheretur: quàm difficile est, inquit, ventri verba facere, aures non habenti?

Vlysses Homericus ait, Alcynoo nihil esse peius ventre. & Eumeus: Ventrem, ait, fame concitatum nulla tenus cælare dissimularéq; licet.

Aues vuas non attingere, si vitis radices tactæ sint succo cucumeris syluestris: & vuæ florem in cibis si gallinacei edêre, vuas non attingere, ait Plin.

Oua longa gratioris saporis putat Horatius Flaccus.

Vlyssi Homerico in Odyss. in commessationibus lingua incisa apposita est.

Indos fame affectos alternis diebus cibos sumere, atque interea lusui tesserisque indulgere, aiunt.

DE GENITVRA, GENTIBVSQVE Miris. 11

Vide titulum de voluptate.

ARistoteles in homine genituram septuagesimo anno ait finiri: conceptum in fœmina quinquagesimo. docétque ob id hominem trigesimum septimum annum agentem ducere vxorem, quæ decem & septem annos nata sit. Masinissam tamen post annos 97. constat genuisse filium Metimathnum. Catonem exacto octogenario ex filia Saloni genuisse filium legimus.

Ad genituram non ebrium accedere, monet Plat. in Legibus.

In genitura à Sole spiritum, à Luna corpus, à Marte sanguinem, à Mercurio ingenium, à Ioue desiderium, à Venere cupiditates, à Saturno humorem dari docent.

Murium generationem lambendo, non coitu constare, author est Aristoteles. ex vna tamen genitos 120. tradiderunt. Apud Persas verò prægnantes in vtero parentis repertas. Ex Plin.

Cicero libro primo Tuscul. apud Hypanim, inquit fluuium qui ab Europæ parte in Pontum influit, Aristoteles ait bestiolas quasdam nasci, quæ vnum diem viuant.

Sepiæ omnibus mensibus pariunt. Elephas autem biênio gestat in vtero, ait Aristoteles.

Sepiæ & lolligines, ore pariunt: ait Plinius.

Gorgonas hirti corporis fuisse, Hanno Pœnorum rex putat.

Aegytiis generandi plures facultates natura dedit: & Afris, quibus

bus gemini partus familiares sunt.ex Columella.

Apud Mandos,fœminæ septimo anno pariunt.

Sylla & Cotta duces, vno cum genitali orti sunt : ait Arrianus in digest.

Mercurialem herbam,inquit Plinius marem esse ac fœminam.mirúmque est illa mares gigni,hac fœminas:quòd contingere affirmat, si à conceptu succus protinus bibatur in passo,edantúrve folia ex oleo & sale,vel cruda ex aceto.

Festiuissima est illa Luciani conceptio, quæ in sura fiebat : & item alia,quũ testiculi plãtabãtur,ex quibus arbor carnea,quæ fructus produceret cubitales,quos exculpentes in hominẽ effingerẽt, nascebatur.

In Lepidorum familia,tres,interuulsa tamen serie, obducto membrana oculo,similes geniti reperiuntur.

Plato ait,simum hominem gratiosum esse:naso incuruo, regalem: nigriorem,virilem:& album,dei filium.pallidum,amantem,

Thebis quidam sunt qui Sati dicuntur : quibus cognationis signum est lancea quædam in corpore, quam qui non habeat, non videtur esse ex gente Satorum.

Apud Meroem Nili veluti insulam,mulieres præter cęteras mammosissimæ sunt.

Prusia,filius Prusiæ Bythinię regis,superiori ordine dentium vnum os æqualiter extentum habuit.

Mithridatis filia,duplicem dentium habuit ordinem.

Trœzenium vinum qui biberint,negantur generare.

Athlantes in Africa degeneres sunt humani ritus, si credimus.nam neque hominum vllorum inter eos appellatio est : & solem orientem, occidentémque,dira imprecatione,vt exitialem illis agris,contuétur. Neque insomnia visunt,qualia reliqui mortales.

Troglodytæ specus excauant : hæ illis domus. victus serpentium carnes,stridórque.non vox.

Bacchirij si quando à morbo conualuerint, canibus se laniandos obiiciunt.

Blemmiis dicuntur non esse capita:ore,oculis,pectore affixis. Vide in cap.de Miraculis.

Hessenij ab occidentali littore,gens sola, sine fœmina, omni tempore in diem ex æquo,conuenarum turba vita fessorum renascitur, sine pecunia.

Anthropophagi,qui Scythiæ insident, & Indorum Casiri, humanis carnibus vescuntur,ossibus humanorum capitum bibunt:sicut & Azoliæ populi Eurytanes,cruda carne vescebantur.

Therothoæ, Troglodytarum gentes, natant ceu maris animalia. Nec procul hinc homines sine ceruice,oculos in humeris habentes.

In Aethiopia ab oriente,gentes sine naribus, æquali totius corporis planicie existere aiunt.Alias superiori labro orbatas,alias sine linguis: partem

Partem etiam ore concreto,naribúsque carentem, vno tamen foramine spirantem,potúmque auenæ calamis trahentem.

Ex Aphica Ptoembrai Proemphanæ canem pro rege habent, motu eius imperia augurantes.

Ab occidente Nigræ sunt,quorum rex vnum oculum habet in fronte.Cynamolgi,caninis capitibus.

In Scythicis insulis homines pedibus equinis nascuntur, ob id Hippopodes dicti.

Super Antropophagos in conualle Timaui montis Abarimõ regio est in qua viuunt syluestres homines conuersis post crura plantis eximiæ pernicitatis.

Artabatitæ,in Aethiopia proni,ceu feræ eunt quadrupes.

Supra Nasamonas & Machlias androgynas esse vtriusque naturæ ferunt,inter se vicibus coeuntes:quibus dextra mamma virilis est,sinistra muliebris.

In Africa familias esse fascinantium aiunt, quarum laudatione intereant probata,arescant arbores.

In Aethiopia genus pharmacorum, quorum sudor tabẽ afferat corporib.tactis.

In India,in monte cui nomen est Milo,homines esse scribunt auersis plantis,octo digitos in singulis pedibus habentes.Item esse ibi monoscelos, singulis cruribus, miræ pernicitatis ad saltum.Eosdémque Sciopodas vocari,qui in maiore æstu humi iacentes resupini, vmbra se pedum protegant.Plin.Sed Iarcas philosophus Indus apud Philost.ait, istæc in India non esse,quòd sciat.

Sunt apud Indos mulieres quædam, à capite vsque ad mammas nigræ,infra verò albæ.Ex Philost.in Apoll.

Charamandorum gentem syluestrem,sine voce,stridoris horrendi: hirtis corporibus,oculis glaucis,dentibus caninis.

Ad extremos Indiæ fines ab oriente,Astomorum gens est, sine ore, corpore toto hirta,vestitu frondium lanugine, halitu tantum viuens, & odore quem narribus trahat, è radicibus,floribus, malísque syluestribus. Super hos Pygmæi adeò parui,vt à gruibus infestentur. Fama est,insidentes arietum caprarúmq; dorsis, armatos sagittis,veris tempore vniuerso agmine ad mare descendere, & oua pullósque earum alitum consumere:viuunt autem in cauernis.

In Calignis Indiæ gente quinquennes concipere fœminas,octauum vitæ annum non excedentes.

Apud Aegyptum homines texunt oneráq; viri ferunt capitibus,fœminæ verò humeris.Ibidẽ fœminæ stãtes mingũt,viri sedentes.Domi ventrẽ exonerãt.in viis comedunt.Nulla apud illos mulier sacerdos.

In Thraciæ parte supra Amphipolim, homines accipitrésque societate quadam aucupantur. hi ex syluis & arundinetis excitant aues, illi superuolantes deprimunt, rursusq; captas aues diuidũt cum illis. apud

Mæoti

Mæotides paludes, lupi nisi partem à piscatoribus suam acceperint, expansa eorum retia lacerant.

Iberes alunt greges canum, quos deuorent, ceu ouium nos greges.

Laodicæ Seleuci matri, Antiochi vxori, visum est per quietem, se ex Apollinis concubitu concepisse, munúsque à deo accepisse annulum, in cuius gemma anchora insculpta esset: ita vt annulus in lecto sit inuentus, & anchoræ figura in femore Seleuci nata, filiique etiam nepotésque eius anchoram in fœmore omnes habuere.

Apud Neuros nascitur Borysthenes flumen, in quo pisces sunt egregij, & quibus ossa nulla sunt, nec aliud quàm cartilagines tenerrimæ: verum Neuri æstatis tẽporibus in lupos transfigurátur, deinde exacto spacio quod huic sorti attributũ est: in pristinam faciem reuertuntur.

Aristophanes apud Plat. de Amore ait, olim homines fuisse ortos duobus cũ capitibus, quatuor pedibus, totidémq; manibus, auribúsq; oculísque, & in Iouem coniurasse. quibus quum Iupiter, ne genus humanũ deficeret, parceret, iussit tantum vt medij discinderentur, atque ex vno duo fierent: sed quum genitalia in posteriori parte haberent, atque frustra se amplexarentur, Iouem conuertisse genitalia ad anteriorem, atque ita inter se coeuntes, mundum implesse.

DE GIBBO ET GIBBEROSIS. III.

GAlbæ, cuius informe gibbo erat corpus: agenti causam apud Augustum, & frequenter dicenti: corrige in me si quid repræhẽdis. vrbanè Augustus, ad Gibbum alludens: Ego te monere, ait, possum, corrigere non possum. Hic est, qui antequam duceret vxorem Liuiam Ocellinam, ne quasi insciam falleret, gibbum illi ostendit.

Crates Thebanus philosophus, optanti Hipparchæ mulieri illi nubere, interscapilium retexit, gibbúmque ostendit, perámq; & pallium cum baculo humi deposuit: eam sibi suppellectilem esse dicens, eámque formam: Proinde sedulò, inquit, consule ne pòst te pœniteat. Hipparche verò conditionem accipiens: Iam diu, ait, sibi prouisum esse, satisq; consultum, neque ditiorem maritum, neq; formosiorem vspiam gentium posse inueniri. Proinde duceret, quò liberet.

Idem Galba, quum Orbilium grammaticum in reum testem vellet confodere, & interrogasset dissimulata eius professione, quid artium facis? falsè Orbilius ad Galbæ gibbum alludens, In sole, inquit, gibbos fricare soleo.

Gibberosorum animas male olere, ait Aristoteles in Problematis, quia ob cutuitatem spiritus retineantur, atque ob id putrescere necesse est. Bubus Syriacis, inquit Plin. non sunt palearia, sed gibber in dorso.

pa

DE HVMANITATE, MANSVETVDINE, & lenitate. IIII.

HVmanitatem Plato in treis partes diuidit. vnam, quæ per salutationem fiat: alteram, quum ærumnoso auxilium opémve ferimus: tertiam, quæ conuiuiorum frequenti congressu constat.

Gobrias cùm Cyro dixisset, præstare quidem ipsum re militari, sed multo magis humanitate: per Iouẽ, inquit Cyrus, multo mihi est iucundius humanitatis, quàm rei bellicæ opera demonstrare.

Quanto canendus est elogio frater tuus Iulius, & re bellica & humanitate nobilissimus? ò virũ illustrissimũ. Hieronymus nepos tuus ex fratre, à me edoct⁹, adolescẽs est prẽter rei militaris studiũ, adeò humanitatis studiosus, vt paucos viderim aut legerim illo humaniores.

Paulus Aemilius, quum ad se captiuus Perses adduceretur, procumbentem illum dextra leuauit: sermonéque Græco ad spem exhortatus est, ac etiam dignatus mensæ honore. Quod fecisse Pompeium Tigrani, restituto etiam regno, legimus.

Cæsar quum ex itinere ob vim tempestatis casam pauperis ingressus esset, ibi vnicum lectum, vniúsque vix capacem, inuenit. tum amicis inquit, Ex honorato loco cedendũ est potẽtibus, ex opportuno autẽ iis qui aduersa tenentur valetudine: simúlq; requiescere iussit Oppiũ.

Idem conspecto Pompeij capite, illachrimatus plurimum dicitur.

Idem quoq; Catonis filiis patrimonium integrum seruauit. Huius viri clementiam longum esset recensere. Vide in cap. de Imperatore.

Antonius, quum Marci Bruti corpus liberto suo sepeliendum dedisset, suum etiam paludamentum, vt honoratius cremaretur, addidit. id quum Libertus intercepisset, in eũ animaduertit: Quid tu, inquit, ignorasti, cuius tibi viri sepulturam commiserim?

Traianus, qui Neruæ succesit, officiis, humanitatéque imperatores omneis antecesit. amicis aliquando culpantibus illum, quòd nimis circa omneis comis esset: respondit, talem se imperatorem esse priuatis, quales esse sibi imperator priuatos optasset.

Phocion morti ab Athenienſibus damnatus, parato cicutæ poculo, rogatus à filio nunquid diceret: Ego, inquit, fili tibi mando, rogóque, nequid Athenienſibus harum rerum memoria irascaris.

Quum Romæ contentio esset de eligendo nouo magistratu, qui postea dictator dictus est: ierunt omnes in eam sententiam, vt alter ex duobus consulibus (erant autem coss. Cœlius, & T. Largius) crearetur: omnésque rem electionémque ad alterum electurum permiserunt collegam. sed tanta de ea re humanissima amicissimáque disceptatio orta est, vt diem totum absumpserint, in mutuis laudibus, vterque cupiens alterum collegam sibi præponi: vt vix postridie Cœlius

potueri t

potuerit efficere,vt magistratus ad T.Largium deferretur:qui primus fuit dictator,penes quem erat per semestre omnis imperij summa.

Vespasianus Licinium Mutianum notæ impudicitiæ, sed meritorum fiducia minus sui reuerentem,nunquam nisi clàm & hactenus retaxare sustinuit,vt apud communem aliquem amicum querens,adderet clausulæ:Ego tamen vir sum.Ex Tranquil.Sumptum ex Charilao, qui quum laudes Archesilai audiret,Quo pacto,inquit, Charilaus vir non fuerit,qui ne etiam improbus molestus est?

Idem Vesp. Demetrium Cynicum obuium post damnationem in itinere,neque assurgere neq; salutare se dignantem, oblatrantem etiã nescio quid,satis habuit Canem appellare. Idem, Vitellij hostis fuit filiam splendidissimè maritauit,dotauitque etiam & instruxit.

Hadrianus imperator,patris patriæ nomen delatum sibi statim, & iterum postea distulit.

Idem conuiuiis amicorum intererat, ægros bis ac ter, & nonnullos equites Rom.ac libertinos visitauit,solatiis refouit,cõsiliis subleuauit.

Alexander item Seuerus,humanitate in amicos,& ægrotantium visitatione celebratur,& militum curationum impensa.

Idem apud Tarraconem spacians,seruum in se furiosius cum gladio irruentem,compræhensum,vbi furiosum esse constitit, medicis curandum dedit, in nullo omnino commotus. Hunc Hadrianum Marius maximè crudelem fuisse ait.sed vitium occultasse.

Alexander Seuerus, Ouinium Camillum pro imperio in se conspirantem,in palatio recepit,conuiuio adhibuit,ornamentisque imperatoriis & melioribus quàm ipse vtebatur,affecit.Ab huius latere nemo summouebatur,omnibus affabilem se præbentis.

Valerius Publicola,quum domum altissimã, foróq; imminentem haberet,ab amicis accepit à populo sibi inuideri,quia videretur homines despectare. adhibitis itaq; fabris manè domũ omnem demolitus est, atque apud amicos hospitabatur: visa est admirabilis res populo Romano:itaque illi altior atq; ornatior domus constructa est.

Dion Syracusanus, extimulatus assiduis à militibus vociferationibus,vt Heraclidem factiosum,in eũque conspirantem,Syracusis è medio tolleret,præter cætera humanissimè dicta respondit:Si ob inuidiã Heraclides perfidus nefariúsque sit,hau! propterea opus esse,Dionem virtutem periram vitámque corrumpere.

Pompeius designatus in Celtiberos,quorum prouinciam tum Metellus habebat, dixisse fertur: Aequum non esse, virum seniorem,ac gloria clarum,priuari exercitu.sed si Metellus annuerit,iussérítque vt curæ socius sit,tum id promptè susceپturum.

Alexander Macedo loco niuali oppressus,senio iam confectum militem Macedonem nimio frigore rigentem vt vidit:ad se vocatum in suam sedem imposuit,ad ignemque admouit.

Cleomenes rex adeò humanus fuit, vt nullum regium apparatum secum

secum habuerit,non ianitores,non satellites,sed breui tunica amictus, vltro sese venienti offerens adibat,petentibus comiter benignéq, respondens,summáque humanitate & loqui & audire paratus.

Antigonus,Pyrrhi regis caput à filio Aloioneo allatum, texit:corpúsque honoratissimè cremandum curauit.

Annibal idem officium præstitit in Paulum Aemilium,ad Cannas occisum,& Tyberium Gracchum in Lucania,& Marcellum in Bruttiis.Hunc Antigonum,ait Iust.occiso Pyrrho,Helenum Pyrrhi filium cum Epirotis in regnum remisisse,patrísque ossa ad sepulturam illi tribuisse.

Clarus humanitate Apelles,in artis æmulos etiam benignus:Protogeni dignationem primus Rhodi constituit, sordebat tamen ille suis,vt plerunque domestica.

Alexander Macedo,quum Philotas mulierem ardens omnia secreta effutisset: atque illa ad familiarem quendam,hæc ad Craterum,& ad Alexandrum tandem res delata esset,septem annos rem traxit,nec ipsi Ephestioni aperuit,in nullóque Philotæ visus est iratus.

DE HOSPITIO ET HOSPITALITATE. V.

Hospitalitatis nomen sanctissimum Cicero in Verrinis vocat: proinde C. Verrem sacrilegũ appellat:quòd Stenium hospitem amicúmq; suum,omnibus signis tabulísque spoliauit.

Stenius hic accusatus apud Cn. Pompeium, quòd C. Marium hospitio susceپisset:nõ modo ab illo absolutus est, sed etiam in eo ipso iudicio Pompeius hunc hospitio suo dignum statuit. Nihil enim sanctius hospitalitate.

Mannus à Baldis,ciuis Fundanus,vir planè bonus comísque,domi me per plusculos dies ægrum,non solum benignè humanéque susceپit:sed diu noctúq; vicem parentis gerens,vigilanti labore industriáq; nunquam defuit,donec sanitati fuerim restitutus,suaque per omne id tempus impẽsa aluit.vt patri debeam vitam susceptam,illi seruatam, ô virum optimum.

Cn. Domitius M.Syllanum consularem virum accusauit,quòd iuriis Acritomarum transalpinum hospitem affecisset.

Cleomenes Lacedæmoniorum rex amico cuidã subiratus est,quòd hospitibus conuiuio susceptis,vinum duntaxat nigrum,& panem igni duratum apposuisset:sicut in Lacedæmoniorum celebritatibus,quam fiduciam nuncupabant,fieri consueuerit.Non enim,inquit,oportere in hospites tam exactè Laconicum morem seruare.

Apud Vergilium,Aeneas hospes post cœnam ad loquendum inuitatur:& Homericus Telemachus in Odyss.2.hospitẽ Pallada primùm iubet cœnare,posteà loqui.

Leuita quidam,quum vxorem à parentibus,quæ ob contentionem cum viro habitam ad eos confugerat,repeteret: hospitatus Gabaæ à viro bono est.Gabaonitæ iuuenes quidam venustate vxoris Leuitæ capti,in hospitis domum irrumpunt,eámq; expetunt: restitit precibus primum hospes:sed quum parum proficeret,filiam propriã illis obtulit,modò hospitem ab iniuria vindicaret.

Euander Argum quempiam hospitio susceperat, ingratus Argus hospiti regnandi causa struxerat insidias: Euandro insidias ignoranti, socij deprænderunt,Argúmq; occiderunt. Cæterum Euander vt erat humanitate insigni,hospitalitatis gratia illi & sepulchrum construxit, & locum sacrauit,quod Argilætum dictum est.

Tito Quintio Crispino Badius Campanus hospes erat perfamiliari hospitio iunctus:quorum creuerat inde consuetudo,quòd æger Romæ apud Crispinum Badius liberaliter comitérq; curatus fuerat.Badius igitur progressus ante stationes,quæ pro porta stabant(erat enim bellum contra Campanos)euocari Crispinum iussit,cui quum in conspectum ventum est:Prouoco te,inquit,ad pugnam Crispine:conscendamus equos,atq; vter bello melior sit decernamus:Ad ea Crispinus: nec sibi aut illi hostes deesse in quibus virtutem ostendant: se ab eo etiam si in acie occurrat,declinaturum,ne hospitem cæde violet: conuersúsque abibat.Ferocius tum Campanus in illum insultans,hospitalem hostem appellabat:simulantémq; parcere,cui sciat parem se non esse,audientibus ille omnibus,se renunciare hospitium dictitãs:ac hostem,non hospitem esse,qui patriam ac penates oppugnatum veniret, clamitans:ait tandẽ,si vir esset,congrederetur.Crispinus consultis consulibus,impetratáq; venia,equum conscendit:& Badium nomine compellans,ad pugnam euocauit.Nulla mora,Campanus accedit,infestis equis concurrunt:Crispinus supra scutum sinistrum humerum Badio hasta transfixit:super quem delapsum exequo cum desiliisset,vt pedes iacentem obtruncaret,Badius parma atque equo relicto ad suos confugit,hospitiique contempti pœnas meritas luit.

Menelaus apud Hom.in pugna cum Paride singulari,deos precatur,vt pœnas de Paride sumat:vt posteri audita illius pœna,deinceps hospitia polluere timeant.

Vlysses in Odyss.18.in disci ludo superior, in pugilatu cursúque omneis Phæacenses prouocat:præter Laodamantem,apud quem hospitabatur. Stultus enim,inquit,ille est,qui hospitem in certamen lacessit.

Protheus Aegyptiorum rex,Paridi vento in Aegyptum delato,ita ait:Ego nisi magni interesse arbitrarer de peregrino aliquo supplicium capitis sumere,ad terram meam ventis appulso:supplicium pro Græco illo de te sumerem,omnium hospitum deterrime: scelestissimum facinus admisisti,à tuo ipsius hospite erepta vxore Helena.

Celeus Athenarum rex,quum hospitio suscepisset Cererem filiam quærentem,omne agriculturæ genus ab illa edoctus est.

Cœnanti apud Valerium Cæsari,quum vnguentum pro oleo imprudenter appositum esset,facile comedit:sodalésque submurmurantes increpuit.Eis enim qui hoc improbant,inquit,ne satis vti esse debuit:quique hanc rusticitatem arguit,non nisi rusticus esse potest.

Antoninus Pius imperator,quum domum homunculi venisset,columnásque admirans porphyreticas,quæsisset vnde habuisset:atq; homunculus dixisset:quum in domum alienam veneris,mutus & surdus esto:patienter tulit.

Lyncus Triptolemum hospitio quum suscepisset, inuidens illius gloriæ,somno oppressum aggreditur,quamobrẽ Ceres,quæ Triptolemum ad frumenti vsum ostendendum miserat,in lignata,Lyncum in lyncem feram commutauit.Fuit autem Lyncus Scytharum rex.

Oenopion rex Iouem,Mercurium, Neptunúmque hospitio suscepit:à quibus vt filium susciperet,quum liberis careret,petiit,illi intra corium immolati bouis vrina facta,præceperunt, vt obrutum terra, completis maternis mensibus solueret,quo facto,inuentus est puer, cui ab vrina datum nomen ὠρίων, quod Doricè in Orionem commutatum est,factus verò venator hospitio ab Oenopione susceptus,filiam illius voluit vitiare:qui oculos eius eruit.

Busyris Neptuni Annippæque filius,hospites aduenas immolabat, itaque occisus ab Hercule claua est.Statius lib.12.

Thebani immites citius Busiridos aras.

Faunus,quum aduenas hospites patri Mercurio immolaret,Herculique hospitio suscepto insidias strueret,ab illo occisus est.

Pythius Lydus,quum argẽti duo millia talentorum,auri verò quadragies centena millia nummûm,cum Daricorum septem millibus, munus Xerxi obtulisset,eunti in Græciam,hospitióque suscepto,laudans illius hospitalitatem munificentiámq; Xerxes,hospitem suum fecit,atque inquit:Ne quadragies centena millia sint imperfecta,septem millibus te dono.

Menelaus in Odyss.ait Telemacho redire expetenti: Non placet, si me aut nimis amabit,aut nimis oderit hospes: medium tamen laudo,nam hospitem semel exceptum vt impellere,sic inuitum retinere est malum.

Nestor in Odyssea,eundem Telemachum hospitẽ in inferioribus locat:lomibus.

Scedasi Leuctriani filiæ,absente patre duos iuuenes Spartanos hospitatæ,& ab illis vino veneréq; incalentibus violatæ,amissa pudicitia,superuiuere nolentes,mutuis vulneribus concidere.

Saturnus à Ioue filio pulsus,hospitio à Iano in Latio susceptus est, in partéque etiam regni collocatus,quin & in nummis etiam consortem habuit,vnde ortum,vt Ianus bifrons,quum alter ex illis esset Saturnus,insculptus sit.

DE HONORIBVS. VI.

THeopompus Laconicus,quum Pilij ei maiores honores decreuissent,scripsit,mediocres quidem honores tempore augeri:sed excedentes nimiósque euanescere.

Flauius quum ad visendum collegam suum ægrum veniret,neq; à nobilibus consessum reciperetur,sella curulem afferri iussit. Sella curuli vtebantur,inquit Ser.lib.11.Aen.qui triumphali curru vecti essent:sed & vsos etiam eos qui nõ triumphassent,comperio: & dictam curulem à curru,quia maiores magistratus curru sedentes deferebantur in senatum.

Agesilaus in gymnicis ludis quum à chori magistro declaratus tantum non rex,in loco minus honesto collocaretur:Euge,inquit,demonstrabo enim non locis,viros:sed viris loca effici honorata.

C. Fuluius Flaccus triumphum sibi à senatu ob res bene gestas decretum,spreuit:vt autem vrbem intrauit,quæstione publica afflictus, exilio mulctatus est.

Honores magni,qui plaudente populo in theatro exhibentur,ab Horatio Tergemini vocantur:Batti silphium à Græcis pro magno honore dicitur.

Simonides Hieroni apud Xenoph.ait,Honorem rem esse nobilissimam:Menelaus apud Homerum,Honorem & gloriam à deo esse.

Honoris ædem extra portã Collinam cum ara fuisse,scribit Cicero libro secundo de Legibus:& Honoris templũ restituenti Vespasiano, Cornelius Pinus & Actius Priscus pinxerunt.Cicero lib.2.de Natura deorum: Vides honoris templum à M. Marcello renouatum,quod multis ante annis erat bello Ligustico à Qu.Maximo dedicatum.

Apud Numidas honoratior in medio collocabatur. Apud Salustium Hiempsal Adherbali assedit,ne Iugurtha medius foret. Apud Vergilium media inter Aeneam Ascaniúmque se Dido locat.

DE INVIDIA ET ODIO. VII.

THales Milesius rogatus , quo pacto aduersæ fortunæ ictus quispiam ferat facillimè:si inimicos,ait,videat deterius affectos.

Publius Mutium inuidum,in primísque maleuolum, quum vidisset solito tristiorem:Aut Mutio,inquit,nescio quid incommodi accesit,aut nescio cui aliquid boni.

Agis,dicente aliquo,nonnullos sibi inuidere: igitur & sua,inquit, mala,& tum mea,tum amicorum bona illos cruciabunt,vt verè sit ab Horat.dictum.

Inuidus alterius macrescit rebus opimis
Inuidia Siculi non inuenere tyranni
Maius tormentum.

O miseram

O miseram inuidorum conditionem.

Caius Furius Ctesinus è seruitute liberatus,quum in paruo admodum agello largiores multo fructus acciperet,quàm ex amplissimis vicinitas:inuidiam concitauit,ceu veneficiis fruges pelliceret alienas. Quamobrem à Sp.Albino Curuli die dicta,metuens damnationem, quum in suffragium tribus oporteret ire,instrumentum rusticũ omne in forum attulit,adduxitque etiam filiam validam,atque vt ait Piso, bene curatam ac vestitam:ferramenta egregiè facta,graues ligones, vomeres ponderosos,boues saturos,postea dixit: Veneficia mea Quirites hæc sunt,nec possum ostendere vobis,aut in forum adducere lucubrationes vigiliasque,& sudores,ac tandem absoluitur.

C. Caligula tantæ inuidiæ fuit,vt Torquati statuæ torquem,Cincinnato crinem, Cn.Pompeio Magni cognomen abstulerit. Lege in capite de Dolis,Triptolemus.

Idem Ptolemæum accersitum è regno,exceptúmq; honorificè,non alia causa repentè percussit,quàm quòd edente se munus,ingressum spectacula,hominum oculos fulgore purpureæ abollæ conuertisse animaduertit.

Iacob filij,quum ex somno accepissent Ioseph fratrem futurũ illis feliciorem,illísque imperaturum,diúque de nece cogitassent:tandem fratrem Arabibus mercatoribus vendiderunt,vt dictum est.

Domitius Crasso collegæ in censura domum nimis magnificam obiiciens,grauiter increpuit tanti censorem habitare,pro domo eius millia nummorum identidem promittens. Et Crassus,in præsens,ingenuo semper & faceto lepore solers,concedere se respondit,exceptis sex arboribus,at ne vno quidem denario,si adimerentur,emptam volente Domitio: tum Crassus,Vtrúmne igitur ego sum,inquit,quæso Domiti,exemplo graui,& ab ipsa mea censura notandus,qui in domo quæ mihi hæreditate obuenit,comiter habitem:an tu,qui sex arbores extimes?

Valerius Martialis ad Flaccum:

Luce propinquorum qua plurima mittitur ales,
Dum stellæ turdos,dum tibi Flacce paro.
Succurrit nobis ingens onerosáque turba,
In qua se primum quisque,meúmque putat.
Demeruisse duos votum est,offendere plures
Vix tutum,multis mittere dona graue est.
Qua possum sola veniam ratione merebor,
Nec Stellæ turdos,nec tibi Flacce dabo.

Aristoteles,quum Isocratem magnam gloriã sibi in dicendo comparasse,magnúmq; fieri audientium concursum nosset: Turpe est,inquit,tacere,& Isocratem pati dicere,séque ad oratoriam tradidit.

M. Antonius cuidam ex amicis dari iusserat millia 25.& decies sextertium : procuratore autem admirante, inuidentéque, atque vt

magnitudinem donationis ostenderet, in conspectu Antonij pecuniam depromente, rogauit Antonius quid illud esset? illo autem respondente, eam esse pecuniam, quam dono dari iussisset: conspicatus hominis improbitatem, Equidem, inquit, arbitrabar ampliorem pecuniam decies sestertium continere, hoc verò parum est: itaque tantundem superadde. O quot sunt huiusmodi inuidi, nephariique procuratores, qui quum ipsi accipere non mereantur, nolunt dari aliis: principúmque liberalitatem, qua principes sunt, comperendinationibus, taciris dolis, callidisque diuerticulis in auaritiæ crimen opinionémque conuertunt.

Cassander Demetrium Phalereum Athenis præfecit. qui quum omnia rectè disposuisset, tantum valuit inuidorum nequitia, vt post Cassandri mortem ad Aegyptum fugere sit coactus, inimicique eius statuas conflauére.

Antiphilus, inuidus æmulúsque Apellis, apud Ptolemæum, cui charus erat Apelles, insimulauit, quòd in Tyro fuisset, atque Theodoram apud Tyrum ad coniurationem sollicitasset, & Tyri defectionem ab eo ortam. Ptolemæus adhibita calumniatori fide, cœpit Apellem proditorem & coniuratorem appellare. sed vnus è captiuis iurauit, nullius rei Apellem coniuratoribus consortem fuisse. Ptolemæus igitur dictorum pœnitens, centum talentis Apellem donauit, Antiphilúmque illi ad seruitium tradidit. hic est inuidorum finis. Decet igitur principes bonos non statim fidem improborum verbis adhibere.

M. Crassus auaros magnis insectabatur conuiciis, quum alioqui auarissimus esset. Is etiam inuidia scatebat: quúmque animo angeretur ob honores in Pompeium collatos, dixissétque fortè quispiam, iam aderit Pompeius magnus: arridens cum indignatione Crassus, Et quantúsnam, inquit, est?

Valerius Martialis in Otacilium:

Ad lapidem Torquatus habet prætoria quartum,
Ad quartum breue rus emit Otacilius.
Torquatus nitidas vario de marmore thermas
Extruxit, cucumam fecit Otacilius.
Disposuit daphnona suo Torquatus in agro,
Castaneas centum seuit Otacilius.
Consul Torquatus, vici fuit ille magister,
Nec minor est tanto visus honore sibi:
Grandis vt exiguam bos ranam ruperat olim,
Sic puto Torquatus rumpet Otacilium.

Themistocles ob honores Miltiadi collatos, quòd barbaros in Marathone superasset, tanta inuidia correptus est, vt noctes insomnes exigeret: rogatusque quamobrem ita excitaretur, Miltiadis inquit, tropheis se excitari.

Aglauros Cecropis Athenarum regis filia, quum inuideret Herſæ sorori

rori à Mercurio amatæ, atque esset ob inuidiam magno vtrique impedimento, à Mercurio in saxum est conuersa.

Licij rustici quum Latonam Iunonis iram fugientem, cùm infantibus Apolline Dianáque fessam itinere, sitimque aqua sedare cupientem: aquam conculcantes bibere prohiberent, in ranas ab illa commutati sunt. vtinam inuidos omneis sic liceret conuertere.

Pompeio ob victam Aphricam triumphum exposcente, ac Sylla repugnante, veluti nimis iuueni non deberi triumphum: respondit Pompeius, plures esse qui solem orientem quàm occidentem venerentur.

Bion inuidio subtristi, Nescio inquit vtrum mihi malum, an alteri bonum contigerit: vt Publius suprà.

Manlius Capitolinus Camilli gloriæ & authoritati inuidens, factiones in vrbe cœpit concitare, atque auras comprimis populares conciliare: cuius rei accusatus est. sed viso omni populo pullato turbatóque ob Manlij captiuitatem, ne quis tumultus excitaretur, vinculis illum senatus soluit. non tamen destitit Manlius: iterum igitur accusatus, damnatus est: & è rupe Tarpeia, vnde ipse Gallos expulerat, deturbatus, inuidiæ pœnas persoluit. Inuidiam ex parilitate nasci, prouerbio vulgatum est: proinde Hesiodus ait, figulum figulo æmulum, fabrúmque fabro.

Asinius Pollio Ciceronis gloriæ vehementissimè inuidebat: quum ergo Sextilius poëta Cordubensis in domo Messalæ Coruini recitaturus Pollionem aduocasset, in principióque poëmatis cœpisset, Defendus Cicero est, Latiæque silentia linguæ: consurrexit Pollio, atque ait: Messala tu quid tibi liberum sit in domo tua videris: ego istum auditurus non sum, cui mutus videor, atque abiit. verbum autem, Cui mutus videor, ad illud respexit Latiæque silentia linguæ.

Inter asinum priapúmque de membri obscœni magnitudine orta contentio est: priapus victus, victorem interemit. cæterum priapus vir fuit Hellespontiacus, omnium hominum mentulatissimus: atque ob id à scelestis pro deo cultus.

Thelchines tres fuerunt fratres inuidia notatissimi: qui vicinorum agris prouentu fertilibus naturáque fœlicibus inuidentes: hos aquis stygiis sparsisse dicuntur, vt redderent infœlices.

T. Pulfio & L. Varenus Cæsaris centuriones, oppugnantibus Neruiis castra Qu. Ciceronis, vbi ipsi militabant: quum diu annixi essent, ne alter alterum rebus bellicis anteiret, datam ostentandæ fortitudinis occasionem vterque arripuit. Pulfio enim, quid dubitas (ait) Varene, aut quem locum probandæ virtutis expectas? hic dies de nostris controuersiis iudicabit. his dictis, procedit extra munitiones: atque in confertissimos hosteis irrumpit. subsequitur Varenus. traiectóque scuto pariter & balteo ab hostium vexuto Pulfioni negatur ensem stringere. circunuenitur ab hostibus: accurrit Varenus Pulfionémque protegit: circunuenitur & Varenus, atque in subiectum locum decidit. occurrit

Pulfio, atque Vareno opitulatur, pluribúſque hoſtium confoſsis, incolumes in caſtra ſe ambo recipiunt.

M. Marcellum, qui Pompeianas partes fuerat ſecutus, Magius Chilon contubernalis, quod à Cæſare in gratiam receptus fuerat, ob inuidiam ſibi præferri ægreferens, gladio confodit, manúſque mox in ſe etiam conuertit.

Metellus conſul in Hiſpaniis quum Qu. Pompeium inimicum ſuum ſucceſſorem mitti accepiſſet, milites dimiſit: horrea diripi permiſit, arcus ſagittáſque Cretenſium frangi.

Dædalus omnium architectorum clariſsimus, nepotem ex ſorore Talum erudiebat: is adoleſcens rotam figuli, ferram ac tornum quum reperiſſet: ob inuidiam ab auunculo confoſſus eſt. ſed quia ex Palladis arce deturbatus fuerat, miſerata Pallas, illum in perdicem conuertit.

Quidam Dionyſius cognomento nuncupatus, apud Ptolemæum regem Demetrium Platonicum inſimulauit, quòd aquam biberet: ſolúſque non ſe componeret ad mores deliciáſque regias.

Aſſyriorum rex Gobriam Aſſyriorum principem tanto proſequebatur amore, vt filiam filio copulare deſtinauerit: miſitq; filium vnicum propter id negotium ad regem Gobryas. ſed quum venatum iſſet Gobryæ filius cum regis filio, atque vrſa aduenisſet, regis filius iaculum fruſtra intorſit: Gobriæ verò filius vrſam proſtrauit. indoluit ille, inuiditque. atq; cum paria in leone euenisſent, iratus regis filius, arreptam à venatore lanceâ in pectus adoleſcentis adegit: eúmq; vita ſpoliauit.

Caſelius conſultus à quodam, an nux pinea pomum eſſet: reſpondit, ſi in Vatinium miſſurus es, pomum eſt.

Erinacei in deſperatione vrinam ex ſe reddunt tabificam, tergori ſuo ſpiniſque noxiam, propter hoc ſe capi gnari. lynces terram effodiunt in qua vrinam faciunt, quam ſtatim occulunt: vt lyncurium lapillus, qui ex vrina congelatur occultetur.

Canariam herbam caues inuenere, qua faſtidium deducunt. Eam in noſtro conſpectu mandunt: ſed ita vt nunquàm intelligatur quæ ſit. Eſt in alia herba malignior: percuſſus enim à ſerpente, mederi quadam herba dicitur: ſed illam homine inſpectante non decerpit.

Taxantur inuidia Græci: Achæmenes apud Herodotũ: Xerxis frater de Græcis ita ait: his moribus gaudent, vt fortunato inuideant, & meliorem oderint. id eſſe verum oſtendit Vlyſsis Palamediſq; exẽplum.

Liuius lib. 5. decad. 4. Nulla, inquit, ingenio tam prona ad inuidiam ſunt, quàm eorum qui genus ac fortunam animis non æquant. Nemo qui ſuæ virtuti confidit, aliis inuidet, ait Cicero in Philippicis.

Aegyptij quum inuidiam inuidúmve vellent ſignificari in literis ſacris, (nam ea ſigna ſacras literas vocabant) Anguillam pingebant: quoniam anguilla ſimilis eſſet inuido, quia nullam habeat cum piſcibus áliis amicitiam. Exemplum mulieris de inuidia eſt in capite de milieribus C. Imperator.

Aidona

Aidona Zeti regis vxor, quum inuideret Amphionis vxori quòd ſex filios maſculos haberet, filium Ithilum per errorem noctu pro Amaleo Amphionis filio confodit. ſed præ dolore conuertitur in carduelem.

Agis Argiuus, donante Alexandro ridiculum hominem & ſcurram ingentibus muneribus, ô rem abſurdam exclamauit. Iratus rex, conuerſúſque ad eum, quid ais, inquit. Tum ille: Animo angor, quòd omnes vos Ioue natos, adulatoribus ridiculíſque & hominibus nefariis gaudere inſpiciam.

Themiſtocli iuniores quidam ob res bene geſtas præferri volebant, atque dicebant ſibi contingere quod diei à feſto proximiori, qui ſollicitudine angeretur: feſtus vero dies cum ocio, apparatu perfrueretur. tunc Themiſtocles ait, vera prorſus poſtremum diem dicere: ſed ſi non fuiſſem, vbi nam gentium eſſetis?

DE IVSTITIA. VIII.

IVſtitiæ Plato tria genera ponit. aliud circa deos, aliud circa homines, aliud verò circa defunctos. Cic. in Partitionibus ait: Iuſtitia in deos religio dicitur, in homines pietas. Symon Oniæ filius, ob pietatem in deum, Iuſti cognomentum accepit.

Thales mileſius rogatus, quomodo optimè ac iuſtiſsimè viuatur: ſapienter ait, Si quæ in aliis reprehendimus, ipſi non faciamus.

Ageſilaus rogatus de fortitudine & iuſtitia, vtra eſſet melior? Nihil, inquit, fortitudine indigetemus, ſi omnes iuſti eſſemus.

Agis quibuſdam Eleos laudantibus, quòd in Olympiorum certamine iuſtiſsimi forent: Ecquid magnum, inquit, aut mirandum faciunt, ſi per annos quinque vno duntaxat die iuſtitia vtantur?

C. Plotius Plancus, Munatij Planci frater, proſcriptus, quum in Salernitana latebra lateret, ac ſeruos ſuos mirum in modum torqueri accepiſſet, commiſeratus illorum tormenta, proceſsit in medium, iugulúmque militibus vltroneum obtulit. ex Val. Plin. verò libro 13. vocat hunc L. Plotium. ait enim, L. Plotium L. Plotij bis conſulis cenſoríſve fratrem, proſcriptum à triumuiris, in Salernitana latebra vnguenti odore proditum conſtat.

Piſiſtratus, Athenarum imperio potitus, & Solonem obſeruauit, & leges ab illo conditas. quin etiam ad iudicium accerſitus, temperatè patienterque ad ius venit, ſed accuſator cauſam deſtituit.

Seleucus Locrenſium princeps, damnato adulterij filio, ob leges quas ipſe conſtituerat, ambos oculos volebat eruere. à populo extimulatus, vt filio parceretur: vt legi & populo ſatisfaceret, vnum oculum filio, alterum ſibi eruit.

Charondas Tyrius legem tulerat capitis mulcta, ne quiſpiam ar-

matus in concionem prodiret. redibat rure, oblitus teli, armatus in concionem descendit. Admonitus ab aliquo fecisse contra legem, gladio incubuit.

Aethiopum Macrobiorum rex, legatis à Cambyse missis, afferentibúsque amiculum purpureum, aureum torquem, armillas, vnguentique alabastrum, cadúmque phœnicei vini, gnarus quòd speculandi gratia venissent: Non iustus ille vir est, inquit: si enim iustus foret, non alienam regionem affectaret, sed esset contentus. misitque Cambysi arcum, omniáque dona præter vinum contempsit: quod admiratus est. Panem ita damnauit (nam interrogauit, qua alia re vesceretur rex) vt dixerit, se nihil mirari si stercore vescentes, paucis viuerent annis: nec tot quidem annos victuros, nisi hoc potui acceptum referrent.

Glaucus Spartiata Epicydis filius, celebris iustitia, præterquàm in hoc ob quod pœnas dedit. is enim, quum apud eum Milesius quidam pecuniam deposuisset, cum nota, quam repetituri pecuniam ostenderent parem: interiecto multo tempore, filiis eius qui deposuerant notam afferentibus, depositum reddere negauit, nisi Apollinem consuluisset, præstituto quatuor mensium spacio. sed neque de Glauco soboles aliqua, neque domus superfuit: radicitus enim omnis extrita est, quòd de deposito cogitarit, ac non statim reddiderit.

Themistocles post pulsum Xerxem, quum in senatu protulisset, Athenienses facilè vniuersæ Græciæ potiri posse imperio, si classem Lacedæmoniorum combrurent: Aristides, qui ob institiam Iusti cognomen accepit, tanquam inhonestum consilium respuit.

Hippias Helienſis, quum aliquandiu audisset Socratem multa de iustitia & virtute differentem, & in exemplum, vt solebat, gubernatores, medicos, cerdones ac figulos adducentem, dixisse fertur: rursum eadem ô Socrates? at ille ridens: & de iisdem, inquit. tu enim, vt videris, propter excellentem sapientiam, nunquam de eisdem eadem dicis. nobis quidem hoc ex optimis vnum videtur, quòd qui mentiuntur, multa ac dissimilia dicunt: qui vera, aliena à veris dicere non possunt.

Cato iustitiæ custos acerrimus erat, in cæteris verò moribus mitissimus atque humanissimus. celebrat Iustinus lib. 2. Scythas, à iustitia: Strabo Abios, Thraciæ populos. Iosephus Esseniorum, qui philosophi erant, secta pro iustitia mortem oppetere decorum esse putabat, ait. Iustitiam à Ioue primum institutam, ait Diodorus libro 6. Fabius Maximus apud Liuium Paulo & Varroni ita ait: A veritate laborare nimis ius sæpè aiunt, extingui nunquam: gloriam qui spreuerint, veram habebunt.

Aegyptij quoties iustitiam seruatam, totiúsque corporis custodiam notare volebant, oculum pingebant.

Theombrotion herbam à Persarum regibus comedi aut bibi, contra omnia corporum incommoda, stabilitatémque mentis & iustitiæ euocari.

DE IGNORANTIA, INSCITIA, ET vecordia. IX.

Melitides adeò vecors excorsque homo fuit, vt vix summo studio assequutus sit, vt numeraret ad quinque vsque, nec vltra numerum hunc produci potuisse dicitur.

Idem omnino vxore quam duxisset abstinebat. verebatur enim, ne si eam attingeret, illa ad matrem deferret. Amphistides adeò vesanus, vt nesciret ex vtro parente natus esset.

Aristippus ab eo qui sibi filium commendaret, quingentas petiit drachmas: cui ille quum dixisset, tanti emere mancipium valeo: Eme, inquit, & habebis duo.

P. Consta professione quidem iureconsultus, cæterùm ingenio hebeti, minimæque scientiæ, testis in quadam causa productus: de re interrogatus, se nihil scire respondit. tum Cicero ad eum: Siste, inquit, tu, fortasse te de iure interrogatum credidisti.

Alcibiades quum statuisset grammaticæ operam dare, nactus magistrum quendam non satis eruditum, primum ab eo poëmata Homeri petit. ille autem quum negasset se Homeri quicquam habere: non tulit hominis ignorantiam, sed pugno illum percussit ac fugit.

Lacon quidam, quũ amygdalas duras duplo vendi accepisset, quàm teneras, vrbanè, An rari, ait, lapides hic sunt?

Aristippus rogatus quo melior esset euasurus filius, si erudiretur: vt nihil aliud inquit, non sedebit lapis supra lapidem.

Plato interrogatus quidnam inter peritum atque imperitum interesset, quod inter medicum ait, atque ægrotum. Idem Plato in iis de quibus gratias diis agebat, ait quòd esset Athenienſis, non Thebanus: quoniam Thebis essent ingenia crassiora Lactantius rem hanc vt arbitror ignorans, labitur in Platonis reprehensionem: Regionibus enim ingenia constant. Aristoteles 7. Polit. Namquæ frigidas regiones incolunt gentes: & quæ per Europam animo quidem abundant. ingenij verò parum habent: qui verò Asiam incolunt, ingenio & arte abundant. vide in capite de Literis.

Diogenes debiles, non surdos aut cæcos, sed imperitos appellabat.

Aristippus præstare dicebat mendicum quàm imperitum euadere. Illic enim pecuniis, hìc humanitate indigere.

Corebus Myglonius tantæ fuit vesaniæ, vt maris fluctus vellet numerare, locúmque prouerbio dederit, μὴ ἐμοῦ ἀλλοπότερος. Famosi item stultitia Mammachutos & Butalion: ex Aristoph. interprete.

Mitio apud Terentium fratri Demeæ ait: Homine imperito nunquam quicquàm iniustius est: qui nisi quod ipse facit nunquam rectum putat.

Plistonax Pausaniæ filius, rhetore quodã Athenienſe imperitos Lacedæmonios apellãte: rectè dicis, inquit. soli enim Græcorũ nihil à vobis mali didicim⁹. Ex Plutar. in Lycurgo. in Apophth. verò vocat Antalcidã.

Philosophus

Philosophus quidam, ait Diuus Hieronym. magnum quippiam volebat rustico persuadere: vix dum dimidium dixerat, atque ille intellexisse dicebat.

DE IVDICIIS IVDICIBVSQVE. X.

Icinius Fimbria consularis iudex additus M. Luctacio Pinthiæ, nunquam iudiciũ pronuntiatione finire voluit. Cicero lib. 3. Offic. Fimbriam inquit consularẽ audiebã de patre nostro puer, iudicem M. Luctatio fuisse equiti Romano sanè honesto: quum sponsionem fecisset ne vir bonus esset, itaque ei dixisse Fimbriam, se illam rem nunquam iudicaturum, ne aut spoliaret fama probatũ hominem, si cõtrà iudicasset: aut statuisse videretur virum bonum aliquem esse, quum ea res innumerabilibus officiis contineatur.

Philippus Macedo cuiusdam Machetæ causam iudicaturus, quum dormiens parum intendisset, illúmque condemnasset: Machetæque prouocare se clamanti quum diceret, ad quem prouocas? atq; ille, ad te ô rex, si vigilans audieris. experrectus, cognita causa, Machetam cognouit iniuria affectum, iudicium non rescidit, sed litis æstimationem ipse persoluit.

Antoninus Pius imperator, vt ab eo si male sẽserit prouocaretur: ita nxit, authore Vlpiano libro 48. dig. Seneca in Prou. Iudex damnatur, quum nocens absolnitur.

Hippodamus Milesius vnumquemque iudicem tabellam adducere iubebat, in qua simpliciter scriberet, si condemnaret, sententiam: sin absolueret, simpliciter vacuum.

Antonius, censor quum in censura aliorum vitia acriter inspiceret, suorũq; (vt fit) obliuisceretur, accusatus ambitus à M. Duronio: vrbanè Mancia ait, aliquando Antoni tibi tuum negocium agere licebit.

M. Flaccus multis probris obiectis Scipioni Nasicæ, quum parum creditus P. Mutium iudicem tulisset: Eiuro, inquit Scipio, inimicus est. quum esset, admurmuratum à senatoribus, subdit Scipio: At, inquit, patres conscripti, non ego Mutium illum inimicum mihi adiuro. admirantibus patribus, addit: verùm omnibus.

Alexander Seuerus, vt Encolpius eius familiaris dicere solebat, si vnquam furem iudicem deprehendisset, paratum habere digitum vt sibi oculos erueret: Fuitque tanti stomachi in eos iudices, qui furtorum fama laborarent, etiam si damnati non essent, vt si eis casu aliquo occurreret, stomachi coleram euomeret: toto vultu excandescente, ita vt nihil posset loqui.

Cambyses Persarum rex, quum accepisset iudicem quendam iniustum iudicium tulisse, pellem illi detraxit: sellæq;, vbi cæteri iudices essent iudicaturi, iudicísque etiam filius sessurus esset, extendere illam iubet.

iubet. De iudiciis Aegyptiorum vide in capite de Magistratibus.

Bias philosophus dicere solebat, se malle inter inimicos quàm amicos iudicare. nam ex amicis alterum prorsus futurum inimicum, ex inimicis autem alterum amicum fore.

Qu. Calidius M. Calidij oratoris pater, ex prætura Hispanienſi accusatus à Gallis: quum sensisset iudicibus pecuniam contra se datam, in eos iudices qui paruo precio corrupti eũ damnauerant, exclamauit: Vel idoneam, inquit, mercedẽ pro meo capite pascisci debuistis. Seneca in Prouer. Bene perdit nummos, iudici quum dat nocens.

Smyrnea mater familias, quum virum, filiúmque ex viro séq; conceptum confecisset, quòd ipsi optimæ indolis iuuenem ex priore marito ortum trucidauerant, apud Dolabellam, qui tum consul erat in Asia, accusata est. At Dolabella causæ cognitionem, vt potè ambiguam, ad Areopagum relegauit. Areopagitæ quoq; non minus sapienter egerunt. conspecta enim causa, & accusatorem & ream post centum annos ad se reuerti iusserunt.

Bunas quidam Athenienſis, quum illi controuersiam Calydonij & Elei iudicandam detulissent, conueniſsentque, vt donec sententia pronunciaretur manibus temperarent: de industria rem distulit, nec vnquam de lite pronunciauit.

Filia quædam matrem fuste occiderat, quia infensa filiæ nepotes veneno sustulerat. accusata apud Popilium Lenatem, neque damnata ab illo, neque absoluta est.

Lysander quũ ad Hammonis templũ concesisset, sacerdotes gratia corrumpendi, vt aliquid oraculi contra Alcibiadẽ Lacedæmoniis persuaderent: sacerdotibus incorruptis, & ex iis quibusdã ad illũ accusandum Spartam missis, absolutus tamẽ est & quia erat in fatis, Lacedæmones Libyæ fore aliquando incolas: abscedentes sacerdotes, molestéque ferentes Lysandrũ absolutũ esse: nos ô Spartani, aiunt, rectius faciemus iudicium, quum apud nos Libyam habitaturi veneritis.

Alexander Macedo, orante accusatore alteram manu aurem solebat occludere, vt ipsa reo conseruaretur.

Hadrianus iudicij adeò studiosus fuit, vt per iudices scrutando semper verum inueniret.

Cygnus Neptuni filius, Hemitheæ & Tenæ pater, nouercam liberis induxit. sed tandem insimulatus est Tenes à nouerca, quòd eam de stupro interpellasset. pater vxóri credens, Tenẽ, Hemitheámque sororem quæ fratri comes isse expetiit, in capsam inclusos, in mare abiecit. Ea in insulam Leucophrenem, quæ postea à Tene Tenedos dicta est, delata fuit. sed is Tenes nactus loci imperium, instituit vt in tribunalibus assisteret, qui securim in caput accusantis sustineret, vt calũniantes protinus percuterentur: quod posteri sequuti sunt.

Cyro admodum puero proposita causa fuerat à præceptore, qui iustitiam illũ edocebat, in hunc modum. è duobus alter puer maior corpore,

pore,cui tunica parua,alterũ minorem cui tunica magna esset, exuerat:suáque illum induerat,illius tunica se induto.Cyrus quum iudicasset recte illum fecisse,qui tunicam commutauerat, vt pote quia vtriq; data esset recta tunica, à præceptore ereptus est, quòd male iudicasset: nam in iudiciis sua cuique debent reddi.

Theognis mulier ab adolescente quodã in Aegypto miserè amabatur.quæ quũ ab illo, vt pote quem sui amore irretitum videbat, multum auri quotidie peteret,forte euenit,vt adolescens in somnis illa potiri sit visus:atq; omnis illa cupiditas, qua antea vexabatur, illo somnio extincta sit visa.id quũ Theognidi innotuisset:ab adolescente pecuniam ob libidinem eius expletam petebat.recusantem dare,in iudicium traxit.Bocchoris audita controuersia,statim iubet adolescentem tantum numerare auri,quantum illa peteret,atque in vas inferri:idq; deinde spectãte Theognide,manibus versare.nam censuit, vt quemadmodũ amator cupitę rei opinionẽ tantũ habuerat,sic mulieri auri imaginẽ referri solã.Cęterũ hoc Bocchoris iudiciũ à Lamia meretrice dãnatũ est, quia quũ illud adolescentis somniũ desideriũ abstulisset,non tamen auri vmbra imagóque Theognidis cupiditatem restinxerit.

Cicero interrogatus post Cæsaris victoriam,cur in iudicio partiúmque electione errasset:præcinctura,inquit,me decepit.iocatus in Cęsarem,qui ita præcingebatur, vt trahendo laciniam veluti mollis incederet: adeò vt Sylla tanquam prouidus Pompeio dixerit, caue tibi illum puerum male præcinctum.

Apud Aethiopas nemo etiam dãnatus morte punitur. Sed lictor mortis signũ adreum mittit:quo accepto, reus sibi mortem consciscit, nec licet mortem exilio commutare. ferunt quendã misso ad se mortis signo,cogitasse ex Aethiopia fugere.quod præsentiens mater, zona ad filij collum posita strangulauit.

Aulus Varus iudex confessori dicere solebat, quum datis testibus alij citarentur, ut hoc testium satis est, aut nescio quid satis.

Quintilianus lib.6.Inst.Quũ irasci iudices,fauere, odisse, misereri cœperunt,agi in rem suam existimant.& sicut amantes de forma iudicare non possunt,quia sensum oculorum præmit amor:ita omnem inquirendæ veritatis rationem iudex amittit occupatus affectibus,

Iudices, teste Pædiano, in leges inrabant.iudicum album dicebatur tabula alba,in qua iudicũ nomina scribebantur,iudicia prius per senatores agitabantur.postea Tyberius Gracchus legem tulit,vt ex ordine equestri iudices trecenti eligerentur,vt par numerus cum senatoribus esset. Laudatissimi in iudiciis Minos & Rhadamantus:Aeacus, & Bocchyris rex Assyriorum:Bias Prienensis,& Prodicus quidam.In iudiciis exhibendis infames, Panis rex Chalcidis, qui etiam Hesiodum nescio quo modo Homero prætulerit, Bœoti; Bataui: iudex malus apud Lucil.Lupus,de cuius nece inter deos consultatum est.

Chameleonti viuenti linguam exemptam qui habeat, iudiciorum euentum fœlicem putat Democritus assecutum.

DE GRATITVDINE ET INGRATITVDINE. XI.

POmpeius Magnus quum Marcellinũ ad Cæsarem inclinantem cognouisset, quamuis de eo optimè esset meritus,multa illo in senatu dicente: Non pudet Marcelline,inquit,malè mihi dicere: per quem è muto eloquens,è famelico vomens factus es?

Plato quum ab iudice accepisset, Xenocratem discipulum multa in eum impiè dixisse:instarétque iudex, respondit, non esse credibile, vt quem tantopere amaret,ab eo inuicem non diligeretur.Aegyptij præter cæteras nationes erga benemeritos de se grati sunt.

Cicero quum in Sicilia quæsturam magna cum integritate ac diligentia administrasset:sibi putabat rumores de nulla re maiores quàm de sua quæstura haberi à Romanis. Veniens igitur è Sicilia Puteolos, quò multi è Romanis conuenerant,putans omneis gratulabundos ad se venturos:egressus è naui,circáque balnea profectus,ciues Romanos in corona stantes,colloquentésque offendit.Illi statim in eum tunc primùm venientẽ conuersi,quæsierunt qua die Roma exisset:& nunquid ibi esset noui?quod Ciceroni perquàm fuit molestum.

Eundem Ciceronem Aulus Gabinius repetundarum reus, summo studio ab eo defensus,consul factus vrbe expulit.P.Vatinius duobus iudiciis publicis à Cicerone adiutus,illius dignitati semper fuit infensus. M.Popilius Lenas adiutus à Cicerone in re capitali, nec re nec verbo quidem ab illo læsus:vltro M.Antonium rogauit vt ad illum proscriptum iugulandum mitteretur.Missus, caput Ciceroni detruncat, Romámque alacriter aduexit.

C.Cæsar orator Sextilium à Syllanis accusatum defendit.sed is postea Cinnanæ proscriptionis profugus,ad Sextilium confugit, à quo proditus est.

Ceretani Romanos,qui ad eos confugerant occupata à Gallis vrbe, item Vestales cum igne perpetuo quũ diligentissimè seruassent, Gallos etiam in Sabinis fuderunt: sed ob incuriam rectorum neq; gratiæ illis actæ à senatu,neque ciuitate donati sunt.

Catullus Luctatius Cimbrico in bello Marij collega, quũ aliquando Marium saluti etiam reddidisset.ab eo postmodũ proscriptus est.

Caligula Macronem, ipsamq; Enniam adiutores imperij occidit. vt est dictum.

Maximinus Thrax quum ob fortitudinem ab Alexandro Seuero ad magnos paulatim honores euectus esset, & Seuerum ingratissimus occidit,& imperium sibi occupauit.

Clesides pictor, quum nullo honore à Stratonice regina exciperetur, voluptatem cum piscatore pinxit: quoniam piscatorem reginam

sermo

sermo erat amare. Eámq; tabulam in portu Ephesi proposuit, ipse velis raptus est.

Augustus æs alienum cuiusdam senatoris sibi chari non rogatus exoluerat, numerato quadragies. At ille pro gratiarum actione hoc solum scripsit. Mihi nihil?

Hamilcar Carthaginensis cognomento Thodamus, vir facundia solertiáq; insignis, missus ad Alexandrum magnum sub exilij specie à Carthaginensibus, vt animum regis perscrutaretur, eumque Carthaginensibus indicaret: omnia diligenter exequutus, post Alexãdri mortem Carthaginem reuersus, à Carthaginensibus & ingratis & crudelibus necatur.

Agesilaus ingenti odio insectabatur, si quis beneficiis lacessitus, ingratus extitisset.

Claudius imperator ingratos publicauit: & de quibus patroni quererentur, reuocauit in seruitutem. Seneca in prouerb. Ingratus vnus miseris omnibus nocet.

Calliam Antistitem quũ barbarus quidam errore comæ coronæq; captus pro rege adorasset, atque magnum auri pondus à barbaris effossum ostendisset: Callia accepto auro, hominem, ne res ad alios deferretur, immanissimè trucidauit.

Decem prætores Athenienses post partam contra Lacedæmones victoriam, apud Arginussas vi tempestatis acti, suorum corpora sepulturæ tradere non potuere. sed quum venissent Athenas pro triumpho, damnationem supplicij pertulerunt.

P. Sulpitius adiutus plurimum à Catone rebus in omnibus, in petitione consulatus Catoni competitor adhæsit.

Gn. Carbo quum Gn. Pompeium de paternis bonis dimicantem aliquando protexisset, ab eodem postea occisus est.

Xerxes quum nauigans in Asiam se reciperet, relicto Hydarni exercitu, procella agitatus: gubernatorem rogauit, num aliqua salus esset? Et quum ille dixisset nullam esse, nisi vectores abirent: tum Xerxes, viri Persæ, ait, nũc aliquis vestrũm declaret se curam habere Regis. Hæc vbi dixit, multi ex illis rege adorato prosiluerũt in mare, leuatáq; nauí incolumis in Asiam Xerxes appulsus: vt primum è naui descendit, gubernatorem corona aurea donatum ob seruatam eius salutem: quòd verò multos perdidisset, decollauit.

Pœni sæpe à Romanis superati, præsidium à Lacedæmoniis petierunt: qui Xantippum ducem miserũt, cuius consilio Romanus exercitus fusus est, Regulúsq; captus. Cæterum ingrati ducem cum multis militibus merserunt.

Miles Philippi Macedonis ob virtutem illi charus, quum ex naufragio in villam Macedonis cuiusdam miser inopsq; se recepisset, à domino domi lectóq; perbenignè exceptus, semianimísque recreatus est, qui 30. diebus impensa sua curatum, viatico etiã iuuit: abeũtem ac dicentem,

dicentem, gratiam tibi repẽdam, videre tantum imperatorem meum contingat, narrauit miles naufragium Philippo, subsidiũ hospitémq; tacuit: quin petiit vt hospitis illius prædia sibi donaret: donauit Philippus: sed mox per literas factus à Macædone de re certior, ita exarsit, vt statim priori domino bona reddi iusserit, militique ingratissimo stygmata inusserit.

Q. Cæcilius à L. Lucullo plurimis muneribus affectus: eum hæredem relicturum sæpius iactauerat, annulis etiam suis traditis: cæterùm moriens, Pomponium Atticum reliquit hæredem, idem fecit T. Barrulus Lentulo Spinteri, & M. Pompilius Oppio Gallo.

Narcissus, quia Echus amantis amori non respondérat, in florem commutatus est.

Crocus à Smilace amatus, illam quum contempsisset, in florem & ipse est conuersus.

DE INERTIA, IGNAVIA, PIGRITIA, imbelliáque. XII.

TYberius quum biennium pedem porta non extulisset, præterquam ad propinqua vrbi oppida, per iocum καλλιπόδιος, id est, Callipes vocatus est, quum cursitare, ac ne cubiti vnius mensuram excedere, prouerbio Græco notatum sit. Meminit prouerbij Cicero ad Atticum, licet alij καλλιπώδης legant.

Lysander Lacedæmoniis segniter Corinthiorũ murum oppugnantibus, quum leporem è fossa vidisset exilientem, Eos, inquit, timetis hostes, quorum inertia lepores in muris dormiunt?

Neuius quidam quum iners socórsque esset, festiuè per annominationem Scipio in illũ iocatus est: Quid, inquit, hoc Neuio est ignauius?

Antalcidas Spartanus, quum Athenienses quidam iactaret dicerétq;, sæpe etenim vos à Cæphiso fugauimus: Nos verò, inquit, vos nũquam ab Eurota.

Pompeij imbelliam Cicero vrbanissimè taxauit. Dicentibus enim se sero ad Pompeium venisse, respondit, minime sero: nam nihil hic paratum video. Idem dicebat: Quem fugiam habeo, quem sequar non habeo.

Scipio quum in Alexandriam venisset, pedésque in vrbem accederet, réxque cum aliis propter desidiam corporísq; molliciem vix incederet, Scipio ad Panetium murmurans ait: Iam Alexandrini aliquid voluptatis fructúsque ex nostra peregrinatione perceperunt: nostra namque causa regem summ ambulantem viderunt.

Salinator, quum ob eius incuriam Tarentum à Romanis defecisset, arcem tamen retinuit, quum verò aliquot post annos Fabius Maximus oppidum pulso Annibale recepisset, rogarétque eum Salinator, vt meminisset opera sua se Tarentum recepisse: Quid ni, inquit Fabius meminerim? Nunquam ego recepissem, nisi tu amisisses. Ex

Cic.de Orat.Plutarchus in Fabio M.Lucium vocat.

Empedocles in eum mirmillonem qui retiarium insequebatur,nec feriebat,iocatus: Viuum,inquit,capere vult.in Plutonis æde funarius pictus,quantũ funium contorserat,tantum asinus manderet præ ignauia,meminit Plutar.de Tranquil.

M.Militius,Cn. Lollius,L.Sextius triumuiri,quum ad incendium in sacra via ortum extinguendum tardius venissent,à tribuno plebis dicta damnati sunt.

Cicero quum quidam à Cæsare ad Pomp.transfugisset: dicerétque propter celeritatem equum reliquisse,ad Pompeij exercitus imbelliam alludens:Melius,ait,equo consultum est.

Tigranes quum esset à Syris in regnum vocatus,vbi Antiochus Ciricœni filius regnabat:accessit,decémque & octo annos potitus quiete est,(nam Antiochus in angulum Ciliciæ se receperat),victo verò Tigrane,Lucullus regnum Antiocho restituit: quod postea Pompeius ademit.Rogitantique,se daturum negauit illi,qui 18.annis,quibus Syriam inuaserit,in angulo Ciliciæ latuerit:victóque à Romanis Tigrane,alieni operis præmia postulet.

M. Portius apud Salustium,Vigilando,ait,agendo,bene consulendo,prosperè omnia cedunt,vbi socordiæ te atque ignauiæ tradideris, nequicquam deos implores:irati infestique sunt.

Hercules quum suis sacris Pinarium Potitiúmque præfecisset,atq; peractis ab ambobus matutinis sacris, ad vespertina à Potitio extis iam redditis Pinarius aduenisset,iratus Hercules,sacris Pinariũ summouit:statuítque Potitiorum familiam celebraturam sacra,Pinariorum verò ministram fore sacrorum.

Olor rex quum Dacas aduersum Bastarnas male pugnasse sciret, sanxit:ob segnitiei vltionem,vt Dacæ caperent somnum capita loco pedum ponentes,ministeriáque vxoribus quæ ipsis antè fieri solebant facerent.Qui locum in acie deseruissent apud Rom.hostique cessissent aut decimabantur, aut ordeaceo ob ignominiam pane vescebantur. Augustus variis ignominiis affecit,vt stare per totum diem iuberet ante prætorium, interdum tunicatos discinctósq;,nonnunquam,cum decempedis,vel etiam cespitem portantes:

Aristogiton sycophanta in sermonibus nihil nisi arma belláq; sonabat,quum verò intellexisset,delectum militum haberi:simulata valetudine,crus obligat: baculóque innixus,ceu vulneratus, claudicans prodit in publicum.Eum Phocion è tribunali prospiciens,vociferans ait:scribe Aristogitonem claudum,& eundem improbum atq; mendacem.

Diogenes Cynicus circunstantibus, adolescentibus,ac dicentibus, caueamus ne mordeat nos:Bono,inquit,estote animo filioli:canes bestias minimè mandunt.

Pamphilus apud Terentium coniectus in nuptias Daui consilio, quum

quum illi irasceretur,dicerétq; Dauus,si non successit hac,alia aggrediamur via.Imo,inquit,satis credo,si aduigilaueris,ex vnis binas mihi confeceris nuptias.

Masistes Darij filius,Artayntam mulierem ignauiorem appellauit:quod apud Persas summum aiunt esse opprobrium.

Cyrus apud Xenoph.vrbanè ignauos inertésque veluti fucos esse ait,solum impensæ sociis esse detrimento.Ouid.de Remedio,Languor & immodici sub nullo iudice somni,Aleáq; & multo tempore quassa mero,Eripiunt omnes animo sine vulnere vires, Affluit incautis insidiosus amor.

Thericyon Delphis rediens,quum Philippi castra in Isthmo esse, angustiásque occupatas vidisset:Malos,inquit,ianitores vos ô Corinthij Peloponnesus habet.

Accessæus quidam nauta ignauus,comperendinans nauigationem, lunam se expectare Cæsar in commẽt.lib.1.ait:Nam vt ad bella suscipienda Gallorum alacer &(dicebat) promptus est animus,sic mollis & minimè resistens ad calamitates præferendas mens eorum.

Quidam à patre coactus ad agriculturam,adeo illos labores anni circulares stomachatus est,vt laqueo vitam finierit.

Quum ob turbatos ordines in Marcelli copiis victor Annibal extitisset:reuersus in castra Marcellus,conuocato exercitui,ait: multa scuta Romanorum arma & corpora,Romanum verò videre neminem.

DE IMPERIO ET IMPERATORE. XIII.

QVum vniuersa mundi huius,quem nos mortales incolimus.Resp.ex imperatorum principúmq; dominatu penè constet:operæprecium visum est:hic quoque inserere quales principes esse debeant,de qua re,& si plures abunde scripserint,non tamen visum est alienum,me breuiter summatimque aliquid esse scripturum.Cicero in oratione pro rege Deiotaro ait:Fortem,iustum,seuerum,grauem,magnanimum,largum,beneficum,liberalem dici,hæ sunt regiæ laudes. Dicam igitur singulatim dehis,exemplóque subnectam.

FORTEM.

Quinius Camillus,Senator antiquæ familiæ,quum rebellare studuisset,(affectabat enim tyrannidem)eáq; res Alexandrum Seuerum imperatorem non latuisset,vocato ad palatium Quinio,gratias primò agit,ac laudat quòd curam Reip.quæ recusantibus bonis adderetur,sponte reciperet.Alexander patri ait:Homerum duas regias virtutes ponere,fortitudinem & iustitiam.

Sylla quum Archelaum Mithridatis præfectum ad proditionem vocaret,atque ille abominaretur, qui antea Syllam corrumpere tentasset:vt capiens à Mithridate pecuniam,naueisque,bellum Romanis

patriæque inferret,ait:Quum sis Archelaus Cappadox,& Barbari regis seruus, seu mauis amicus,ad ea bona acquirenda turpitudinem subire denegas:Mihi autem qui sum & Rom.pop.imperator,& Sylla, de proditione verbum audes facere?

Anteas Scytharum rex,hinnientem equum potius quàm Ismeniam canentem percupere se audire dixit.Sed exempla fortitudinis sunt repetenda è cap.de Fortitudine.

IVSTVM.

Antigonus dicente quopiam, omnia esse regibus honesta & iusta: Per Iouem,inquit,ita barbarorum regibus: nobis autem ea duntaxat honesta,quæ honesta:& ea iusta,quæ iusta.

Traianus omni tempore omnibus iura reddebat,audiebátque.Item Augustus,authore Suetonio.Scipio in audiendo benignus,in respondendo facundus,in conciliandis hominibus egregius artifex.

Samuel propheta ex dei iussu in Bethlehem venerat, vt Iesse filium vngeret,regémq; crearet:atq; ille vnum è filiis procerum pulchrúmq; regem futurum putabat,consultus deus respondit: ego non corporis pulchritudinem ac speciem apicem facio esse regium,sed animi sine controuersia virtutem,ille siquidè perfectè pulcher est,qui pietate & iustitia simul,& fortitudine,necnon & obedientia splendidus est.Sed è multis Iesse filiis Dauid,qui oues custodiebat,regem fecit.Reges, inquit Homerus,non machinas æratásque naues,sed iustitiam exercere custodiréque decet.

Clisthenes Sicyonius,iudicem, qui in victoria sibi contradixerat, coronauit.

Pisistratus tyrannus apud Areopagitas citatus,iudicium subiit,vt est in cap.de Iustitia.

Augustus Proculum ex acceptissimis libertis mori coegit,compertum adulterare matronas.Pædagogum,ministrósq; C. filij per occasionem valetudinis mortisq; eius superbè auaréq; in prouincia grassantes,oneratos graui pondere ceruicibus,præcipitauit in flumen.

Taprobanæ regem,si quid delinquat,morte mulctari,nullo interimente,sed auersantibus cunctis,& commercia sermonisetiam negantibus.Sed & Iustitiæ exempla ex cap.de Iustitia sunt repetenda.

Alexander Macedo,captus Rhoxanes Oxyatræ filiæ amore,quum inter bello captas puellas saltaret,vim non intulit,sed vxorem duxit.

SEVERVM.

Alexander Seuerus imperator,aurum & argentum rarò cuiquam nisi militi diuisit:nefas esse dicens,vt dispensator publicus in delectationes suas suorúmque conuerteret,id quod prouinciales dedissent, idémq; nõ multum auri ad insignia apparatúmq; regium,neq; etiam serici deputabat,dicens:Imperium in virtute esse,non in decore.

Idem,quod pedibus æger bellum moraretur,idque milites anxiè ferrent,filiúmque eius Bassianum Augustum facerent,tolli se iussit: atque

atque in tribunal afferri,adesséq; omnes tribunos & centuriones,quibus authoribus id acciderat. Sisti deinde filium,qui Augusti nomen acceperat,quúmque animaduerti in omneis authores facti præter filium iuberet,rogaretúrq; omnibus ante tribunal prostratis,caput manu contingens,ait:Tandem sentitis caput imperatoris,nõ pedes:ad valetudinem scilicet pedis alludens.

Cleomenes dicente quodam,oportere bonum regem omnino mitem esse.Eò vsque,inquit,dum contemptui non sit.Sed de ea re in capite de Seueritate,plura exempla inuenies.

GRAVEM.

Lacon quidam,quum Carillus rex à quodam laudaretur:Quonam, inquit,modo bonus esse vir potest,qui ne in malos quidē acerbus est?

Themistocles,parta bello nauali victoria,quum intefectorum cadauera ad mare visenda accessisset,vt armillas passim torquésque abiectos aspexit,amico qui eum sequebatur,Collige tibi,inquit,tu enim Themistocles non es.

Alexander Seuerus nemini quod facturus esset indicabat,atque ita cum silentio fines Barbaricos inuadebat.

MAGNANIMVM.

Agesilaus,quum decem millia hostium occidisset,aduersarios intra Corinthum compulisset,hortantibus multis vt vrbem expugnaret,negauit id suæ virtuti conuenire:se enim eum esse dixit,qui ad officium peccantes redire cogeret.

Anaxilaus rex,quid esset in imperio felicius interrogatus:Beneficiis,inquit,non superari.

Iulius Cæsar iturus in Afranium,se ire dixit in exercitum sine duce:in Pompeium verò,ad ducem sine exercitu.

Ammianus Marcellinus ait,in imperatore munus animi exigitur, in milite fortitudinis. Cyrus apud Xenophontem 7.Principem,ait, non decere esse inferiorem intelligendo quæ opus sunt,neque gerendo quæ tempus expostulat.

Iulius Cæsar,ce flantibus copiis quas subsequi iusserat,frustra sæpe accersitis,noctu clàm paruulum nauigium ingressus est,neq; aduersæ tempestati gubernatorem cedere passus est:dicens,Cæsarem vehis.

Cyrus monitus à Clearcho,ne se in pugnæ periculum admitteret, respondisse dicitur:Quid ais Clearche?iubésne regnum appetentem, regno me indignum ostendere?Sunt huiusmodi plura exempla in cap. de Fortitudine.

LARGVM.

Mycipsa apud Salustium ait,Iugurthæ non exercitus, neque thesauri præsidia regni sunt:sed amici, quos neque armis cogere,neque auro parare queas:officio & fide parantur. Cyrus verò apud Xenophontem ait Crœso:At ego dum amicos diuites reddo hos mihi thesauros esse puto,& custodes tum mei ipsius,tum meorũ bonorũ longè

fideliores, quàm si præsidiarios milites præfecissem.

Dion de regno: Quis enim amico in suscipiendis laboribus impigrior? quis promptius gaudet in prosperitatibus? à quo suauior laus? à quo veritas iucundior? quæ custodia, quod monimentum, quæ arma meliora, firmiora, beneuolorum custodia? Alcamenes rogatus, quomodo optimè regnum seruaretur: Si multi, ait, non fecerint lucrum.

Miserat Darius legatos cum regiis ad Alexandrum literis, pro redimendis captiuis, quibus decem millia talentorum, cunctam Mesopotamiam, filiæque matrimonium, tum amicum se sociúmque futurum pollicebatur. quibus inter æqualeis suos communicatis: Parmenio: Si Alexander, inquit, essem, has conditiones acciperem. cui subridens Alexander: & ego medius fidius, ait, si Parmenio.

BENEFICVM.

Vespasianus imperator, etsi esset non parum auarus, dicebat tamen non licere quenquam à vultu imperatoris tristem discedere. idémque voluit in perducendis columnis plebem pasci, vt infrà dicetur.

Artaxerxes, inopi rustico aquam manibus haustam porrigenti, lætatus phialam auream, ac mille Daricos donauit. Idem quum sibi malum punicum insignis magnitudinis à paupere datum esset: Per solem, inquit, ciuitatem ex parua magnam, si eius fidei credatur, hic quàm celerrimè redigere posset.

LIBERALEM.

Alexander Seuerus, thesauros repertos, iis qui repererant, donauit. Idem vectigalia vrbibus ad proprias fabricas deputauit.

Idem illi qui mihi petebat: Quid est, ait, quod nihil petis? an me tibi vis fieri debitorem? Pete, ne priuatus de me queraris.

Cæsar vsus magna liberalitate in veteranas legiones, in pedites singulos super bina sestertia, in equites vicena quaterna millia: Populo præter frumenti denos modios, ac totidem olei libras. trecentos quoque nummos exhibuit.

Alexander Macedo, filiis cæsorum in bello contra Persas, agros munerúmque tum priuatorum tum publicorum immunitatem concessit. Idem indoluit vxorem Darij mortuam, quia benignitatis ostentandæ argumentum amiserat. Idem renuentibus potius quàm postulantibus munera tristior erat. scripsitque ad Phocionem Athenienssem, eum minimè æstimaturum amicum deinceps, si sua repudiet congiaria.

Idem, quum æs alienum quod Macedones conflauerant dissoluere, Tarrias quidam falsum creditorem subiiciens, deprehensus de conscisscenda sibi morte cogitabat, nisi Alexander crimine liberasset, & insuper argentum ferendum tradidisset.

Seruius Galba in iudicium vocatus, quòd pro Cn. Pompeio in tertio consulatu pecuniam spopondisset, quum sedenti Cæsari dixisset: C. Iuli Cæsar pro Pompeio Magno, quondam genero tuo, spopondi: Cæsar pecuniam soluit.

CLEMENTEM, HYMANúmque.

Alexander Seuerus, quum improbantes eius humanitatem, crudelitatémque, Mammea mater, vxórque Memmia Sulpitij consularis filia, Catuli neptis, sæpe dicerent, molliorem tibi potestatem & contemptibiliorem imperij feciſti: respondit, Sed securiorem atque diuturniorem. quod etiam dixisse Theopompum, infrà dicetur. Alexander Macedo ob Ephestionis clientis mortem triduo abstinuit cibo.

Arbaces rex, quum Belesis magnam auri argentique partem in Babylonem cum Sardanapali cineribus misisset, & ob id accusatus conuictúsque esset à iudicibus, mortique destinatus, non solum Beleso pepercit: sed asportatum aurum condonatus, præfecturam Babyloniorum à principio concessam habere iussit.

Alexander, quum Poro Indorum regi victo, obtulisset se daturum quicquid peteret: atque Porus, vt regiè tractaretur petiisset, subridens Alexander: Id quidem, ait, tibi vel mea causa facturus sum.

Idem Alexander tantæ fuit clementiæ, vt Darius inuidens precaretur à diis, vt aut superaturus esset Alexandrum clementia: aut si is regno spoliaretur, solus Alexander in Persarum regno imperaret.

Iazates Diabenorum rex, quum ad illum confugisset Artabanus Parthorum rex, in viáque occurrisset priuatus, pedésque, prosiluit ex equo, atque illum conscendere iussit, volens ipse pedes ire.

Iulius Cæsar, L. Vibullium Rufum, Pompeij præfectum, bis captum remisit.

Dauid rex, quum pestem in Hierosolymas ab angelo immitti cognouisset, ad Dominum clamauit: rogauitque, vt ipse qui pastor erat, plecteretur: & greges, qui nihil deliquerant, seruarentur. sed pientissimus Dominus & pastori & ouibus pepercit. Martial.

Principis est virtus maxima nosse suos.

Alexander rex, Dario occiso, non statim sacra diis fecit: ademptáque sibi chlamyde, defunctum texit.

Iulius Cæsar clementia mira in hosteis rebelleisque semper fuit vt merito Marius Geminus apud illum dixerit: Cæsar, qui apud te audet dicere, magnitudinem tuam ignorant: qui non audent, humanitatem.

Idem C. Memmij, cuius asperrimis orationibus non minore acerbitate rescripserat, etiam suffragator mox in petitione consulatus fuit. Idem Petreio & Afranio, in Iulianos sæuis atrocissimisque deprehensis, pepercit. Acie Pharsalica proclamauit vt ciuibus parceretur: acerbè loquentibus, satis habuit pronunciare, ne perseuerent.

Scipio, quum Mandonius Indibilisque ei misissent legatos pacem expetentes veniámque deprecantes, quamuis quantum facinoris in populo Romano admisissent intelligerent tamen non minus decorum putans hostem clementia quàm armis superare, regulis pepercit. Celebratur Augustus clementia.

Cicero lib.3.de legibus: Nam & qui bene imperat, paruerit aliquando necesse est: & qui modestè paret, videtur qui aliquando imperet, dignus esse. Itaq; oportet & eum qui paret, sperare se aliquo tempore imperaturum: & illum qui imperat, cogitare sibi breui parendum esse.

Hadrianus, quum præter cæteros inimicos quos in priuata vita habuerat, quendam postquam factus est imperator inuenisset, quamuis capitalem, Euasisti, inquit.

Agesilaus, quum accepisset è Lacedæmoniis octo, hostium verò decem millia in prælio occubuisse: Hei tibi Græcia, inquit, quandoquidé ij qui oppetierunt, satis fuerant qui viui omnes pugnãdo superassent.

Tarquinius Priscus in Latinos rebelles victos clementer egit, neque agris pecuniisve mulctauit. idem in Etruscos clementissimus.

PARCVM.

Repete exempla in cap. de Abstinentia.

SANCTVM, PATIENTEM, simplicem.

Cicero de Legibus: Ego autem nobilium vita victúque mutato, mores mutari ciuitatum puto, quod perniciosius de repub. merentibus, vitiosi principes: quòd non solum vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in ciuitatem, plúsque exemplo nocent quàm peccato. & ibi L. Lucullum accusat, cui quum probro daretur, quòd nimis magnificè villam in Tusculano ædificasset, duos dixit se habere vicinos, equitem & libertinum: quorum quum essent magnificæ villæ, concedi oportere sibi ait, à Cicerone mutuatam. Claudianus ait:

In commune iubes si quid, censésve tenendum,
Primus iussa subi. tunc obseruatior æqui
Fit populus, nec ferre vetat, quòd viderit ipsum
Authorem parére sibi. componitur orbis
Regis ad exemplum: nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quàm vita regentis.

Agesilaus in publico esse gaudebat. putabat enim turpiter degentem, tenebris gaudere. Pindarus dicebat, morem omniũ esse regem.

Porus Indiæ rex, dicenti cuidam, Darium regem appellatum esse: At vir, inquit, appellatus non est.

Plato dicebat beatas esse Respub. quæ ab illis regerentur, qui aut ipsi sciperent, aut sapientiæ incumberent.

Antigonus, admirantibus amicis quòd senex mansuetè rebus vteretur, quum aliter iuuenis esset vsus: Prius, inquit, mihi potentia opus erat, nunc verò gloria & beneuolentia.

Iulius Cæsar C. Caluo post famosa epigrammata, de reconciliatione per amicos agenti, vltrò ac prior scripsit. idem Valerium Catullum, de iniuriis satisfaciente me, eadem die adhibuit cœnæ.

Vespasianus mechanico grandes columnas exigua impensa perducturum in Capitolium pollicenti, præmium pro commento non mediocre

diocre obtulit, operam remisit: præfatus sineret se plebeculam pascere in fame.

Aegyptij reges simplici cibo vtebantur, ac nihil nisi vitulo & anseribus, statuta etiam vini mensura.

Tyberius imperator præsidibus onerandas tributo prouincias suadentibus, rescripsit: Boni pastoris est tondere pecus, non deglubere. Xenophon scribit Cyrum dicere solitum, similia esse opera boni pastoris & boni regis. vnde mutuatus Tib.

Augustum tantæ parsimoniæ fuisse, vt ne toro quidem cubuerit, nisi humili & modicè strato.

Manius Curius iurauit se ex præda nihil attigisse, præter guttum faginum, quo sacrificaret.

Fabricius bellicosos imperatores plus quàm pateram & salinum ex argento habere vetabat.

Agesilaus quicquid apponeretur, suauissimè comedebat: & quicquid vini offerretur, quàm iucundissimè bibebat.

Cato senior iter faciens, solo ministro comitatus, qui secum ad victum necessaria ferebat, ibat. Huic vel prandium vel cœnam ministranti, nunquam succensuisse Catonem aiunt. Is etiam Cato solebat cum suis sedere, atque eodem vti pane, eodémque vino vesci.

Dion de regno: simplicitatem ac veritatem, regium quiddam putant: fraudem verò & astutiam, rem stultam ac seruilem, ait.

Ariston laudante quodam Cleomenis responsum, qui rogatus quid oporteret bonum regem facere: dixerat, amicis quidem benefacere, inimicis male: Et quanto, inquit, melius est ô bone, amicis benefacere, inimicos verò sibi conciliare?

Anicula quadam rogante Demetrium, vtse audiret: & respondente eo, sibi ocium non esse: tum anus in illum alta voce conuersa, Ne etiam regat, inquit.

Cicero nuncianti cuidam, amicos Cæsaris tristes esse: vrbanè, Cæsari, inquit, maleuoli sunt.

Theopompus, quum ab vxore sibi obiiceretur, quòd esset humilius regnum filiis traditurus quàm ipse accepisset: Eo igitur, inquit, maius, quo diuturnius. Quod mutuatus Alexander Seuerus, idem dixit.

Antigono, qui animum conuerterat ad liberandas è tyrannorum manibus Athenas: quum quidam ex amicis dixisset, vt si eam occupet vrbem, validis præsidiis firmet: dixisse illum ferunt, beneuolentiam semper visum optimum regni fundamentum, verisimúmque præsidium.

Minutius magister equitum, partitus cum Fabio Maximo copias, quum esset ab Annibale circumuentus, accurrens Fabius & Minutium seruauit, & multos ex hostibus occidit. Tum Annibal conuersus ad amicos: Nónne sæpe vobis prædixi, montanam illam nebulam, imbrem in nos aliquando emissuram? Sed iam ad reliqua de imperio.

Iulia nouerca Antonij Caracalæ, dicente Antonio, vellem te vxorem ducere, si liceret: respondisse fertur: Si libet licet. An nescis te imperatorem esse, cuius leges est dare, non accipere?

Nero in gymnicis musica decertauerat. rogatus à Tigillino Apollonius, quid de Nerone sentiret: Melius, inquit, sentio quàm vos. Cantare enim vos dignum illum putatis, ego autem tacere.

Numantini, quum à Scipione in fugam essent versi, à senioribus castigati, quia quos toties fugassent fugerent, quēdam è iunioribus dixisse ferunt: Pecora quidem etiamnū eadem sunt, sed mutatus est pastor.

Apollonius rogatus à Babyloniæ rege, quomodo tutò regnare posset: Si multos, inquit, honoraueris, paucis vero credideris.

Antigonus, filio nimis superbè in subditos se gerente, ait, ignoras ô fili regnum nostrum non ferè aliud esse, quàm seruitutē gloriosam?

Solon in rebus magnis administrandis difficile dicebat esse omnibus posse placere. Ex Plutarcho, qui ait in Timoleone: ministri enim seruiq; multorum sunt, nomen verò duntaxat principum sortiuntur.

Saturninus, hortantibus militibus vt imperium susciperet, ita ait: Nescitis amici, quantum mali sit imperare, gladij vt appendentes ceruicibus immineant: hastę vndique, vndique spiculæ: ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur: non cibus pro voluntate, non iter pro authoritate, non bella pro iudicio, non arma pro studio.

Rex subtilis iudicij traditum diadema, priusquam capiti imponeret, retentum diu considerasse, ac dixisse dicitur: O nobilem magis quàm felicem pannum. quem si quis penitus cognoscat, quàm multis sollicitudinibus periculis, & miseriis sit refertus, ne humi quidem iacentem tollere vellet.

Dionysius Siracusarum tyrannus, quum ex eius assentatoribus Damocles commemoraret copias eius, opes, maiestatem, dominatum, ne garétque vnquam beatiorem quenquam fuisse: Vis ne igitur, inquit, ô Damocle fortunam experiri meam? quum se ille cupere dixisset, iussit hominem in aureo lecto collocari, ad mensámque pueros delectos ministrare, mensæ conquisitis epulis extructæ: in hoc medio apparatu ful gentem gladium è lacunari seta equina appensum, demitti iubet, vt impenderet Damoclis beati ceruicibus. sed ille non ministratores spectabat, non argentum, non manum porrigebat in mensam: tyrannúmque exorauit, vt abire liceret, quoniam beatus esse nollet.

Diocletianus dicebat, nihil difficilius, quàm bene imperare. Otho sæpe dicebat: Mihi credite, mori malim quàm imperare.

Simonides apud Xenophontem, in tyrannide quum Hieroni Siciliæ tyranno dixisset, potiorem esse regum vitam quàm priuatam, vtpotè quæ singulis sese expleat cupitis voluptatibus: Hiero respondit, voluptates ipsas melius sentiri in vita priuata. Nam vt de libidinosa voluptate prius dicatur, ostendit maiorem voluptatem concipi à priuatis, si quando potiuntur amica: quia spontaneus sit atq; mutuus amor, non coactus

coactus: quam tyrannorum, qui coacto aut empto potiuntur amore. De voluptatibus ciborum ait: regibus nullam vnquam esse famem prę patinarum multitudine, & ob id semper acidis vescitin vita verò priuata semper subesse famem, delectationémque propterea ciborum maiorem. Addit præterea multa incommoda, regni appetentiam, aliorum inuidiam, suspicionem, metum, angorem, & iis similia, quibus tyranni afflictantur. Tyberius imperator de imperio ad senatum ita scripsit, Quid scribam vobis P.C. quomodo scribam? aut quid omnino non scribam hoc tempore? Dij me deæque peius perdant, quàm quotidie perire sentio, sed Hieronis verba apud Xenophontem sum visus ascribere. Potus, ait, ac sumnos non aliter quàm insidias caueo, timeo celebritatem omnium, timeo solitudinem, timeo incustoditos aditus, timeo ipsos custodes: neque inermes illos habere velim circa latus, neque armatis confido.

Hadrianus dicere solebat, misera est conditio imperatorum, quibus de affectu tyrannidis, nisi occisis, non totest credi. Ex Volcatio in Auidio. Id etiam antea dixisse Domitiannm, Tranquillus ait.

Corbis & Orsue regis filij, vt ait Valer. vt autem Liuius, patrueles, mortuo rege, de regno decertabant. Scipioni illorum iras lenire, ac regnum cui legitimè deberetur, restituere studenti: Corbis maior natu facilè assentiebat. Orsue verò viribus maior, regnū appetens, certamine singulari voluit expetiri, vtri à fortuna regnū adiudicaretur. Quum igitur manus conferrent, Orsue occiditur, iustásque pertinaciæ pœnas pependit mitiori fratri.

Darius Persarum rex, alteri ex filiis Artaxerxi regnum, Cyro alteri filio vrbes quibus præfectus erat, legauit. Sed Cyrus imperij cupiditate ocultum bellum fratri parabat. Res non latuit Artaxerxem: sed per dissimulationem fratrem accersitum, compedibus aureis vinxit: occidisset, nisi à matre prohibitus esset. Ex Iust. libro. 5. Sed apud Plut. Artoxerxem à Cyro confossum legi. Hom. 2. Rapsod. Non bene, ait, regi posse rempub. multorum imperiis. Cicero: quod est apud Ennium, Nulla sancta societas, nec fides regni est. Quod Lucanus mutuatus: Nulla fides regni sociis, omnísque potestas Impatiens consortis erit. Columella a tne in brutis quidem esse regni societatem.

Laborantibus Athenienſibus ex annonæ caritate, Periander quæstor vrbanus, triticum parcè suppeditans, largitionémque surripiens, regnum affectare visus, à populo saxis obruitur. Quod passum esse Cianam apud Romanos, ait Plutarchus in Paral.

Arisba Molosorum rex, quum regni incrementa Philippi Macedonum regis affinitate se acquisiturū speraret. Olympiada sororē dat vxorem Philippo: cęterum ab eodem regno pulsus, in exilio consenuit

Idem Philippus electus à duobus Thraciæ regibus ac fratribus iudex, parato exercitu, ambos regno, de quo certabatur, spoliauit.

Demades orator Athenienſis, dolentibus Athenienſibus diuinos honores

honores Alexandro præstare,vt fuerant iussi:Videte,inquit, Athenienses, ne dum cœlum custoditis, terram amittatis: hoc est, dum inficias itis Alexandrum in deorum referre numerum, vrbs vestra ab illo diruatur.

Iulius Cæsar sterile in Alpibus prætergrediens oppidulum, amicis dicentibus, an illic de principatu cõtentiones essent? cogitabũdus astitit.Postea,mallem,inquit,hic esse primus,quàm Romæ secũdus.Idem dicere solebat, Si ius violandum est,violandum est regnandi causa.

Aegyptiis reges suos summa veneratione obseruant:nam sine diuino numine illos tantum imperium non credunt assequutos. Nestor apud Hom.in Iliade monet Achillem,ne cum Agamemnone contendat,cui principatus à Ioue datus sit.Constãtinus dicebat,Imperatorem esse fortunæ est.vt ex Regilliani exemplo liquebit.

Imperatorum crebras mutationes nimium obesse, exemplo Iosephi liquet lib.18.Antiq.Quendam,ait,vulneratum fuisse, ad cuius vulnera quum multæ(vt fit) muscæ accessissent,quidam viator miseratus hominis calamitatẽ, ratusq; quod propter nimiam imbecillitatẽ non posset à se muscas abigere,alteriúsq; ope ob id egere:interrogat. num posit perferre muscarum tedium, an vellet depelli? respondens ille, mihi ait amplius damni importas,si has fugaueris.hæ,inquit,iam sanguine expletæ, non ita mihi sunt molestæ, quin aliquanto remissius insistunt.Si verò his pulsis aliæ famelicæ accedunt, ita illud inuadunt vulnus,vt etiam si intereant,non possint effugari.

Antiochus rex Asiæ quum à Scipione victus Taurotenus monte regnare iussus esset,omnémq; Asiã quã Romani prouinciã fecerãt amisisset,dictitare solebat,benignè sibi à pop.Rom.esse factũ,quòd nimis magna procuratione liberatus, modicis regni terminis frueretur.

Regillianus dux in Illyrico per iocos factus est imperator. nã quũ Valerianus tribunus dixisset,Regilliani nomen vnde credimus dictũ? aliúsq; respondisset,à regno:alius verò qui aderat scholasticus, grammaticè inflectens ait, rex regis regius, Regillianus. milites ergo inquiunt, potest esse rex? item alius,ergo potest nos regere? Item alius, deus tibi nomẽ imposuit.atq; quũ mane illuxisset, creatus est imperator,atque ex solo nomine fortuna subscribente imperator factus est.

Quæritur,inquit Vopiscus in Aureliano, quæres malos principes faciat?iã primũ licentia.deinde rerũ copia, amici præterea improbi:satellites detestãdi, eunuchi auarissimi:aulici vel stulti,vel detestabiles, & quod negari nõ potest,rerũ publicarũ ignorãtia.Quid multa?vt Dioletianus ipse dicebat:Bonus,cautus,optimus vẽditur imperator. Tibi verò princeps optime Mecœnas, istæc venditio timenda non est, tum quia omnia singulari calles prudentia, cum verò quòd non nisi comites aulicósq; venerabiles adhibes.& vt taceã cæteros, quis modestior, elegantior,Cæsare imperatore, iuuene extra omnem ingenij aleã posito?quem tu non immerito diligis,pientissiméq; foues,quum apud se nihil

nihil habeat antiquius virtute,nihil iucũdius quàm omnia in te officia reddere cumulatissima.is tuo vsus patrocinio, tuo fretus auspicio, ita optimus euasit,vt nihil boni in eo iuuene prorsus desideretur.

Apud Aegyptios nullus seruus regi astabat, sed nobilium sacerdotum,filij,tum vltra 20.annos nati,tum doctrina præ cæteris eruditi, vt eorum præsentia motus rex,nihil turpe committeret. Mane surgens rex,omneis epistolas legebat.Homer.in Priami comitatu Vcalegonẽ & Antenorem apponit.

Aratus Philppo respondit, nihil esse fide & beneuolentia firmius. Periander,qui regnare velit,dicebat curare oportere vt magis beneuolentia quàm armis firmetur. Cyrum Cambysi filio in morte dixisse, ait Xenophon.

Persarum regũ mos fuerat, vt ab vno cubiculariorum summo mane ad torum accedente excitaretur,his verbis:Surge rex,& negocia cura.Indorum regẽ dormientẽ si qua fœmina occiderit,munus habet, vt cũ illius successore iungatur.Regi interdiu dormire nõ licet.Ex Strab. 5.Homerus lib.2.Iliad.Somnum sub Nestoris forma ita Agamemnonem dormientem allocutum ait: Non decet virum primarium, cuius tutelæ populi commissi sunt,in cuius cura tanta pendent rerum momenta,solidam dormire noctem.

Thythraustæ offerente Agesilao quamplurima, si ex Asia decederet:respondit Agesilaus,ô Thythrausta, pulchrius esse ducimus principi exercitum quàm seipsum locupletari,& ab hostibus prædam potius quàm dona capere conari.

Decet autem principem assentatoribus aures omnino non præstare.Alexander dum adulatoribus aures patefacit,veros amicos Clisthenem,Parmenionem,Philotámq; perdidit.Hieron quũ aliquot ex amicis occidisset,post paucos dies Epicharmũ ad cœnã vocauit,qui assentationis studio ait:Et pridie quum amicos immolares,me non vocasti.

Sesostris Aegypti rex equorum vice reges ad currum adiungebat, atque ita per vrbem vectus iter faciebat.

Cyrus dicebat neminem debere imperare,qui subditis non esset melior:Principémque non decere esse inferiorem intelligendo quæ opus sunt,neque gerendo quæ tempus expostulat.

Minoa, qui in iustitia magnam gloriam sibi comparauit, Iouis familiarem vocat Homerus.

Apud veteres in regum summo sceptro ciconia,in imo hippopotamus pingebatur,vt per ciconiam pietatem in mente habere meminissent (ciconia enim parentes in senecta alit)per hippopotamum feritatem ac superbiam,quæ sub pedibus essent habendæ.

Ruffus de magistratibus Rom.ait:Regnauerunt Romæ annis 243. reges septem:consules,à primis illis Bruto & Publicola vsque ad Pansam & Hircium,fuerũt numero 872.Defuerũt Romæ consl.annis duobus sub decemuiris,sub tribunis militaribus annis tribus. Sine magi-

stratib

stratibus Roma fuit annis quatuor. ab Octauio Cæsare vsq; ad Iouinianũ imperatores fuerũt 43. per annos 407. Imperatores ideò Romdictos propter exosum regis nomen, inquit Appianus. Imperiũ translatũ Roma Constantinopolim à Cõstantino imperatore: atq; deinceps imperante imperatrice Hyrene, diuisum cum Carolo Francorum rege. Sed & Constantinopoli, desiit in Roberto, imperãte in occidente Othone 3. Illud etiam notandum, Ioannem Hierosolymæ regem Federico imperatori filiã matrimonio collocasse, in dotem dato Hierosolymæ regno. Hinc ortum est, vt reges Neapolitani, qui regnum id rite habuerint per Federici succesionẽ, reges Hierusalem dicerentur.

Regum Rom. statuas in Capitolio ait Plin. fuisse. imperatoris insigne erat chlamys purpurea, reliqua communia.

Principis genium siquis peierasset, pœna mulctabatur, ait Iurecons. Principes senatum ingressuri statim sacrificabant. vnde Cæsari in curiam ituro sacrificanti, cor in extis defuit.

Reges in fœderibus percutiendis, amicitia societatéq; firmãda, consueuerãt dextras implicare, pollicésq; inter se vincire, nodóq; perstringere. mox vbi sanguis in artus extremos se suffuderit, leui ictu cruoré eliciebant, inuicémque lambebant: id fœdus arcanum dicebatur. ait Tacitus lib. 12. Catilinam cum coniuratis sanguinem humanum bibisse, memoriæ proditum est. Lege in capite de Iudiciis.

Priscorum hominũ tyrannides, inquit Herodotus, erant in re nummaria exiguæ, ita vtipsi regi sua vxor cibaria coqueret.

Imperatores extra vrbem consueuisse sepeliri, historiæ habent: & propterea solum imperatorem ex omnibus Traianum in vrbe sepultum asserunt. Petituri prouincias imperatores, ab æde Martis deducebantur, ex Augusti sanctione.

Alexander Macedo quum leuitate & cursu plurimùm præstaret, hortatus à patre Philippo in Olympiis vt curreret, abnegauit, dicens: Facerem equidẽ mi pater perlibenter, si cum regibus currendum foret.

Regum eam esse consuetudinem ait Probus in Datame, vt casus aduersos hominibus tribuant, secundos fortunæ suæ.

Cõstãtinus imperator taxatur, quòd delatores omni tempore, vt ait Ammianus, admittebat. De eodem accusatur Domitianus à Trãquil.

Imperator, inquit Dion, ab improbis nunquàm dona accipiet, quum sciat nec diis iniustorum hominum vota & sacrificia placere. Apud Carthaginem duo reges quotannis creabantur, ait Pro.

Aspidis dentes alligatos pellibus caprearum ceruinis neruis, mites præstare dominos, potestatésque exorabiles: ait Plin. libro 29.

Regna esse primum apud mortales Phoroneum, scribit Lactantius.

Pyrrhus Epyri rex rogatus, num Python an Caphisias melior sibi musicus videretur? respondisse dicitur, Poliperconta ducem meliorẽ sibi videri. quasi diceret, quòd ea duntaxat regem quærere & intelligere deceret.

Apud

Apud Syracusas principes secundum literarum ordinem eligebantur: Dionysius senior M. literam sortitus est: dicente verò quodam, morio es Dionysi. monarchæ, inquit, erimus. ex Plutar. Apoph. Apud alios legi concionaturos literarum characteribus solitos designari.

Athenienses hospes apud Plat. de Legibus 7. ponit dignitates imperandi. primam, quum parentes natis imperant: secundam, quum generosi ignobilib. tertiam, quum senes iunioribus: quartam, domini seruis: quintam, potentes imbecilliorib. sextam, prudentes ignorantib. septimam, electi sorte ab ea repulsis.

DE INIVRIIS ET CONTVMELIA. XIIII.

Niuriarum duo genera ponit Cic. in Officiis: alterum eorum qui inferunt, alterum qui non propulsant si possunt. Item quæ extra, & quæ consulto. Apud Aegyptios siquis iniuriæ quæ à latronib. iter facientibus fieret, non subueniret, si posset, reus erat mortis: si auxilium ferre non posset, accusare latrones tenebatur, iniuriámque accusatione prosequi: qui ea neglexerit, & plagis ad certum numerum plectébatur, triduóque carere cibo cogebatur. Sed quia alij vlciscendas, alij ferendas iniurias putant: exempla addam in vtrámque partem: sed omnino præstabit non inferre.

M. Cato, quum à quodam in balneo per imprudentiam percussus esset, eidẽ satis facienti dixisse, non memini me percussum, dicitur. Laudat & Tranquillus Vespasianum, offensarum minimè memorem.

Socrates dicebat, peius esse iniuriam facere quàm accipere. apud Plat. in Gorgia: vbi inferre iniuriam maximũ esse malorũ etiam ait.

Archelaus quum ad vltionẽ ab amicis incitaretur, contra eum qui respersérat illum aqua: Atqui, ait, non me respersit, sed quem esse putauit:

Epaminundas ferebat patientissimè iniurias.

Menedemus ad Alexino conuiciis lacessitus, beneficiis illum fouit. Dictum est de C. Iulij humanitate in capite superiori.

Publius Pulcher incesti crimine à Tribus Lentulis accusatus, vnum ex iis ambitus postulatum, reum patrocinio protexit.

Murena quamuis à Catone fuisset accusatus, tamen à percussoribus in foro toga protexit: vt in capite de Constantia est.

Telecrus ad fratrem ciues criminãtem, quòd asperiùs secum quàm cum illo se gereret: Tu namque, ait, iniurias pati nescis. Demosthenes in eum qui conuiciis lacessebat: Non descendam, inquit, ad id certamen, in quo victus victorem præstat.

Phocioni quum paratum esset venenum, rogaretúrque à quopiam, num quid filio dici vellet suo: Volo equidem, inquit, ne illatæ mihi ab Athenienſibus iniuriæ reminiscatur: Seneca Iniuriarum, ait, remedium est obli

est oblitio. Dixi de Phocione in capite de Humanitate.

Thrasibulus quum populum Athenienſem à triginta tyrannis pulſum reſtituiſſet plebiſcitum tulit, ne præteritarum rerum fieret mentio, legémque ἀμνηστίας, id est, obliuionis tulit.

Anacharſis philoſophus admirabatur, qui leſſet, quamobrem Græci aduerſus eos qui iniuriis laceſſant, legem ferentes vindicent: athletas qui ſe inuicem feriant, honorent.

Ariſtippus à Dionyſio conſputus, patienter tulit. Eam iniuriã quum quidam ægrè ferret: Piſcatores, inquit, vt gobium capiant, mari patiuntur aſpergi. Et ego vt cetum accipiam, non patiar excreationem? Seneca ait, magnarum virium eſt negligere lædentem.

Iuba, querente quodam, quòd ab illius equo eſſet aſperſus, feſtiuè, Quid tu, ait, me hippocentaurum putas? quoniam non ab illo, ſed ab equo eſſet conſperſus.

Marcellus accuſatus à Siculis, quum abſolutus eſt, rogatus ab illis vt in clientulam eos admitteret, clementer excepit.

Piſiſtrati tyranni filium quũ quiſpiam adoleſcens amore accenſus oſculatus eſſet, hortante vxore vt de eo ſuppliciũ ſumeret, reſpondit: ſi eos qui nos amãt interficiemus, quid faciemus iis quibus odio ſumus?

Caſsius Seuerus quum à prętore obiurgaretur, quod aduocatus eius L. Varro Epicureo Cæſaris amico conuicium feciſſet: ad nomen Epicuri feſtiuè alludens, Neſcio (inquit) qui cõuiciati ſunt, & puto Stoicos fuiſſe. Quiſquis non tolerat malos, ipſe ſibi per impatientiã teſtis eſt, quia bonus non eſt: ait diuus Gregorius.

Diogenes Cynicus, ei à quo trabe fuerat percuſſus, dicenti Caue: Num, inquit, iterum me ferire vis?

Quũ Marcianus dixiſſet Marco: Cæſar vim nullã feci. reſpõdit: Tu vim putas eſſe ſolum, ſi homines vulnerent? Calliſtratus lib. 4. Digeſt.

Iniurias à Lacedæmoniis acceptas, Athenienſes Periclis conſilio ad tempus dilatas, nihil tale opinantibus Lacedæmoniis vlti ſunt, agróſque illorum populati.

Dionyſius Syracuſis potitus, Locrorum ornatis ſponſalibus, puellas cubicula thalamóſq; irrumpens vitiabat: formoſas maturáſque viro virgines in vnum congregabat: atq; demiſſas columbas illas nudas in circuitu quæritare & captare ſe ſpectante iubebat. Sed ejecto poſtea Dionyſio, Locri duas illius filias paſsim conſtruparunt.

Appulus quidam paſtor, quum non modò Nymphas fugaſſet, ſed etiam choreas ducentes contemneret, irriderétq;, ab illis in oleaſtrum conuerſus eſt.

M. Decimúſque Bruti patrueles, & Caſsius, in Cæſarem dictatorem conſpirarunt, confoderúntque, quòd is Seruilia Catonis ſorore, Marcíque Bruti matre, & Seruiliæ filia Iunia Tertia Caſsij vxore potiretur. confoſſus autem eſt Cæſar in curia, acceptis 23. vulneribus.

Pæonius Chius Hermotimum Pedaſenſem puerum caſtrauerat. ſed Xerxi

Xerxi is tandem adductus à Sardibus cum cæteris muneribus eſt, factúſque ſuper omneis eunuchos regi charus. Sed quum aliquando ad agrum Myſium negociorum gratia veniſſet, inuentum Pæonium comiter alloquutus eſt, deinde ſuadet vt ad ſe cum omni domo domeſticíſque veniat, reportaturus munera, meritíq; gratiam. Id quum Pæonius feciſſet, adductis in conſpectum filiis, Hermotimus coegit Pæonium genitalia recidere: quod quum coactus feciſſet, filij rurſus adacti ſunt patri virilia abſcindere: atque ita de Pæonio vindicatum eſt.

In Scyllæ ſepulchro, qui innumerabiles ſuſtulit Romanos, ita ſcriptum legebatur: Nemo me amicus beneficentia, nemo inimicus in inferenda iniuria ſuperauit.

Adamas, quia in pueritia à Coro exectus fuerat, in eum rebellauit. Megades apud Mitylenem clauis pulſantẽ aggreſſus, confecit. Smerdes verberibus cæſus, Pentilon interemit. Ex Ariſtot. 7. Polit.

Scirapidam Ephori condemnarunt, quòd à multis iniuria foret affectus. Vt ſit verè dictum à P. Nigidio, veterem ferendo iniuriam inuitas nouam.

L. Philippus conſul, quum ignauiam exprobrans, alio ſenatu opus eſſe dixiſſet, lictorem immiſit in Craſſum virum eloquẽtiſ. ſummæq; dignitatis ſenatorem, ſed Craſſus reiecto lictore: Non es, inquit, mihi Philippe Conſul, quia nec ego tibi ſenator ſum. Ariſtot. lib. 4. Ethico. perferre contumelias ſeruile eſſe ait.

Antonium fugientem in bello Actiaco, quum præter cæteros Euricles Lacedæmonius inſectaretur, vehementérq; infeſtaret, rogatus ab Antonio, quis is eſſet, qui fortunas ſuas tam cupidè inſectaretur? Ego ſum, inquit Euricles, Lacharis filius, qui Cæſaris fortuna paternas iniurias vlciſcor. (Lacharis enim ab Antonio latrocinij dãnatus, percuſſus fuerat.)

Orta apud Locros cõtentione inter Plemminij milites ac militum tribunos, quum ad arma eſſet concurſum: expediſsétq; deinde virgas Plemminius in tribunos indignati in Plemminium impetũ faciunt. ac lictoribus primùm indignum in modũ mulctatis, ipſum à ſuis ſecluſum deprænſum hoſtiliter lacerãt, & prope exanguem naſo auribúſq; mutilatis relinquunt. Re intellecta Scipio è Meſſana Locros venit, atq; audita cauſa, tribunos in vincula cõiectos, vt Romam ad ſenatum mitterentur reliquit, ipſe Meſſanam rediit. Cæterum Plemminius neglectam à Scipione ſuã iniuriã ratus, tribunos attrahi ad ſe iuſsit, laceratóſq; omnibus quæ pati corpus vllum poteſt ſuppliciis conficit.

Demiphon rex, quum ex oraculo quotãnis virginem nobilẽ Cherſonenſem Diis penatibus ſacrificaret. Matuſius quidam negauit filiam immolatum iri, niſi regis filiæ in ſortem coniicerentur. Indignatus Rex, Matuſij filiam extra ſortem iugulauit, ſed longo tẽpore pòſt, tanquam iniuriarũ oblitus Matuſius, Regi ſe beneuolum oſtendebat, rogauítq; vt ad ſolenne ſacrum vnà cum filiabus veniret. Tum Rex nihil

mali suspicatus,filias præmisit,quod quũ exoptãte Matusio accidisset, filiam regis occidit,sanguinémq; vino mixtum veniẽti patri propinat.

Aelius Mantia Formianus libertini filius vltimæ senectutis,L.Libonem apud censores accusabat,in eo certamine quum Pompeius humilitatem ætatémq; ludẽs,ab inferis illum ad accusandum remissum dixisset:Non mentiris,inquit,Pompei:venio enim ab inferis,sed quum illic essem,vidi cruentum Cn.Domitium Aenobarbum deflentẽ,quòd summo genere natus,integerrimæ vitæ,amantissimus patriæ,in ipso iuuentutis flore tuo iussu esset occisus,vidi pari claritate conspicuum Brutum ferro laceratum,querentem id sibi prius perfidia,deinde etiã crudelitate tua accidisse. Vidi Cn. Carbonem, acerrimum pueritiæ tuæ,patrísque tui defensorem in 3.Consulatu,cathenis quas tu iniici iusseras vinctum.Vidi eodem habitu & quiritatu tuo prætoriũ virum Perpennam,sæuitiam tuam execrantem,omnésque eos vna voce indignantes,quòd indemnati sub te carnifice adolescentulo occidissent.

Solon rogatus, quæ optimè ciuitas habitaretur : illa, inquit,in qua nulla affecti iniuria,non minus quàm iniuria prouocati,præsefecerunt iniuriam:& eorum qui intulerunt,vlciscuntur.

Archidamas,quum quispiam Perillum laudaret,quod in omnes pariter mitis esset:Ecquo.inquit,modo iustus quis habetur,si in improbos quoque sit mitis?

Pollux quendam Castorem fratrem irridentem pugno occidit:passúsque etiam est,alterna morte fratrem redimere,res est notissima.

Diocles Pisistrati regis Megarensium filius,stuprata per vim virgine,à fratre puellæ occiditur.

Iustinianus Constantini filius,pulsus imperio à Leone,naribúsque etiam detruncatus est,sed is recuperato imperio,quoties defluentem rheumatis guttã naribus detergebat,toties penè ex iis qui contra eum fuerant,aliquem iugulari præcipiebat.

Quum Lucumo Aruntis sui tutoris vxorem vitiasset,factóq; impetu,adiutrice adultera,Aruntem domo expulisset,ille in Galliam fruges vinúmq; optimum aduexit,alliciendæ in Italiam barbaræ gentis gratia,quod opinionem non fefellit,nam dulcedine potissimum vini Galli capti,alpeis transiere,Italiámq; inuasere.Ex Liuio.lib.5.d.p.Pli. verò lib.12.quum Eliquo quidam ex Heluetiis fabrilẽ ob artẽ Romæ commoratus,ficum siccam,& vuam,olei ac vini præmissa remeans secum tulisset Gallias,habuisse causam superfundendi sese Italiæ inquit.

Alexander Seuerus,quum aliquem emendaret,dici iubebat : Quod tibi fieri non vis,alteri nefeceris.Idem quum aniculam quandã à milite iniuria affectam comperisset,exauctoratum eum militia,seruum aniculæ dedit,qui quum faber carpentarius esset,eam pasceret.

Brasidas quum aliquando manum in caricas immisisset,atq; à mure morsus esset:Pape,inquit,vt nullum est animal tam pusillum,neque tam inualidum,quod lacessitum non cupiat se vlcisci,

Agesilaus

Agesilaus quum murem qui à puero vinctus trahebatur,cõuersum momordisse eum,atq; aufugisse vidisset,astantibus inquit:quum minimum animal iniuria affectum afficientes vlciscatur,quid viris faciendum sit considerate.

Antigono extincto,quum occisores eius omni iniuriarũ genere in subditos vterẽtur:agricola quidam agrum fodiens,rogatus quídnam faceret?Ego,inquit,suspirans Antigonum quærito.

Egles Samius athleta mutus,quum ei victoriæ quam adeptus,fuerat titulus & præmiũ eriperetur:indignatione accensus,vocalis euasit.

Gelon tyrannus Syracusanus Syagro legato ait:Hospes Spartiata, contumeliæ homini factæ solent irritare indignationem.

Actius interrogatus,cur causas non ageret,quum in tragœdiis eius tanta vis esset:vrbanè ait,Quòd illic ea dicerentur,quæ ipse vellet : in foro essent dicturi aduersarij,quæ minimè vellet.

Achilles apud Homerum ita ait Patroclo: Etenim ita natura comparatum est,vt prorsus indignè feramus,ac vehementissimè conturbemur,quoties quis hoc ipso quod antecellit potestate,alium præmio fraudare velit:præsertim parem genere,conditione,fama,virtute.

DE INIMICITIIS. XV.

Asella ex Liuio & aliis legẽdum.

SYlla interempto Lucretio † Ofella inimico , accitis in concionem ciuibus,hac vsus est fabella. Pediculi rustico arantem momorderant,ille bis aratrum deponens, vestem perpurgauit,iterum verò morsus, ne sæpius ab opere cessaret,vestem igni imposuit,sic ergo vti iis persuadeo,ne tertio ignem experiamur.

Cicero vrbanè Cæsaris parti Pompeij partem imparem esse indicauit tum alibi,tum dicente Nonio(quum Pompeius fugisset)adhuc aquilas septem apud se esse,ac idcirco bono esse animo hortante:Bene,inquit,moneres,si cum graculis nobis bellum foret.

Catone ostendente ficum prægrandem atque recentem in Senatu, dicentéque,tam propè nobis hostes sunt(venerat enim ficus illa Carthagine)monentéque delendam esse propterea Carthaginem, Scipio Nasica interfecerit:nec videri sibi ait delendam Carthaginem.Romani enim ob fœlicitatem elati,quum hostis deesset,futurum vt ad delicias sese applicarent,quod omen verum fuisse,scripta indicant.

Metellus Macedonicus audita Scipionis Africani morte(licet essent inter illos testatæ inimicitiæ)Concurrite,inquit,ciues,mœnia vrbis nostræ euersa sunt.

Scipio Aemilianus Metello mortuo,quem hostili animo insequebatur,liberis dixit:Ite filij,celebrate exequias, nunquam enim ciuis maioris funus videbitis.

Cicero nunciata Vatinij morte,cuius author parum certus dicebatur:Interim,inquit,vsura fruamur.

Laconum rex quum Laconibus polliceretur vrbem se esse euersurum, quæ Lacedæmonios sæpe molestia infestasset: non permiserunt Ephori, dicentes, Ne destruas tollásve iuuenum cotem.

Cicero audita subobscurè Vatinij morte, quum Ouinium illius libertum interrogasset, recténe omnia? dicente illo, rectè: vrbanè Cicero, mortuus est, ait.

Saul Iudæis omnibus quos cepisset, aut qui fide data ad illum confugissent, dextros oculos eruebat: quod ideo faciebat, vt sinistram partem vultus scutis cælantes, ad bellandum forent inutiles.

Antisthenes dicebat, sollicitè obseruãdos inimicos: primi enim peccata nostra sentiunt. Seneca in Prouer. Grauior est inimicus qui latet in pectore, ait.

Diogenes dicebat qui ad bonam frugem studet peruenire, aut beneuolentissimos amicos, aut odio flagrantissimos inimicos habere debet.

Annibal, dum venenum ad vsum, si necessitas ingrueret, præparatum ad mortem sibi inferendam adhibuisset, dixit: Soluamus ingenti cura populum Romanum.

Scipio Africanus dicere solebat, hosti non solum dandam esse viam fugiendi, sed etiam muniendam: quod etiã Pyrrhum dixisse legimus.

Idem, Aristidem dixisse Themistocli, non esse soluendum pontem, sed alium potius faciendum, vt abeat Xerxes.

Philippo cum Græcis pugnaturo, Diogenes in eius castra peruenit, perductus ad Philippum ac rogatus, num speculator esset: Stultitiæ, inquit Diogenes, vanitatísque tuæ sum verus speculator, qui cogẽte nullo, de vita & de regno ceu ad casum aleæ periclitaturus venis.

Cum inimicis aperto Marte non esse sæpius dimicandum, edocet Antalcidas; qui Agesilaum reprehendit, quod frequẽtibus in Bœotiam incursibus Thebanos resistere Lacedæmoniis docuisset. Pulchram, ait, tuæ doctrinæ mercedem à Trebanis recipis, qui nolentes ipsos, neque scientes, pugnandi peritiam docuisti.

Aristippus iratus Aeschini, non multò pòst, inquit, in gratiam redibimus, an expectamus, donec quisquam de nobis scurra loquatur ad calicem?

Pittacus Alcæum pœtam sibi infestissimum assequutus, tyrannidem non læsit, sed tantum quid in eo opprimendo posset, edocuit.

Scipio Africanus, inimicitias cum Tyberio Graccho, in Iouis epulo authore senatu depositas, filiámque suam Corneliam protinus illi despondit.

Antisthenes dicebat, omnia optanda dari hostibus à diis bona, præter fortitudinem.

M. Cœlius Q. Pompeium, quẽ publica quæstione prostrauerat, infestatum à Cornelia Gracchorum matre, quæ prædia suæ fidei commissa reddere denegabat, absentem protexit.

Mugiles

Mugiles & lupi mutuo odio flagrant: conger & murena, caudam inter se rodentes. Polypum in tantum locusta pauet, vt si iuxta videt, omnino moriatur: locustam conger, rursus polypi congrum lacerant.

DE IMPVDENTIA. XVI.

CVmanus Romanorum in Iudæa præfectus, quum in Hierosolymis Paschatos esset festũ, timens ne ob immensam multitudinem, quæ solebat Hierosolymas eo die accedere, aliquid tumultus excitaretur, cohortem militum ad sedandos si qui orirentur, destinauit. Sed vnus è militibus insolens, denudans genitalia populo demonstrabat, vnde orta seditione, plurimi è Iudæis occiduntur.

Minutius, quum Fabium tanquam cunctatorem in senatu insimulasset, quòd præ timore pugnam detrectaret, partitúsque esset cũ Fabio copias, eóque inuito prælium cum Annibale iniisset, conturbatáq; esset illius acies: Ita est, inquit Fabius, non celerius quàm timui, deprehendit fortuna temeritatem.

Curius Manius, quum importunè Campatium interrogasset de theatro exeuntem, an spectasset? vrbanè Campatius, ac seuerè, In orchestra, inquit, pila lusi.

Adolescens quidam, quum venisset ad Apollonium in carcerem à Domitiano coniectum, atque sæpe dixisset se dolere comas Apollonio ab imperatore tonsas, atque nihil pluris facere ipsis comis videretur: vrbanè Apollonius, Maximũ donum ô adolescens consecutus es, quòd vnus ex Achiuis non fuisti, qui ad Troiam expugnandam accessere. grauiter enim tulisses, Achillem in rogo Patrocli comas tondentem; nam si meas canas sordidásque misereris, quo pacto illas flauas ornatásque tondi ferre potuisses?

Augustus, quum ei Galli torquem aureum centum pondo dedissent, & Dolabella per iocum (tentans tamẽ ioci euentum) dixisset, Imperator torque me dona: vrbanissimè Augustus, Malo te, inquit, ciuica donare, ad ornamenta militaria alludens, inter quæ erant torques & ciuica.

Herophilus veterinarius ad tantum felicitatis euectus erat, vt non magis in suis hortis Cæsar receptus, quàm ipse salutaretur, is relegatus est extra Italiam decreto. Interfecto verò Cæsare in vrbem rediens, consiliúmque interficiendi senatus animo quum cœpisset, à patribus in carcerem intrusus est, ibíque necatus.

Tyberius imperator venerat aliquando in senatum, vbi vnus ex adulatoribus surgens ait: Oportet, quum liberi simus, etiam liberè loqui, facto itaq; silentio: Audi, inquit, Cæsar, in quo te omnes accusamus, nullus tamen apertè audet profiteri: Curã tui ipsius habes nullã, semper in labore cogitationéq; nostri causa versaris, nulláque ad corporis tui quietẽ tempora adhibes. Tum Cassium Seuerum oratorem dixisse

ferunt, Audacia hæc hominem hunc est perditura.

Demarathus, improbo quodam intempestiuis eum interrogationibus cauillante, ac idem sæpius iam rogante, quis optimus esset Spartiatarum? qui tibi, inquit, dissimillimus est.

Archidamidas cuidam intempestiuè roganti, Quot sunt Spartiatæ? Tot, inquit, ô hospes, qui malos sufficiant arcere.

Nœuius, patrem quendam qui condemnatus fuerat, plorantem inducit, cui quum filius, quid ploras pater? dixisset: importunam filij interrogationem retundens: Mirum, ait, ni cantem.

Cato quum percussus esset ab eo qui arcam ferebat, atque ille dixisset, Caue: festiuè Cato rogauit, nunquid aliud ferret præter arcam.

Zeno adolescentem instantius, quàm per ætatem conueniret, quiddam inquirentem: admoto speculo, iussit inspicere. Rogauit deinde, num sibi videretur ei faciei congruere tales quæstiones?

L. Philippus, quum in Sertorium in Hispaniam Pompeium proconsulem mitti orasset, admiratúsque quispiam è patribus, interrogaret Philippum, an dignum existimaret Pompeium proconsulem in Hispaniam mitti? Non proconsulem, inquit, sed pro consulibus. veluti quòd vterque consul nullus esset.

Campani post acceptam cladem Cannensem, Romam legatos miserunt, postulantes, vt alter consul Campanus fieret, si rem Rom. adiuuari vellent. Indignati Romani, submoueri à curia iusserunt, misérúntque lictorem, qui ex vrbe educeret eos, atque eo die manere extra fines Romanos iuberet.

L. Fuluius argentarius, bello Punico secundo, cum corona rosacea interdiu è pergula sua in forum prospexisse dictus, ex authoritate senatus in carcerem adductus, non ante finem belli emissus est.

Sextus Annalis testis quum reum læsisset, & instaret identidem accusator Ciceroni, Dic M. Tulli, inquit, si quid potes de Sexto Annali? Dissimulauit rem intellexisse: atque vrbanè versus de lib. Ennij Annali Sexto cœpit dicere: Qui potes ingenteis causas euoluere belli.

Hadrianus seruum inter duos senatores ambulantem, cædi colapho iussit, vt dictum est. vnde Publius Syrus, Cui plus licet quàm par est, plus vult quàm licet, ait.

Chij quum in peregrinatione in Ephororum curia euomuissent, inque illorum sellis cacassent, primò cœperunt Ephori rem diligentissimè perscrutari, qui fecissent. sed vt acceperunt Chios fecisse, dixerunt, se Chiis permittere petulantib. esse.

Athenienses quum victori vrbem traderent, petierunt vt Samos illis relinqueretur. responsum est illis à victore, Quum vestri fueritis, tum alios habere postulate.

Charinus apud Terentium, quum Philomenam Pamphilo destinatam vxorem adamaret: decreuerat Pamphilum adire, atque rogare ne duceret. quum super ea re Byrriam seruũ consuluisset, dixissétque, Adeon ad eum

ad eum? sapienter Byrria impudentiam heri subtaxans, Quid ni ait? Si nihil impetres, vt arbitretur paratũ sibi mœchum, si illam duxerit.

Xenophon lib. 1. Ingratitudinem verò, ait, potissimum impudentia sequitur, quæ ad omnem turpitudinem maxima dux est.

Megabizus, quum coram Apelle de lineis vmbrísque cœpisset nugari: Vides, inquit Apelles, pueros hos minium terentes, dum taceres, animum intenderant, purpurámque mirabãtur: nunc autem, quum de his sermonẽ habere rebus incipis, quas nunquã didicisti, obganniunt.

Lysimachus, qui loca ad Thraciam vergentia obtinuerat, eousque insolentiæ euectus est, vt diceret: Nunc Byzantij ad me veniunt, quum lancea cœlum attigi. ibi præsens Pasiades Byzantius: Maturemus, inquit, ne lanceæ iste murcone medium cœlum perforet.

DE IMPROBIS ET SCELESTIS. XVII.

APhricanus censor, quum Asellum damnasset, ærariúmque fecisset, lustrúmque condidisset, eóque anno vrbs pestilentia laborasset, ac Mumius Aphricani collega Asellum ex ærario liberasset, obiicienti Asello, lustrum illud infelix ciuitati: Noli, inquit Aphricanus, mirari: is enim qui te ex æraríis exemit, lustrum condidit.

Miloni quum ab accusatore obiiceretur, in argumentum Clodio factarum insidiarum, quod Bouillas ante horam nonam diuertisset, vt expectaret, dum Clodius à villa sua exiret: identidémque accusator interrogaret, quo tempore Clodius occisus esset. Festiuè Milo ad Clodij scelera alludens: Serò, inquit.

Aristogiton damnatus ab Athenienſibus, in carcerémque coniectus, oratum mittit Phocionem, vt ad se veniat, cum eo collocuturus: quod quum Phocion faceret, multíque ab itinere incœptóque deflectere tentarent, Sinite, inquit: nam vbi iucundius, quàm in carcere Aristogitonem viderim?

Idem Phocion pacem paciscendam inter Athenienses Philippúmq; persuadebat: quum sycophanta quidam, Túne, ait, ô Phocion homoes, qui populum Athenienſem audes consultò iam captis armis, in hostem ruentem retrahere? Audeo, inquit ille, atque id quidem & volens & prudens facio: tametsi planè intelligo, in bello me tibi, in pace te mihi imperatorem.

Commodus profectus cum patre ad Germanicum bellum, adhibitos custodes vitæ suæ, honestiores ferre non potuit: pessimos quosque detinuit, & summotos vsque ad ægritudinem desiderauit.

Bias nauigans cum improbis, quum tempestate nauis quateretur, illíque deos inuocarent, facetè inquit: Silete, ne vos hàc illi nauigare sentiant.

Idem Bias, percunctanti cuidam identidem quid esset pietas: nihil respondit. Silentij causam illo scisciţante, quia, inquit, de rebus nihil ad te pertinentibus quæris.

Nereis sola cum ex Pyrrhi genere supereſſet, atque etiam Laodamia soror eius: Laodamia multitudinem in se ruentem fugiens, in aram Dianæ se recepit. ibi confossa à multitudinis concursu est. sed homicida Milo in furorem versus, nunc ferro, nunc saxo, ad summum dentibus laceratis visceribus duodecimo die interiit.

Improbitate famosus Phrynondas quidam,& Crobylus leno: & Lerij, qui morum adeò fuerunt improborum, vt in prouerbium vitij cesserint.

Philippus Alexandri pater, quum duorum sceleratorum iudex esset, alterum è Macedonia fugere, alterum persequi iussit.

Nero quum omnia cædibus, parricidiis, ignibúsque vastasset, omnésque milites ab illo desciscerent, ab omnibus relictus, nocte media ad domos amicorum accurrens, quum à nemine reciperetur, reuersus in cubiculum reperit neminem. direptis igitur stragulis, acceptáque veneni pixide, quòd à Locusta acceperat, quum percussorem nullum inueniret: Ergo ego, inquit, nec amicum habui, nec inimicum.

Basianus quum fratrem occidisset, Antonino Caracallæ mandauit, vt in senatu per se, apúdq; populum facinus dilueret. Antoninus verò respondisse dicitur: Non tã facilè parricidiũ excusari posse, quàm fieri.

Nero post occisam matrem, ceu Orestes, furiis agitabatur.

Celmus, quum matri vim intulisset, atque ob id Delphos se contulisset, exclusus illinc, in Idam reuertitur, ac præ mœstitia in ferrum mutatur. Menephron etiam cum matre concubuit.

Lemnii, quum Atheniẽsium vxores diem festum Dianę apud Brauronem celebrantes, comparata classe rapuissent, próque concubinis haberent, mulierum filij opem sibi aduersus alios Lemnios pueros ferebant. veriti autem Lemnios, ne adulti quid mali patrarent, filios, post deinde matres occidunt. sed diis vlciscentibus, neq; tellus fructum reddebat, neque pecora mulieréque concipiebant, faméque pariter & filiorum orbitate vexabantur. vnde ex hoc scelere, & ex alio quod Lemniæ mulieres fecerant, necatis viris cum Thoante, omnia teterrima facinora Lemnia dicta sunt.

L. Cornelius Heptacordus à Cornelio Balbo sæpè accusatus, exagitatúsque, illum reliquit heredem, nulla patronorum defensorúmque mentione facta.

Atreus Thyestéque fratres, alternis annis Mycenarum regnũ possidebant. sed quum Thyestes sciret, penes eum fore qui aureum vellus possideret, quod erat apud Atreum, corrumpens Europam fratriam, regnum ad se transferre conatus est. sed regno ab Atreo pulsus est. Per reconciliationem postea reuocato filios edendos apposuit. Thyestes verò ex oraculo cum Pelopea filia concumbens, filium suscepit Aegysthum: qui Atreum patruum, Agamemnonémque patruelem sustulit. Horat. lib. 1. Carminum, sæuam Pelopis domum vocat.

Carinus Imperator omnium fuit contaminatissimus, adulter frequens

quens, corruptor iuuentutis ipse quoque malè vsus genio sexus sui.

Cyriades primus è tyrannis Romanis vnus, patrem Cyriadem occidit: sed ipse per insidias suorum occiditur. vt dictum est in ca. de Filiis.

Quisquis verò malus placere Diis putat, hoc ipso primùm sceleratus est: nam aut stultos, aut iniquos deos existimat. ait Dion de regno.

DE IDOLIS. XVIII.

Dolorum irrisor fuit Agesilaus. nam quum oraculum à Ioue in Olympia accepisset, iubentibus Ephoris, vt Pythium consuleret, Delphos profectus, Apollinem irridens interrogauit: An quæ patri, eadem ipsi quoque viderentur. Cicero ait lib. 1. de nat. Deorum: Quid enim pedibus opus est sine ingressu? quid manibus, si nihil comprehendatur? Dionysius tyrannus, notissimus irrisor in Aesculapij barba aurea, & in pallio Apollini aureo sublato.

Aegytij cœpas inter Deos in iureiurando, ait Plinius, habent. iidem Apim bouem mira cum solertia sollicitudinéque inueniunt, qui toto corpore niger est, in fronte habens candorem figuræ quadratæ, in tergo aquilam, in palato cantarum, duplices in cauda pilos. hunc aliquando quum sacerdotes aduxissent, Cambyses veluti vecordior. educto mucrone quum vellet ferire ventrem, femur percussit, cachinánsque ad sacerdotes inquit: ô capita nequam, huiusmodi dij vestri sunt sanguine carnéque imbuti?

Iidem Aegyptij inuocant ibes suas, contra serpentium aduentum.

Thraces Zamolxim dæmonem colunt, eíque mittunt delectum quendam nuntium. qui ferunt, datur negotium, vt tria iacula teneant, atque ab aliis comprehensus nuncius in suhlime iactetur, qui in iacula decidat. Is si statim extinguitur, propitium sibi deum arbitrantur. sin minus, alium sufficiunt.

Cyrenaici, Achorem muscarum deum inuocant: afferente pestilentiam illarum multitudine. quæ protinus intereunt, quum litatum est illi deo. Ex Plin. sed de iis in cap. de Religione aliquid dicetur.

Inuisibilium potestatum, quæ dæmones appellantur, præstare rationem, maius est opus. quàm ferre valeat hominis ingenium ait Plato in Timæo. Empedocles ait, binos datos vnicuique genios: Menander, vnum.

Græci Romaníque veteres, multos deorum vocabulo nũcuparunt. inter quos Pilumnum Pitumnúmque fratres coluerunt: ille enim pinsendi vsum adinuenit, & ideo à pistoribus colebatur, & ab eo pilum dictum: hic stercorationem inuenit, & sterquilinus dictus est.

Illud non est illepidum atque infacetum: Tarquinius superbus, qui vltimus è Romanorum regibus fuit, quum Ioui ex oraculo templum condere vellet in Tarpeio- cæteris diis abeuntibus, solus Terminus noluit abscedere.

DE IRA ET IRACVNDIA. XIX.

CAto senior irascentem à furioso, tempore solum distare dicebat. quod mutuatur Horat in Epist. Ira furor breuis est. Achilles Homericus lib. 17. Iliad. ait: ira sapientissimorum pectora deturbari. Cicero pro Marcello ait, Iracundiam esse consilio inimicam.

charilaus ex Plut. Laconicis legendū.

Charillus heloto, secum audacius se gerenti: Nisi, inquit, iratus essem, te occidissem. Architas Tarentinus, quum è Metaponto in patriam reuersus, rura comperisset villici negligentia situ obsita: Meritum, inquit sumerem à te supplicium, nisi tibi iratus essem. Id etiam dixisse Socratem ait Seneca.

Plato, seruo qui deliquerat, Age diis gratias, inquit: nã ni tibi iratus essem, te cõcidissem. Cicero 3. Tusc. Nunquã enim sapiens irascitur, ait.

Xenocrates, quum ad Platonem visendi gratia venisset, rogatus ab eo est, vt pœnas de seruo sumat. ait enim: Hunc plagis affligere, id enim ego ne faciam impedimento ira est. Laërt. Seneca lib. 3. de Ira: Speusippo ait dixisse vt cæderet. qui etiam in prouerb. Homo extra corpus suum est, quum irascitur, ait.

L. Gellius, quum de filij stupro cum nouerca commisso, & de parricidio cogitato penè compertum haberet, illum vocauit in iudiciũ, ne ira pœnæ modum excederet. sed iuuenis, tanquam innocens, absolutus est.

Cælium oratorem iracũdissimum fuisse constat. cum quo, vt aiunt, cœnabat in cubiculo lectæ patientiæ cliens. sed difficile erat illi in crapulam coniecto, rixam eius cum quo edebat effugere. optimum igitur iudicauit, quicquid dixisset sequi. Non tulit Cælius assentientem, sed iracundè exclamauit, Dic aliquid contrà, vt duo simus. Heraclitus dicebat, durum esse contra iram pugnare.

Pyrrho adeò iræ obnoxius fuit, vt aliquando instigatus, sumpto ferru cum carnibus coquum in forum vsque insequeretur. Et in Elide discipulorum quæstionibus fatigatum, abiecto pallio Alpheum tranasse fluuium ferunt.

Philagrus Cilix, Lolliani auditor, sophista adeò iracundus fuit, vt dormienti discipulo pugnum in malam impegerit: adeòque intractabilis, vt quum rogaretur, cur filios non placeret suscipere: quoniam, inquit, nec mihi placeo ipsi.

Claudius imperator in ira erat turpissimus spumante rictu. fuit enim famosus & ira & iracundia, atque vtranque excusauit edicto: pollicitus alteram quidem breuem atque innoxiam, alteram non iniustam fore. Ouid. Ora tument ira, nigrescunt sanguine venæ, Lumina Gorgoneo sæuius igne micant. In Socrate signum erat iræ vocem submittere, loqui parcius.

Achilles Agamemnoni vulnerato ait, Hectori & Troianis hæc nostra simultas perutilis esset, sed iam iram in pectoribus recondamus. ego enim eam nunc depono. non enim me decet ira semper implacabili

bili excandescere. Ouid. Candida pax homines, trux decet ira feras, Aristoteles. verò ait: Iram necessariam esse, nec quicquam sine illa expugnari posse, nisi illa animum impleat, & spiritum accendat.

In fermento iacere, prouerbij loco dicitur: pro eo quod est, in ira esse. Plaut. in Mercatore: In fermento, inquit, iacet vxor.

DE INDVCIIS. XX.

CLeomenes Anaxandridæ filius, quum septem dierum inducias cum hoste pactus esset: captata opportunitate, tertia nocte dormientes inuadit, multos interficit, alios in seruitutẽ redegit. Obiurgatus verò quòd fœderis fidem non seruasset, ad iusiurandum ait noctes additas non fuisse. sed is tandem furiosus factus à talis se vsque ad vitalia membra laniauit, ridensque ac lætabundus animam exhalauit.

Thraces, quum inducias cum Bœotiis pepigissent, noctu illorum agros populati sunt. quærentibus Bœotiis, quòd inducias violassent. Thraces non violasse dixerunt, quoniam dierum, non noctium pactę essent inducię. vnde natum prouerbium, Thracium commentum.

Barcæi cum Persis fœdus ferierunt super occultam fossam, vt quo ad humus ea ita haberetur. tamdiu fœdus ea in regione ratum foret: Barceis quod æquum foret se pensuros Regi promittentibus, & Persis nihil noui aduersus Barceos esse molituros. Facta igitur copia est Persis Barcam introeundi. sed Persæ rescisso ponte occulto qui supra fossam erat, in vrbem clam prorumpunt, ac populantur: resciderunt autem pontem, vt fœdus iuxta formulam solueretur.

In fœderibus paciscundis, porcus saxo Apud Romanos feriebatur, vnde ferire fœdus dicitur. Vergil. Et cæsa iungebant fœdera porca: apud Homerum libro 3 Iliad. agnum agnamque, illum album, hanc atram adhibebãt: è quibus mas Marti, fœmina verò Telluri immolabatur. Suspicor Vergilium sequutum Homerum in sexu, & porcam, vt ille agnam statuisse, quum porcus de more cæderetur. Notandum obiter apud Homerum, vanum fuisse, si inscio patre Paris pactus esset. Ordo verò fœderis inter Priamum Agamemnonémque fuit in hanc formam. aquæ primùm regum manibus infusæ: deinde vinum pareræ. Agamemnon correpto cultello qui erat in ensis vagina, è vertice vtriusque agni pilos dissecuit: quibus inter maximos quosque Grecorum Troianorumque distributis, tollens ad cœlum manus, ita orsus est: Iupiter patet, qui huic loco ob montem Idæum præsides, cuius principatus præ cæteris plus dignationis ac iuris habet: & tu Sol, qui vniuersa & vides & audis: vósque flumina, & te terra: ac vos inferi, qui post mortem fœdifragos homines supplicio afficitis: testes inuoco horum fœderum, oróque vt ipsa velitis esse sancta. Si alexander Menelaum in hodierno certamine vita priuauerit, ipsius sit cũcta gaza, Helena vxor, nós que ad penates

nostros

nostros cum classe redeamus. Sin Menelaus Alexandrum, reddát Troiani Helenam cum ipsa gaza: simúlque honorifico præmio Græci remunerentur, quale congruens esse iudicetur, quod in posteros etiá nostros transferatur. quod præmium si donare nobis occiso Alexandro, Priamus eiúsque filij noluerint, iterum eosdem deos testor, in vltione rupti fœderis perstiturum, nec antè finem belli facturum, quàm aut à nobis aut ab illis fuerit debellatum. His dictis, agnum agnámq; iugulauit. Haud dissimilis fœderũ ratio apud Romanos fuit. Nã quum inter Albanos Romanósque pactũ esset, vt Horatij Curiatiique belli euentum experirentur, atque vt cuius populi ciues eo certamine vicissent, is alteri populo cum bona pace imperitaret: M. Valerius fœcialis Romanus regem Tullum ita rogauit: Iubésne me rex cum patre patrato populi Albani fœdus ferire? Iubente rege: Sagmina, inquit, te rex posco. rex ait, puram tollito: Fœcialis ex arce graminis herbam puram attulit, postea regem interrogauit: Rex facísne me tu regium nunciũ, populiq; Romani Quiritũ, vasa comitésq; meos? Rex respõdit, Quod sine fraude mea populíque Romani Quiritum fiat, facio. Recitatis deinde legibus: Audi, inquit, Iupiter, audi pater patrate populi Albani, audi tu populus Albanus, vt illa palàm prima postremáve ex illis tabulis cæráve recitata sunt, sine dolo malo, vtíque ea hîc hodie rectissimè intellecta sunt: illis legibus pop. Rom. prior non deficiet. si prior defecerit, publico consilio, dolo malo: tu illo die Iupiter populũ Romsic ferito, vt ego hunc porcum hodie feriam: tantóq; magis ferito, quanto magis potes pollésque. vbi id dixit, porcum saxo silice percussit. Arabum sacerdos in fœdere ineundo medius stans inter vtrunq;, acuto lapide ferit volam amborum iuxta maiores digitos: deinde floccum sumit ex vtróque vestimento, inungit eo sanguine septem lapides in medio positos: inter vngendum inuocans Dionysium & Vraniam. Scythæ infuso in grandem calicem fictilem vino, commiscent qui feriunt fœdus eorum sanguinem cultello vel gladio è corpore expressum. Deinde in calce tingunt acinacem, sagittas, securim, iaculum. Postea multis verbis se deuouent, pòst vinum epotant & qui fœdus percutiunt. & comites digniss. In Catilinæ coniuratione sanguis humanus circumlatus pateris, qui ab vnoquoque potus est, fœdus firmauit. Scythæ quidam, inquit Solinus, haustu mutui sanguinis fœdus percutiunt, non suo tantum more, sed Medorum quoque vsurpata disciplina. Addendum illud, in omnibus fœderibus aquam & ignem adhiberi solitum: quemadmodum quos à nostro congressu volumus arcere, aqua & igni interdicimus. Patres præterea patratos & fœciales, per quos bella aut fœdera confirmabantur, non solere vti lineis vestibus. Adhibebant præterea Iouis simulachrum: sed si absentiæ ratio non pateretur, sceptrum adhibebant.

DE

DE IACTANTIA ET OSTENTATIONE. XXI.

PHilippo minitante per literas Lacedæmonijs, dicentéque, se omnia quæ conarentur prohibiturum: quæsierunt illi, Num mori etiam eos esset prohibiturus?

Sylla factus prætor, quum indignabundus Cæsari, sua se in illum potestate vsurum esse dictitaret: ridens Cæsar, Recte, inquit, tuum putas esse magistratum, quem tuis habes pecuniis comparatum

Leosthenes quum Athenienses ad inferendum reliquæ Græciæ bellum assiduis stimulis concitaret, de seque multa variáq; iactaret: Phocion ait, Cupressis sunt planè similes sermones tui: illi enim magni sunt, nec vllos fructus ferunt.

Peregrinus quidam Spartæ crepidatus in altero pede, stans rectus, ad Laconem dixit: Nequaquam puto te ô Lacon, tantum temporis, quantum ego, in pede perstare posse. Vrbanè excipiens Lacon: Minimè, inquit: sed ex anseribus nullus est qui non.

Val. Martialis in Fabullam iactuosam:

Bella es, nouimus: & puella, verum est:
Et diues, quis enim potest negare?
Sed dum te nimium Fabulla laudas,
Nec diues, neque bella, nec puella es.

Cynaræ, regis Assyriorum filiæ, quum se iactassent esse Iunone venustiores, in gradus sunt conuersæ. Antigone, Laomedontis regis filia, ob eandem iactantiam in ciconiam ab illa fuit commutata.

Marsias tibias inflandi peritus, quum ad certamẽ Apollinem prouocasset, victus, pelle nudatus est: sed tantus sanguis è corpore eius manauit, vt in fluuium sit conuersus.

Arachne puella Lydia lanificij peritissima, Palladem ad certamen lanificij prouocauit: ab eáque victa, in araneam conuersa est. Pieri filiæ quum victæ à Calliope, Musis iudicibus, cœpissent in illas conuicia iniicere, in picas conuersæ sunt.

Martialis in Zoilũ, qui ægritudinẽ simulabat vt stragula ostẽtaret,

Zoilus ægrotat, faciunt hæc stragula febrem:
Si fuerit sanus, coccina quid facient?
Quid torus à Nilo? quid sidone tinctus olenti?
Ostendit stultas quid nisi morbus opes?
Quid tibi cum medicis? dimitte Machaonas omnes:
Vis fieri sanus? stragula sume mea.

Aristoteles admonebat de seipsis loqui homines in vtranque partem: quoniam laudare se vani, vituperare stulti est.

Laudabatur puer apud Diogenem Cynicum, quòd ingenio excelleret, optimísque esset moribus: Quid ergo, inquit, me indiget?

Martialis in Gelliam, iactantem nobilitatem:

Dum

Dum proauos,atauosque refers,& nomina magna:
Dum tibi noster eques sordida conditio est:
Dum te posse negas nisi lato Gellia,clauo
Nubere,nupsisti Cellia cistiphoro.

Augustus quum per Drusum contra Cheruscos, Sueuósque ac Sicambros bellum gereret,atq; illi fidenter Cheruſci equos, Sueui aurum & argentum,Sicambri Romanos captiuos eligerent: in congressu à Druso victi sunt,quorum pecora torquésque,ipsosque etiam præda diuisit ac vendidit.

Democritus Aetolorum dux,cum aliquando esset comminatus Flaminio,se positurum castra iuxta Tyberim,à Manio, fugato Antiocho sese occultans capitur.

Leotychidas Aristonis filius, quum quispiam Philippus, sacris Orphei initiatus, sed prorsus mendicus, dixisset, omnes apud seipsos initiatos post vitæ finem fœlices fore:Cur igitur,inquit,ò stolide, quam primū non moreris,vt & infelicitatem & inopiam flere desinas?

Augustus quempiā saxo in expeditione percussum, ac notabili cicatrice in frōte deformē,nimiū tamē sua opera iactantē,sic leniter vrbanéq; castigauit:At quum fugies,inquit,nunquā post te respexeris.

Tigranes audito Luculli aduentu, Mitrobarzani dici iubet, vt Lucullum solum viuum ad se deducat:sed ipse à Lucullo occiditur.vt dixi in cap.de Fiducia.

M.Antonius in Cretico bello naueis cathenis plenas,quibus hosteis vinciret,duxit:sed temeritatis pœnas luit.nam pleraſque naues hostes intercepere, captiuáque corpora religata velis fundisque pepēderunt. Galatæ famosi iactantia.

Q.Rhemius Palæmon Vicentinus tanta fuit arrogantia, vt secum natas & perituras literas diceret.

Ciceroni iactanti apud Vatinium,quòd humeris Reip. de exilio aduectus sit:vrbanè ait ille,Vnde tibi varices?

Ex musca elephantem facere,prouerbialiter dictum est in eos, qui ex re parua magna conantur efficere.

DE INFORTVNIO ET INFOElicitate. XXII.

CAsius quum apud Megarenses multos leones, quos ob ædilitia munera comparauerat,reliquisset, Megaráque ab hoste expugnaretur,carceres ferarum effregére, vt in hosteis leones irruerent. At illi in ciues conuersi, tot ex illis laniarunt, vt hostibus ipsis spectaculum miserabile fuerit.

C. Helius Cinna ex funere C. Cæsaris decorando domum rediens, populi manibus discerptus est pro Cornelio Cinna, in quē sæuire existima

stimabat.Cæterum hic somniauerat,à Cæsare se in conuiuium vocari.

Agesilaus,dicente quodam,Persarum regem beatum esse,quia perquam iuuenis esset:Atqui Priamus, inquit, ne id quidem ætatis agens, infortunium passus est.

Lartes Tolumnius Veientum rex,quum in tesserarum prospero iactu per iocū collusori dixisset,occide: & fortè legati Romanorū interuenissent,satellites eius errore impulsi, interficere legatos cœperunt.

Alexander Macedo ad Antipatrum literas Athenas deferendas Athliæ cuidam tabellario dederat.aderat Diogenes Cynicus, atque ad vocabulum alludens (athlios enim infelix dicitur) Athlius, inquit, ad Athlium,per Athlium.

Demetrius victus ab Alexandro,quum vndique circūstantibus malis premeretur,ad postremùm ab vxore etiam filiisque deseritur.Relictus igitur cum paucis seruulis,in Tyrum religione templi se defensurus accedens,naui egrediens,præfecti iussu interficitur.

Iulius Mansuetus in bello quod inter Galbam Vitelliūque gestum est, filium impuberem domi reliquerat, ex Hispania rapaci legioni additus, ex adulto filio à Galba inter septimanos conscripto vulneratur.quem dum filius semianimem repetit,agnitus, agnoscensq; exanguem amplexus,voce flebili precabatur placatos patris manes,néve se vt patricidam auersarentur.

Aeschylus poēta in loco aprico sedebat aperto capite. cuius elusa aquila caluitio,saxúmq; reputās testudinē demisit,eóq; ictu occubuit.

Ictu quidam lapide,oblitus est literas tantum. Ex prælto tecto lapsum,matris,affiniū & propinquorū cœpit obliuio.ægrotus etiam seruorum:Messala Coruinus orator etiam sui nominis oblitus est.

Oppidum in Hispania à cuniculis deletum,Thessalia à talpis,& ciuitatem aliam à ranis,in Africa ab locustis,in Gyaro à muribus, Amiclas à serpentibus, regionem Aethiopiæ à scorpionibus & solpugis, Otroricres à scolopēdris abactos:Aderitæ à ranis muribúsque pulsi, in Macedonia recepti sunt.vt est in capite de Miraculis.

Lartio Licinio prætorio viro iura reddente in Hispania,Carthagine mordenti,tuber deprænsus in eo denarius primos denteis inflexit.

Iepte contra Ammonitas bellū gerens, vouit pro victoria sacrificaturū quicquid domi prius occurrisset.victori itaq; à bello redeūti,filia vnigenita prius occurrit, quā immolauit.Vide in capite de Religione.

Antiochus victus à fratre Seleuco, ad Artamenem Cappadociæ regem, socerúmque suum confugit:à quo quum interiectis diebus insidias sibi apparari animaduertisset,fugiens,ad Ptolemæum hostem venit,cuius fidē tutiorē quàm fratris existimabat. sed Ptolemæus eum arctissima custodia asseruari iussit.Is tamē adiutus cuiusdā meretricis ope,deceptis custodibus labitur:sed fugiens,à latronibus occiditur.

Psammenitus rex Aegyptiorum à Cambyse apud Memphim captus,visa filia captiua cum seruili cultu ad aquam excipiendam missa, humi

humi vultum demisit.visoque etiam filio ad mortem destinato, atque ad supplicium eunte,idem fecit.viso autem amico natu grādiore, spoliato bonis mendicare, in ingentem fletum effusus, amicum compellans caput cædebat. Ea res Cambysi delata est. misit ergo qui rogaret quamobrem neq; in filia neque in filio ita affectus,in amico fleuisset? respondit, Domestica mala fuisse maiora quàm vt posset deflere. Eumæus Homericus in Odyss.Dimidium,inquit,ingenij ablatum est illi,qui in miseram nunquam serui fortunam venerit.

Reuocatus Annibal ab Italia,ad opem patriæ ferendam, quum gubernatorem rogitasset, quod esset vicinum promontorium?atque ille Pelorum Siciliæ diceret,ludi se abillo reputans, quòd nimis vicinum videretur,occidit.

Albinus ob falsam suspicionem à militibus lapidibus obrutus est, negata etiam dicendæ causæ potestate.

Polirelus,Callimachus,Cynægirúsque,duces ab Athenienſibus contra Dachum præfectum Persarum constituti,collatis signis, Polirelus quendam humana specie augustiorem conspiciens,cæcus, amisso visu, factus est:Callimachus complurib.trāsfixus hastilibus,quanquam animam efflauit,stetit:Cynęgirus inuectam nauim detinens vtraque manu,obtrūncatur.

Amphiaraus in bello Thebano cū curru absorptus est.Valerius Torquatus in bello cōtra Pyrrhū,Aemilio duce,terra itidē absorptus est.

Cambysis exercitus pars,quæ in Ammonios accedebat,emensa iter medium inter Dasim vrbem & Ammonios, quum eo in loco pranderet,cœpisse aiunt flare vehementem Austrū,& ingestis harenæ cumulis eum obruisse.

Hippias Pisistrati filius tussi sternutamentóque adeò concussus est, vt dentem vnum excreauerit.Quod puto imitatum Martialem fuisse:

Si memini,fuerant tibi quatuor Aelia dentes:
Expuit vna duos tussis,& vna duos.
Iam secura potes totis tussire diebus:
Nil istic quid agat tertia tussis habet.

Anacreon Teius poeta grano vnæ passæ strangulatus est. Lege exempla in cap.de Morte.

Aegeus Thesei pater,eunte Theseo ad Minotaurum, mandauit gubernatori vt si incolumis rediret,velis albis veteretur;oblitus velorum, propter Ariadnes dolorem, raptæ relictæque, est: Aegeus ex arce se præcipitem dedit.

Epictetus Philosophus nō omnino exosos diis esse dicebat,qui in hac vita cum ærumnarum varietate luctantur.Demetrius,nihil mihi (dicebat)videtur infœlicius eo,cui nihil vnquam aliquicquam euenit aduersi.ex Seneca de diuina prouidentia.

Nauiganti Alexandro per Babylonias paludes,fertur vi ventorum impulsum diadema in aquam concidisse,quod vt nauta recepit, ac ne aqua magis perfunderetur,capiti suo imposuit,donatus ab Alexandro talento est,sed Chaldæis monentibus,haud negligendū esse,quòd diadema regium capiti imposuisset:iussus est ab Alexandro necari.

Charinus,quum apud Plautum in mercatore dixisset,Nullus sum: Acanthio patris seruus subdit,Imò es,& quum ille,Scio iam me miserum,dixisset:respondit Acanthio,At tu dixisti,ego taceo.

Alexander Macedo quum Ephestionem amicum inter deos collocasset,atque illi templum extruxisset: Agathocles Samius militū eius præfectus, quod ad sepulchrum Ephestionis illachrymasset,leonibus obiiciēdus erat,nisi Perdiccas opem attulisset,qui iuratus omnes deos, & Ephestionem: & venanti sibi deum aparuisse manifestè,& iussisse vt diceret Alexandro,vt Agathocli ignosceret.

Metellus in bello contra Iugurtham,quum copias in Vacenses adduceret:Vacenses Iugurthæ copias esse putantes,quia agris parceretur:& eos qui primi aderant,Numidas esse viderent:obuiam lætabundi procedunt:sed repentè signo dato,equites peditesque Metelli vulgum cædunt,vrbéque potiuntur.

Bias Prienensis infœlicem dicebat,qui ferre non posset infœlicitatem.Qui aurum haberent Tolosanum,& equum Seianum: item qui minxerit in patris ossa,cinerésve:item qui orti essent quarta luna: & qui mustelam domi alerent,infelices infaustíve prouerbiis nuncupantur:Friderico 2.Romanorū Imp.ecclesiasticam. Remp,vastante apud Hetruriam Guelforum,qui ecclesiæ essent studiosi & Gibellinorū qui imperatoriæ factionis:nomen è barbaris inditum inualuit,quod adeò excreuit,odio etiam excrescente,vt quum apud hospitem Bergomensem Calabri Appulíque viatores allium scidissent gladio,quod hospitis indicio in nucleos natura distinctos scindi oportebat,tanquam diuersarum partium affectatores occisi sint.

DE INTEMPERANTIA. XXIII.

PHryne scortum Venerem aureā Delphis obtulit,eam Diogenes Cynicus ita inscripsit: Ex Græcorum intemperantia.Cymon de intemperantia vinositatéque à Plutarcho taxatur.

Cælius testis in meretricem,quæ filium intemperantē expilauerat,quum dixisset,à me pecunia profecta est: vrbanè Antonius illo abeunte,Terentij versum interposuit:Sentin' senem esse tactum ac minis.

Chrysippi discipulus, medicus non ignobilis, Antigonum regem amicum quendam eius,notæ intemperantiæ mediocriter morbo implicitum negauit posse sanari: quúmque alter medicus Epirotes Philippus,se sanaturum polliceretur,respondit,illum ad morbum ægri respicere,se ad animum.Ex Celso lib.1.

Clisthenes Sicyonius tyrannus,quum nubilem filiam haberet,per

præconem edici iubet in Olympiis,qui se dignum esse Clisthenis genero putasset,ad sexagesimum diem ad Sicyonẽ veniret,quò quum multi proci conuenissent,ex omnibus videbatur magis idoneus Hippoclides Athenien sis,Tisandri filius:sed quum supra mensam Laconicos Atticósque modos ad tibias saltasset,ac mox capite supra mensam constituto,cruribus veluti brachiis modulatus esset,stomachatus Clisthenes:Tisandri inquit,fili,desaltasti matrimonium.

Menedemus Asclepiadis filium intemperatum,nec domum admittebat,nec obuiam factum resalutabat. Vide titulos de Gula & Voluptate.

DE INCONSTANTIA. XXIIII.

Domitianus imperator,equitem Romanum ob reductam in matrimonium vxorem,cui dimissæ adulterij crimen intenderat,erasit iudicum albo. Mecœnas sæpissime fecerat cum vxore diuortium,sæpissime reconciliatus erat. Quare Seneca cauillo in illum vsus inconstantiã taxans in Moralibus:Hunc,ait esse,qui millies vxorem duxit,quum vnam habuerit.Tanto tu noster Mecœnas illo melior,quanto constantior es.

Isauricus inconstantia famosus erat,in eum ita iocatus est Cicero: Miror quid sit,ait,quod pater tuus homo constantissimus,te nobis varium reliquit.

Claudius,quum præter cæteras coniuges quas repudiauerat,Petinam repudiasset:ac pro concione aliquando pronunciasset,quatenus sibi matrimonia male cederent,permansurum se in cœlibatu: ac nisi permansisset,se non recusaturum confodi manibus ipsorum:ne dierare quidem valuit,quin de conditionibus continuò tractaret: etiam de Petina,quam olim exegerat.Aetoli ingenio mobili infidóque sunt,ait Arrian.lib.1.

Inconstantem variúmque non esse altera duntaxat manu apprehendendum,prouerbio iactatum est.Ex Platone.

DE LINGVAE RATIONE. XXV.

Linguam compescendam,tum multa,tum illud Pollionis edocet.Pollio enim,quum in eũ Augustus Fescenninos scripsisset:At ego,inquit,taceo,nõ enim facile est in eum scribere,qui potest proscribere. Ibycus quidã, quum in latrones incidisset,iam occidendus superuolantes forte grues obtestatus est. Deinde sedentes iidem latrones in foro,quum grues superuolantes aspexissent: per iocum in aurem inter se insusurrantes, ἀβίκου φόνοι παρῶσιν, id est,Ibyci vltores adsunt, dixere,hic sermo suspicionem astantibus ingessit,præsertim desiderato iampridem Ibyco,quamobrem capti,torti,& confessi sceleris,pœnas pependere.

M.Cato

M.Cato in oratione quæ incipit,Cælius tribunus: Nunquis,inquit, tacet,quem morbus tenet loquendi: tanquam veternosum bibendi, atque dormiendi?Hesiodus:Optimus est homini linguæ thesaurus,& ingens Gratia,quæ parcis mẽsurat singula verbis. Effrenati oris & immoderatæ dementiæ finis est infelicitas,ait Euripides.In Anacharsis imaginibus solitum est scribi:Lingua,ventre pudendis abstinendum esse.

Solon cuidam dicenti,illum ideo nõ loqui,quia insanus esset:Nullus,inquit,stultus tacere potest.

Xenocrates philosophus,quum maledico sermoni quorundã summo silentio interesset,vno ex iis quærente,cur solus linguam suam cohiberet: quia dixisse me,inquit,aliquando pœnituit,tacuisse nunquam.

Anacharsis rogatus,quid esset hominibus bonũ ac malũ?linguam, inquit.

Zeno loquaciori adolescenti Aures,inquit,tuæ in linguam confluxere.Idem dicebat melius esse pedibus quàm lingua labi.

Idem adolescentulo inepta plurima loquenti:Idcirco,inquit,aures habemus duas,& os vnum,vt plura audiamus,loquamur pauca.

Tyberius imperator scurram,qui prætereunte funere,clarè mortuo mãdarat vt nunciaret Augusto,nondum reddi legata quæ plebeiis reliquisset(Tyberij taxans auaritiam)tractum ad se recipere debitum, ducique ad supplicium imperauit,& patri suo verum referre.

Charillus rex interrogatus,cur tam paucas leges Lycurgus tulisset? respondit: Eos qui paucis verbis vtantur,haudquaquam multis legibus indigere.Plutar.in Apo.In Lycurgo verò Charilaum vocat.Sic puto factum de Perillo & Perilao.

Agis Archidami filius,Abderitanorum legato,qui multa loquutus rogaret,quidnam ciuibus suis renunciaturus esset?Te,inquit,mihi tacenti tantisper auditum fuisse,quantisper dicendo diem consumpsisti.

Aristoteles à loquace verbis penè obtusus quum esset,illéq; dixisset:Num te satis obtudi?Hercule,inquit non tibi animum intendi.

Aristippus conuiciis à quopiam actus,abibat,insectatore,verò insequente,dicentéque,Cur fugis?quoniam,inquit,maledicendi tu potestatem habes,ego verò non audiendi.

Dionysius quum Platoni scripsisset,orans ne in se maledicta intorqueret:respondit,non sibi tantum ocij superesse, vt Dionysij meminisset.

Notandum obiter ex sacris,linguas exactas dari solitas præconibus esse,authore Callistrato,ex interprete Homeri.

Metellum pontificem linguæ adeò inexplanatæ fuisse accepimus,vt multis mensibus tortus credatur, quum meditatur in dedicanda æde, Opiferæ dicere. Vide titulum de Silentio ac taciturnitate.

DE LOQVACITATE. XXVI.

ARchelaus loquaci tonsori dicenti, Quomodo te tondeo rex? vrbanè, Silens, inquit. Aristippus philosophus procaci licentiosóq; homini, Vtinam, inquit, tu tuæ linguæ, sicut ego aurium mearum, dominus sis.

Pacuuius Amphio quum dixisset, quadrupes, tardigrada, agrestis, humilis, aspera, capite breui, ceruice anguina, aspectu truci, cuiscerata, inanima, cum animali solo, tum Attici, Non intelligimus, aiunt, nisi apertè dixeris. At ille vno verbo, testudo, ait.

Epaminundas Thebanus Spartiatis, qui multis magnísque in rebus Thebanos accusauerãt, per iocum: Hi nempe vos, inquit, à breuiloquio desistere coegerunt.

Agesilaus Lacedæmonius, laudante quodam oratorem, quòd parua amplificaret: Ego verò, inquit, ne sutorem quidem puto bonum, qui magnos exiguo pedi calceos inducit.

Anaxandridas dicenti cuidam opportuna Ephoris, sed pluribus quàm par erat: ô hospes, inquit, non opportunè vteris opportuno.

Achilles apud Hom. quum Aeneam post multa verba admonuisset, ne prouocet ad pugnandũ, nisi malo velit afficí: respondit Aeneas, Volubilis est hominum lingua: qualia dixeris, talia audies.

Bizenus Neptuni filius, mira in omnes loquendi licentia fuit: vnde immodesta Bizeni temeritas prouerbio dicitur: item ranæ, turtures, hirundines, lusciniæ, cicadæ, æs Dodoneum, prouerbialiter dicuntur.

Thersites nebulo apud Hom. in Iliad. quum multa in Agamemnonem conuicia intulisset, suaderétque Græcis, vt in Græciam reuerterentur: ab Vlysse illius loquacitas verberibus repressa est.

Ceres Proserpinam raptam quum esse apud inferos accepisset, à Ioue impetrauit, vt filiam abduceret, modo quippiam apud inferos illa ne gustauerit. Sequẽte igitur matrem filia, Ascalaphus lingua procax, ait Proserpinam tria mali punici grana degustasse: retenta igitur Proserpina est. Cæterùm Ascalaphus ob linguæ proteruiam à Cerere in bubonem conuersus est.

Gnatena meretrix Attica amatorem oppidò quàm loquacem, qui ex Hellesponto illius gratia venerat, vrbanissimè taxauit. An non, inquit, ex Hellesponto dicis te profectum? Eo annuente: Et quo, inquit, modo vrbem illic primariam ignorare videris? Dicente autem illo, quam? Sigeum, inquit: σιγὴ enim silentium significat.

Lucianus in Musca ait, Muscam fuisse venustissimam olim mulierem, sed loquacem, quæ Endymionem vt Luna adamauit: quem quum assiduè exagitaret, somnóque excitaret, loquens cantánsq; friuola, & circà illum lasciuiens, à Luna irata in animal conuersa est. Vide titulum de Loquacitate, silentio ac taciturnitate.

De

DE LITIBVS ATQVE CONTENtionibus. XXVII.

LItis dubium esse euentum, ostendit Alcibiades. Is enim, quum è Sicilia citaretur ab Athenienſibus, vt criminibus responderet: sese abdidit, negans litigandum esse, si liceret effugere, subiicientibus aliis, Non igitur confidis patriæ de te iudicaturæ? Imò, inquit, ne matri quidẽ, metuerem enim, ne fortè imprudẽs albi calculi loco nigrum immitteret, vnde natum prouerbium: Quum licet fugere, ne quæras litem.

Caius Caligula certum statutúmq; exigi iussit, pro litibus atq; iudiciis vbicunq; conceptis, quadrageſimam summæ de qua litigaretur.

Litigator famosus, litiúmque nimium appetens, Hyperbolus, infamis Ptolemæis, anus quædam, per omnem suæ vitæ tẽpus litibus obnoxia, apud Ro. Caia Afrania, quæ omnia fora circuiret: quo nomine omnes huiusmodi mulieres notantur. Item Calphurnia & Amesia.

Echeneis piscis infamis est litium mora. Rursus qui aliquantulum secum habet ex extrema fistula intestini hyenæ, petitionum successus, litiúmque euentus fœlices fore, promittit Plinius.

Taprobane in insula neque fora sunt, neque lites.

Chilonis Lacedæmonij tria præcepta, aureis literis Delphis consecrata sunt, quæ sunt hæc, Nosse se quemq;, Nihil nimium cupere, Comitémque æris alieni atque litis esse miseriam. Ex Plinio libro septimo. Cæterùm Laertius in Chilone ait, Chilonem dixisse sponsioni nõ deesse iacturam.

Condemnandi nota apud Rom. erat C. absoluendi A. ampliandi verò N.L. id est, non liquet,

Hastam abiicere, & harenæ cedere, dicitur pro eo quod est cedere liti.

Lites adiuuare putatur anguis gestatus: tanta persuasione, vt eques Romanus in lite quoq; in sinu haberet, reuocatus à diuo Claudio principe, hanc ob causam fuit interemptus.

DE LIBERALITATE. XXVIII.

ALexander Magnus interrogatus, vbinam thesaurum haberet, respondit, apud amicos. M. Antonij filius quum Philotæ magna pocula obtulisset, atque is putaret tanta pocula non posse puerum iniussu patris præstare, atque ob id dantẽ ministrum repelleret: dixisse aiunt, ô inepte Philota, quid ambigis? an nescis, eum qui dat, filium esse Antonij? sed age, si placet pro his pecuniam accipe: ne fortè ex iis pater quoque desideret.

Titus Vespasianus recordatus, quòd toto die nihil cuiquam præstitisset: memorabilem illam vocem edidit: Amici, diem perdidi.

Alcmæon quum à Crœso Lydiæ rege tanto auro donaretur, quantum corpore ferre semel onustus posset: prægrandem tunicam

indutus, cothurnis follicantibus calceatus, primùm hos refersit: mox vestis sinus impleuit. quinetiam ramentis aureis capillos implicans, ore quoque repleto, exitque thesauro onustus. Crœsus verò cachinnis diffluens, ea omnia Alemæoni dat.

Ex nouæ Carthaginis captiuitate venusta puella Lucei Celtiberorum principis adolescentis vxor capta, Scipioníque adducta est. quam quùm intactam restituisset, gratiæque essent ab eo soceróque eius Scipioni actæ, eum vt capiat aurum quod redimendæ gratia puellæ comparauerant, plurimis orant precibus. Scipio accepturum se pollicitus, poni aurum ante pedes iussit, vocatóque ad se Luceio, Super dote, quam, inquit, accepturus à socero es, hæc tibi à me dotalia dona accedent. aurúmque tollere, ac sibi habere iussit.

Idem Scipio adolescentem Masinissę regis nepotem quum cepisset Hasdrubalem, benignè comitérque exceptum ad Masinissam remisit, cum donis magnificentissimis: vt ostenderet, Imperatorem non minus liberalitate & domesticis virtutibus, quàm bellicis artibus ornatũ esse opõrtere. Artaxerxes dicebat, magis regium esse dare quàm accipere.

Dromichetes Getarum rex Lysimachum aduersus se belligerãtem, viuum captum, hospitalitate, amicitia, comitatéq; exceptum liberauit.

Perillus Alexandri magni amicus, quum filiabus ab illo dotem petiisset, quinquaginta talenta accipere Alexander iussit. Sed quum ille dixisset decem satis esse. Tibi quidem, inquit, accipere, sed mihi nequaquam satis est dare.

Idem Alexander quum 200. æris alieni talenta sibi conflasset, non antè nauem conscendit, quàm rebus amicorum pensitatis, huic quidem agrum, illi villam, alteri domorum prouentum, alteri portoria elargitus est. Absumptis & ferè distributis regiis opibus, quid tibi superest, Perdiccas inquit? cui Alexander, Spes, ait. consueuerat tamen Alexander rogatus dare. Tanto munificentior tu diue Pompei, qui non rogatus tribuis.

Idem Anaxarchum philosophum honorificè prosecutus est. Pyrrhoni Heleo primum sibi obuiam facto, decem millia aureorum dedit: Xenocrati quinquaginta talenta misit: Onesicrito Diogenis Cynici discipulo, præfecturam contulit.

Idem Antigonem inter causarios milites militiam vitantem, rogauit causam. vt comperit in causa esse Telesippem mulierculam, quam deperibat, & quam ad mare proficiscentem decreuerat sequi, vt comperit illam esse ingenuam: Cur, inquit, donis & promissis illam vt resistat non lacessimus?

Idem Alexander quum dilectam ex concubinis suis præcipuè nomine Campaspem, nudam pingi ob admirationem formæ ab Apelle iussisset: cúmque pari captum amore sensisset, dono dedit eam Apelli, magnus animo, maior imperio sui.

Pæonum ductor quum hostis à se obtruncati caput Alexandro obtulisset, dixisséque, His apud nos donis precium aureum esse solet poculum: ridens Alexander, Vacuum, inquit. at ego id mero plenum tibi propino.

Macedo quidam, quum mulum Regium ferentem aurum ageret, essétque iumentum defatigatum: sublatum onus humeris ferre cœpit. quem sub pondere pressum conspicatus Alexander, vbi re cognita depositurum pondus videt hominem: Ne reliquo, inquit, itinere fatigeris hoc ad tuum deferes tabernaculum.

Idem Alexander vrbem donabat. dicente autem cui donabatur, non conuenire fortunæ suæ: Non quæro, inquit, quid te accipere deceat, sed quid me dare.

Idem dotibus plurimis commilitones donauerat: æsq; alienum militibus quod conflauerant quum dissoluere vellet, ac propterea vt daret nomina iussisset, multi ex illis, ne apud regem intemperantiæ vitium subirent, nomina dare sunt veriti. Id quũ Alexandro innotuisset, increpata illorũ diffidentia: Non decere, ait, regẽ emẽtiri in populares suos.

Cyrus offerente Armenij vxore aurum: ô mulier, ait, abi, atque has pecunias tibi habe, eósque amplius nolito Armenio defodiendas dare. Idem omnia ab Astyage auo dona accepta, amicis distribuebat.

Largius captiuos Tusculanos, quos Clœlius ceperat, multa in eos prius vsus humanitate, remisit. Pyrrhus offerentibus Ro. aurum pro captiuis redimendis, dono dedit captiuos, auro non accepto.

Paula Busa mulier Appula, reliquias Rom. cladis Cannensis, quæ Canusium se receperant, frumento, veste, viaticóque iuuit.

Cy non tantæ liberalitatis vir fuit, vt quum compluribus in locis prædia hortósque haberet, nunquam eis custodem apposuit ne quis impediretur qui frui vellet. eúmque semper pedissequi cum nummis sequebantur, vt siquis opis eius indigeret, haberet quod statim daret, ne differendo videretur negare. Sæpe, quum aliquem à fortuna male affectum videret, maléque vestitum, suum amiculum dedit.

Ptolemæus victo in prælio Demetrio, 8. millia captiuorum cum tentorio regiique corporis ornamento remisit. atque ait, Non de hominibus, sed de gloria regnóque à magnis viris esse certandum. Demetrius benignitatem regis admiratus, precatus est deos, ne diutius Ptolemæo se debere permitterent, sed occasionem præberent pariá reddendi. quod contigit, victo Cilla Ptolemæi duce.

Constantinus qui cum Galerio imperauit, sæpe dicebat: melius publicas opes à priuatis haberi, quàm intra claustra reseruari.

Artaxerxes Longimanus Xerxis filius, liberalitate conspicuus, quum alteram manum haberet longiorem, dictitabat, Regalius esse addere quàm auferre. & de eo suprà.

Gensericus Aphrorum dux, quum multas Italiæ vrbes vastasset, atque inter cæteras Nolam Campaniæ vrbem: éxque ea omneis penè ciueis abduxisset: Paulinus Nolanus episcopus multos pecuniis pro-

priis redemit: sed quum omnibus pecuniis opibúsque exhaustus esset viduáque quædam assiduis precibus rogitationibúsq; apud Paulinum de filij captiui redemptione ageret: Paulinus cum eadem in Africam profectus, obtulit se vicarium seruitio barbaro viro, Cuius bonitas quum barbaricæ genti innotuisset, & ipse & omnes ciues gratis remissi domum sunt.

M. Antonius pater, quum suapte natura liberalis esset, quispiámque è familiaribus pecuniam ab eo rogaret, eámque non haberet, iussit puero vt scyphum argenteum cum aqua portaret. quo facto, cœpit genas abluere: quasi ad radendum se præparans. puero igitur è conspectu remoto, scyphum amico tradidit.

Augustus regnorum, quibus belli iure potitus est, præter pauca, aut iisdem quibus ademerat reddidit, aut alienigenis tribuit.

M. Antonius dicebat, magnitudinem Romani imperij non propter ea quæ acciperet, sed propter ea quæ donaret, apparere. Veri liberalitatem lege in capite de Conuiuiis

Augustus, quum Furnius ab eo veniam peteret, quòd Antonij partes esset secutus: Hanc vnam, ait, habeo iniuriam tuam, effecisti vt viuerem & morerer ingratus.

Otho imperator, adhibitis loculis, sæpe pecunias domesticis impertiit, seruata vniuscuiusque dignitate.

Caligula ducentesimam auctionum Italiæ remisit: multis incendiorum damna suppleuit: ac si quibus regnum restituit, affecit & fructum omnem vectigaliorum quod miraculum videtur, quum pecuniarum fuerit auidissimus: vt dictum est in Auaritia.

Hadrianus amicos ditauit, non petentes: quum petentibus nihil negaret. Musicos, Tragicos, Comicos, Grammaticos, Rhetoras, omneisque professores honorauit, diuitésque fecit: licet eos quæstionibus semper agitauerit, omneisque reges muneribus vicit. Pauperes innocenteisque omneis ditauit.

Antoninus Pius & præfectos ditauit, & bona damnatorum repetundarum filiis donauit. M. Antonius imperator nihil magis timuit, quàm auaritiæ infamiam. Laudatur & Agrippa, Aristobuli filius

Protheas facetissimus in Alexandri magni famulatu, quum illi iratus Alexander videretur, multisque lachrymis in gratiam rediisset: Quoddam, ait, mihi fidei pignus da. Tum Alexander, quinque talenta erogari iussit.

Celeberrimus apud Val. hospitij largitionis, dotium exhibitionis liberalitate refertur Agrigentinus Gillias.

Dionysius senex doluit, Corinthiorum legatos noluisse à se dona accipere. ad filiúmque ingressus, conspecta argenteorum aureorúmque copia vasorum, inclamauit: Proh fili, in te rex non est, qui ex tanta vasorum copia, quæ à nobis accepisti, amicum tibi paraueris neminem.

Martialis ad Quintianum:

Quod

Quod tibi decembri mense, quo volant chartæ,
Gracilésque ligulæ, cæreique mappæque
Et acuta senibus testa cum damascenis,
Præter libellos vernulas nihil misi:
Fortasse auarus videar, aut inhumanus.
Odi dolosis munerum & malas arteis.
Imitantur hamos dona: námque quis nescit
Auidum vorata decipi scarum musca?
Quoties amico diuiti nihil donat,
O Quintiane liberalis est pauper.

Idem ad Marianum:

Scis te captari, scis hunc qui captat aurum:
Et scis qui captat, quid Mariane velit.
Tu tamen hunc tabulis hæredem stulte supremis
Scribis, & esse tuo vis furiose loco.
Munera magna quidem misit, sed misit in hamo:
Et piscatorem piscis amare potest.
Hiccine deflebit vero tua fata dolore?
Si cupis vt ploret, des Mariane nihil.

Archesilaus ad Apellem Chium ægrum venit: sed vt propè assedit, illud Empedoclis inquit: ætheri, igni, & aquæ datam sedem gratam: sed tu incommodè iaces. atque puluinum excusit pecuniámque suppositam, quam repertam anus quum Apelli nunciasset, ridens Apelles, Hoc, inquit, furtum admisit Archesilaus: nimirum sui similes filios generat philosophia.

DE LIBIDINE. XXIX.

TAntæ libidinis constat teterrimum illum imperatorem Neronem fuisse, vt puerum Porum exectis testibus, etiam in muliebrem naturam transfigurare conatus sit. Eundémque cum dote & flammeo pro solenni nuptiarum celeberrimo officio deductum ad se pro vxore habuit. extátque cuiusdam non inscitus iocus, Bene agi potuisse cum rebus humanis, si Domitius pater talem habuisset vxorem. Idem virgini vestali Rubriæ vim intulit. Idem suam pudicitiam vsque adeò prostituit, vt contaminatis penè omnibus membris, nouissimè quasi genus lusus excogitasset, quatenus feræ pelle cõtectus emitteretur è cauea, virorúmq; ac fœminarum ad stipitem deligatorum inguina inuaderet.

Commodus trecentas habuit concubinas ex matronis meretricibúsque electas, trecentúmque puberes exoletos. Sorores etiam constuprauit: sinebátque sub oculis suis concubinas ab altero iniri. De hoc in capite de Pedicatione.

Martialis plurima sunt super ea re festiua epigrammata, quæ quia obscœna sunt, omisi, illo contentus Phlogidis & Chiones.

Sit Phlogis an Chione Veneri magis apta requiris?
Pulchrior est Chione: sed Phlogis vlcus habet.
Vlcus habet Priami quod tendere possit salutam,
Quódque senem Peliam non sinat esse senem:
Vlcus habet, quod habere suam vult quisque puellam,
Quod sanare Criton, non quod Hygea potest.
At Chione non sentit opus, nec vocibus vllis
Adiuuat, absentem marmoreámque putes.
Exorare dei si vos tam magna liceret,
Et bona velletis tam preciosa dare,
Hoc quod habet Chione corpus, faceretis haberet
Vt Phlogis, & Chione quod Phlogis vlcus habet.

Cato senior Manlium virum clarissimum, consulē futurum è senatorio loco mouit, quia inter diu præsente filia basiasset vxorem. quem etiam increpans, testatus est, se nunquam nisi quum tonaret à sua complexum. vnde per iocum dixisse fertur, se tonante Ioue beatum esse.

Gordianus Prior 22. concubinas habuit: ex quibus omnibus ternos quaternósque filios suscepit: appellatúsque est sui temporis Priamus, quem vulgo iocantes pro Priamo sæpe Priapum vocitarunt.

Tyberius imperator Sexto Claudio libidinoso prodigóq; seni, olim ab Augusto ignominia notato, & à se ante paucos dies apud senatum increpito, cœnam ea lege condixit, ne quid ex consuetudine immutaret aut demeret: vtque nudis puellis ministrantibus cœnaretur.

In eundem fœdissimis adulteriis scatentem, in Attellanico exordio dictum est, hircum vetulum capreis naturam ligurire. constat enim, omnium libidinum genera fœdissimè in Capreis insula Tyberium exercuisse. Idem greges exoletorum, monstrosique concubitus repertores, quos spintrias vocant, triplici serie connexi, vt inuicem se coram ipso incestarent, excogitauit.

Nausimanis Athenienſis vxor, quum filij & filiæ stupro interuenissent, inopinati sceleris perculsa conspectu, in præsens tempus ad indignandum, & in posterum ad loquendum obmutuit.

Heliogabalus imperator fœdissimæ libidini vsque adeò obnoxius fuit, vt mentulatiores qui essent in vrbe iusserit exequiri. Idem etiam (vt aiunt) autor fuit, vt in vindemiarum feriis multa in dominos iocularia etiam audientibus dominis dicerentur. Idem etiam plerúnque mulieres nudas ad currum iunxit, vt ipsæ nudæ traherent nudum.

Idem omnes de circo, de theatro, de stadio, omnibúsque locis & balneis meretrices collegit in ædes publicas, & apud eas concionem habuit quasi militarem, appellans eas commilitones, disputauitque de generibus schematum & voluptatum. Idem per cuncta cauа corporis libidinem passus est. Illud addendum ex Seruio, primò Gabalum hunc dictum: sed postea voluit Sol nuncupari, vnde dictus est Heliogabalus.

Opilius

Opilius Macrimus imperator, quum deprehendisset per quendam frumentarium, quòd milites ancillas hospitum violassent, apertis viuis bobus vastis eos inclusit, capitibus exertis, vt vnà colloqui possent.

Apij libido notatissima apud Liuium in Vergiliam puellam, qua potiri non valuit, occisa prius à patre Verginio.

Agamemnon apud Hom. Iliad. 1. Chrysam patrem filiam repetentem repulit. additis etiam minis. vnde Apollo Græcis iratus est (erat enim Chrysas Apollinis sacerdos) & in causa fuit, vt exercitus Græcorum & cædibus & pestilentia laboraret. Idem in causa fuit etiam, vt tot Græci occiderentur, ablata Achilli Briseide.

Hadrianus de libidine taxatur, vt ne amicis quidem fidē seruauerit.

Pliſtines impudicitia taxatur à Quintiliano 3. Institut. Et ibidem Perses, qui deforme exemplum libidinis in muliere Sarnia instruere ausus dicitur primus. Claudius in fœminarum libidinem profusissimus, marium verò omnino expers. Numidas in Venerem effusos esse ait Liuius lib. 9. D. p.

Caligula adeò libidinibus scatebat, vt etiam sororem propriam vitiauerit. Ammon Dauidis filius, sororem suam Thamar per vim constuprauit, sed post duos annos ab Absalone fratre ob id occisus est. Cymonem etiam sororem stupraſſe, memoriæ proditum est.

Ptolemæus Phiton sororem fratri nuptam, sibi nubere cœgit, filiamque deinde eius per vim stuprauit. P. Clodius sororem stuprauit, L. Luculli vxorem.

Sardanapalus Assyriorum rex omnium libidinosiss. post mortē hoc habuit epigramma. Sardanapalus Anacindaraxis filius, Anchialem & Tharsum vna die condidit: Ede, bibe, lude, & quum mortalem noris præsentibus exple deliciis animum, post mortem nulla voluptas. Namque ego sum puluis, qui nuper tanta tenebam: Hæc habeo quæ edi, quæque exaturata libido Hausit. at illa manent multa & præclara relicta, Hoc sapiens vitæ mortalibus est documentum.

In Bacchi festo apud Aegyptios ficulneorum Priaporum loco è collo pendentium, sunt excogitatæ statuæ cubitales è neruis compactæ, quas fœminæ circunferunt per pagos. mentula, quæ propemodum instar est reliqui corporis innuente, & tibia præeunte, quam fœminę Bachum canentes sequuntur. De Bacchanalibus, leges in capite de Secretis.

Apud Aegyptios, qui morruos saliunt, odoribusque farciunt, repertus est quidam cū recenti cadauere mulieris coire: qua propter factum est, vt neque vxores insignium virorum, neque eas quæ venustæ fuerint tradant statim condiendas, sed triduum atque quatriduum defunctas.

Periander cum vxore Melissa etiam mortua coiit, ait Herod. lib. 5.

Indorum coitus in propatulo est, sicut pecori. Asamones etiam in propatulo, pluresque vxores habent. Massagetæ etiam montani in viis passim coeunt.

Gnidanes

Gnidanes Macarum finitimi sunt, horum vxores fimbrias pelliceas ferunt, atque ab vnoquóque stupratore fimbriam extorquent: eáque quæ plures fimbrias habet, clarissima censetur, tanquam à pluribus viris adamata.

Thraces liberos in mercato vendunt, filias quibus velint prostituunt, vxores asseruant vehementer, magnáque pecunia à parentibus coëmunt. Punctas notis esse fronteis nobile iudicatur, non esse punctis notatas ignobile.

Septem Persæ missi à Dario in Macedoniam, ad Amyntam, petituri terram aquamque regi, excepti sunt splẽdida cœna: sed postquã ad potũ à cœna ventum est, ô hospes, aiunt, nobis est consuetudo, quum magnã cœnam exhibuimus, ad assidendũ concubinas, vxoréque adolescentulas adducere. Proinde tu sectare nostram consuetudinem. tum Amyntas: Nobis, inquit, ista cõsuetudo non est, sed tamen præstabitur. Adductas ergo puellas formosas, quum petiissent vt iuxtà assidere iuberet, effecit Amyntas. at illi tractare mammillas, alij etiam dissuauiari tentauerunt. indoluit Amyntas. non ausus tamen est quippiam mutire. Alexander verò Amyntæ filius, iussit patrem abscedere, ad illósq; cõuersus: Persæ, inquit, tẽpus est cubandi: proinde sinite has fœminas lauatum ire, vt lotas ad cubiculum accipiatis. Approbantibus illis, pro mulieribus iuuenes leues muliebri habitu suppositi: additis pugionibus, vt singuli singulos conficerent, quod factum est.

Gaditanę puellę lasciuia notatissimę, molliciáq; fuere. Mart. Edere lasciuos & Betica crusmata gestus, Et Gaditanis ludere docta modis.

Lactantius lib. 2. de Origine erroris, ait deum permisisse angelis, vt commorarentur in terra: sed cauerent, ne terrestribus maculati, cœlestia amitterent. sed illi paulatim in vita à diabolo pellecti, mulierum congressibus inquinantur: atque ita ad cœlum non sunt recepti. nescio an vera dixerit.

Gemellus tribunitius Fuluiam & Mutiã nobiles, Saturninúmq; puerum, Metello & Scipione conss. & tribunis plebis domi prostituit.

Xerxes adeò libidinibus deditus fuit, vt edicto præmium proposuerit ei, qui nouum voluptatis genus inuenisset.

Carmolaus Megarensis adeò amoribus libidiníque obnoxius fuit, vt vnum osculum duobus talentis redemerit.

Marte Veneréque in coitu irretitis, omnibus diis tantam turpitudinem spectantibus Apollo Mercurio ait, Ioue nate Mercuri, bonorum dator, mallésne in lecto iuxta Venerem auream vinculis pressus duris cubare? Vtinam, inquit ille, hoc contingeret: vinculísque ter tantis detinerer. ex Hom. 8. Odyss.

Augustus etiam libidinis non omnino expers traditur. Nam & feminam consularem è triclinio viri coràm in cubiculum adductam, rursus in conuiuio rubentibus auriculis, incomptiore capillo reductam ad illo constat. sed hæc in iuuenta.

Mamerc

Mamercus tantæ fœditatis fuit, vt ancillarum menstrua ore hiante acciperet.

Celidon, vnus ex Cleopatræ nobilibus, tam improbæ quàm impuræ libidinis, vt in eius ore fœminæ purgarentur. Apud Martialem portentosæ libidinis sunt notatissimi.

In Medete vrbe hirci cum mulieribus coëunt. Stymphali eã mulierem honorant, quæ cum quamplurimis viris habuerit commercium.

Perdices, si contra mares steterint fœminæ, aura ab iis flante, prægnantes fiunt, hiantes atq; exerta lingua per id tempus æstuant, concipiuntq; superuolantium afflatu, sæpe voce audita masculi. Hippocrates, libidinem dicebat morbum esse comitialem leuiorem. Nulli est caluitium, ante veneris vsum.

Plinius libidinem hominibus datam queritur his verbis: Cæteris animalibus stati per tempora anni concubitus: homini omnibus horis dierum, noctiũ. cæteris, satietas. in coitu, homini prope nulla. Messalina, Claudij Cæsaris coniunx, hanc regalem existimans palmã, elegit in id certamen nobilissimam è prostitutis ancillam mercenariæ stipis, eámque die ac nocte superauit quinto ac vigesimo concubitu. Idem lib. 28. ait: In silente luna mulierum coitus maribus exitiales atque pestiferos.

Mulierum libidinem coërceri, inquit Plin. libro 28. si genitalia cinere lincis aspergantur.

Libidinosiores homines hirtos esse constat: sues fœminæ tantũ efferantur coitus tempore, vt hominem lacerent, candida præsertim veste indutum. hyeme etiam gaudent copia libidinis.

Sempronius Musca, C. Gallum in adulterio deprehensum, flagellis cecidit. G. Meuius L. Octauium deprehensum contudit neruis. Bibienus Carbonem Accienum, P. Triuius Pontium, deprehensos castrarunt. Cn. Furius Broccum deprehensum familiæ stuprandum obtulit. Milo Salustium deprensum cum vxore Syllæ filia, cecidit flagellis. Apud Pisidas adulterio deprensi, vir muliérque insidentes asino circumducuntur per vrbem, statis diebus.

Multa morborum genera primo coitu soluuntur, primoque fœminarum mense: quando à serpente & scorpione percussi, coitu leuari dicuntur. Venerem damnauit Democritus, vt in qua homo alius exiliret ex homine. est hercule raritas eius vtilior. Athletæ torpentes restituuntur. Venere vox reuocatur, quum ea candida declinat in fuscam. medetur & lumborum dolori, oculorum hebetationi, mente captis & melancholicis. Ex Plin. lib. 28. Celsus lib. 1. Concubitus verò, ait, neque nimis concupiscendus, neq; nimis pertimescendus est: rarus, corpus excitat, frequens soluit, quum autem frequens non numero sit, sed natura ratione ætatis & corporis. scire licet eum non inutilem esse, quum neque languor, neque dolor sequitur. idem interdiu peior est, noctu tutior: ita tamen, si neque illum cibus, neq; hunc cum vigilia labor statim

tim sequitur.neq; æstate verò, neque autumno vtilis Venus est: tolerabilior tamen per autumnum.æstate in totum si fieri potest abstinendum,in hyeme non æquè pernicios est,vere tutissima.

Pythagoras rogatus,quando esset coeundum:Quũ te ipso infirmior fieri vis,inquit.

Alexander Macedo, duarum rerum mortalitatem occasione potissimum intelligere dicebat,soporis scilicet & coitus, quos sola naturæ infirmitas pareret.

Cornelius Gallus prætorius,& Q.Herennius eques Rom. in Venere obiêre.Est & alibi Cornelius,in cap.de Prædicatione.

Diuus Hieronymus: Vidi,inquit, duo inter se paria vilissimorum è plebe hominũ comparata:vnum, qui viginti sepelisset vxores: alterũ, quæ viginti duos maritos habuisset,& extremo sibi, vt ipsi putabant, matrimonio copulatos, summa omnium expectatione, virorum pariter ac fœminarum,post tot rudes vter vtrum prius efferret vicit maritus,& totius vrbis populo confluente,coronatus.& palmam tenẽs,adorántsque per singulos sibi acclamantes, vxoris multinubæ pheretrum præcedebat.

Metella vxor Syllæ, satis impudicè vixit: atque item filia Mutia. Item vxor Cn. Pompei impudica. Item Cæsaris vxor,& Lucilli. & de Pauli Aemilij vxore suspicamur.& de Olympia vxore Philippi: Pasiphae Minois vxor à Tauro regis à secretis: Clytemnestra Agamemnonis vxor ab Aegistho: Agidis vxor Timea ab Alcibiade adulterata. Diomedes à Troia rediens,vxorem Aegialam reperit adulterari cum Cylabaro Stheneli filio, & ob id in Italiam abiit. vide magnorum virorum sceleratas vxores.

DE LEGATIS. XXX.

QVum in Bithyniam ad Attalum ac Nicomedem, Romani legatos mitterent tres, quorum vnus lapide caput saucius,fœdas præferebat cicatrices, alius prodagra laborabat, tertius stultior haberi consueuerat: Cato contemplatus legatos,vrbanè Senatum ait legationem mittere,quæ ratione,pedibus,capitéque careret.

Lacones olim quum ad Lygdamum tyrannum issent legati,atq; ille congressus sæpius differret,dicẽs se molliter habere:vrbanè,Dic,inquiũt legati,per deos nõ venisse cũ illo colluctaturos,sed collocuturos

Polycratidas,ad duces regios legatus, quum accederet cum aliis quibusdam:interrogatus,vtrum priuatim venissent,an publicè? Si impetrauerimus,inquit,publicè:sin minus,priuatim.

Dario ingresso in Scythiam, inopiáque laboranti, Scythæ legatos miserunt cum muneribus,aue,mure,rana, & quinque sagittis. Darius pro mure terram,pro rana aquas, pro aue equos, pro sagittis seipsos tradere

tradere interpretatus est.Cobrias hoc dicere dona cõiectabat:O Persæ, nisi vt aues aduoletis,aut vt mures subeatis terram, aut vt ranæ insiliatis in paludes,non remeabitis,his sagittis confecti.

Darius etiam quum misisset legatos ad Athenienses, aquã terrámque petituros,quũ Athenas venissent,alij in puteos, alij in barathrum deiecti sunt.sed postea eorum vrbs solúmque vastatum est.Legati Romani apud Tarentum vrina conspersi sunt.

Legatis Romanis,qui ad exteras gentes ituri essent,annuli aurei donabantur:quoniam ita exterorum honoratissimi intelligebantur,neq; aliis vti mos fuit,quàm ex ea causa publicè accepissent.Ferebant item verbenas,præsertim quum ad hosteis clarigatum,id est, res raptas repetitum accedebant.Apud Persas verò latacem herbam:vt quocunque venirent,rebus omnibus abundarent.

Apud Vergilium Aeneæ legati de pace,oliuam protulerunt in manibus vittatis.Græci ferebant Hiceteria.Legatis non licebat arma capere:vnde ait Liuius,legatos Romanos cõtra ius gentium arma cõtra Gallos pro Hetruscis suscepisse.Legati supplices infulis velati ibãt,authore Dionysio.Sacrosanctissimum honoratissimúmque apud omnes gentes legatorum nomen erat.Cicero in Verrinis:Etenim, inquit, nomen legati eiusmodi esse decet, vt non modo inter sociorum iura, sed etiam inter hostium tela incolume seruaretur.Vnde quum Rom.legati essent superbius à Corinthiis appellati,Corinthum extinxerunt per Murrium.qui legatũ violasset, Q. Mutius hostibus dedi iudicauit, ait Pomponius lib:1.Dig.Quapropter Rom.quidam iuuenes, quòd legatos Apollonatũ pulsassent.Apollonatibus dediti sunt. Legatis in exercitu omnis erat post imperatorẽ potestas.Põpeius primus apud Rom. legatus solus fuit.Legati verò,qui fœciales dicebantur,vbi ad fines eorum,vnde res repetebantur,veniebant:capite velato (filo lanæ velamẽ erat) Audi Iupiter dicebant,audite fines:Ego sum nũcius publicus pop. Rom.iustè piéque legatus venio.ac postulatis peractis.Iouem testẽ faciens:Si ego dicebat,iniustè impiéq; illos homines, illáſq; res dedier pop.Rom.mihi q: expoſco:tum patriæ compotẽ me nunquã sinas esse. hæc dicebat quũ fines scandebat,quũ occurrebat alicui primo,& quum portã ingrediebatur,& quũ forũ. Post 33.dies: Audi Iupiter,& tu Iuno, dicebat,Quirine,Diiq; cœlestes,vósq; terrestres, vósq; inferni audite. Ego vos testor,populũ hunc iniustum esse.ac Romam rediens consulto senatu per regem,ac rogatas sententias,bellum decernebatur.Tum fœcialis hastam ferratam,aut sanguineam præustam ad fines eorum ferebat:& præsentibus non minus tribus puberibus,Bellũm indico,facióque,dicebat:hastámque in fines illorum immittebat.

Apud Hom. Iliad. Legati ad Achillẽ Phœnix Aiax & Vlysses missi sunt,duobus præconibus comitati,Hodio & Eurybate.Exteræ gentes caduceum in pacis argumentũ,circundata effigie anguium fecerunt, propter complexũ concordiamq;.qui legatione functi sunt,biennium

vacat

vacationē assequūtur: ait Paul. lib. 50. Dig. Apud Rom. si quādo legati incogniti veniebant, primò, quid venirēt ab exploratoribus requirebatur: deinde, ad eos egrediebātur minores magistratus. & tum demum extra vrbē postulata senatus noscebat: & si visum esset, admittebātur.

DE LITERIS, ERVDITIONE, AC ARTIVM omnium vtilitate atq; vsu. XXXI.

ALexander contra Darium militans, scripsit Aristoteli, se non rectè feciſſe, quòd disciplinas auscultatorias, quibus ab eo ipse eruditus esset, libris foras editis diuulgasset. nam qua, inquit, alia re præstare cæteris poterimus, si ea quæ ex te accepimus, omnium prorsus fient communia? quippe ego doctrina malim anteire, quàm copiis atque opulentiis.

Dionysius senior non multi fecit, quòd omnium sui temporis tyrannorum esset maximus. sed indoluit Philoxeno poētæ esse in poēticis secundum, in philosophia Platoni: atq; ira percitus, illum in Latomias coniecit, hunc in Aeginam venditum ablegauit.

Aristippus philosophus naufragio reiectus ad Rhodiensium littus, vt in gymnasium venit. déque philosophia disputauit, plurimis muneribus donatus est. Dicentibus verò comitibus, qui vellent domum reuerti, nū quid vellet domū nunciari? mandauit dicere, eiusmodi possessiones & viatica liberis oportere parari, quæ etiā cū naufragio possent vnà enatare. Ex Victruuio lib. 7. Id dixisse Anthistenem, ait Laërtius.

Theophrastus doctum dicebat ex omnibus solum, neq; in alienis locis peregrinum, neque amissis familiaribus & necessariis inopem amicorum: sed in omni ciuitate esse ciuem, difficiléque fortunæ sine timore posse despicere casus.

Idem moriens accusasse naturam dicitur, quòd ceruis et cornicibus vitam diuturnam, quorum id nihil interesset: hominibus verò, quorum maximè interfuisset, exiguam dedisset: quorum si ætas potuisset esse longinquior, futurum fuisset, vt omnibus perfectis artibus, omni doctrina hominum vita erudiretur.

Themistocles, expletis centum & septem annis, in morte dixisse fertur: Se dolere, quòd tunc egrederetur de vita, quando sapere cœpisset.

Antipatri Cyrenaici oculorum orbitatem quum mulierculæ lamentarentur: Quid agitis, inquit? An vobis nulla videtur voluptas esse nocturna?

Diogenes dicebat disciplinam esse iuuenibus sobrietatem, senioribus solatium, pauperibus diuitias, diuitibus ornatus. Socrates apud Platonem lib. 6. ait Alcibiadi scientias omnes sine optimi cognitione, obesse potius, quàm prodesse.

Cn. Aufidius prætorius, oculorum ministerio captus, & in senatu sententiam dicebat, nec amicis deliberantibus deerat, & Græcam scribebat historiam, & videbat in literis.

Aesclepiades philosophus, quærentibus quibusdam, quid ei cæcitas attulisset? respondit, Vt puero essem vno comitatior.

Demetrius Antigoni filius, quum cepisset Megaram, domum Stilphonis seruari, cunctamq; substantiā restitui curauit, vbi quum ea quæ amiserat in scriptis ostenderet, nihil ille suum se amisisse respondit: quippe doctrinam & eruditionem ademisse neminem.

Bias Prienem eius patriam hostibus inuadentibus, omnibúsq; qui poterant ciuibus preciosarum rerum pondere onustis fugientibus, rogatus cur nihil ex bonis suis ipse asportaret? Ego verò, inquit, omnia mea mecum porto, ex Cicerone. Seneca verò ad Lucilium ait: Stilpon capta patria, amissis liberis vxoréque, rogatus à Dionysio Polyorcete, nunquid perdiderit? omnia, ait, bona mea mecum sunt.

Dionysius iunior pulsus à tyrannide, rogatus quid illi Plato philosophiáque profuisset: Vt tantum, inquit, fortunæ mutationem æquo animo feram. Idémque regno pulsus, vt imperium in pueros teneret, factus est ludimagister.

Idem vittatam nauem obuiam Platoni venienti misit, ipse cū albis quadrigis egredièti occurrit. Ad Titum Liuium ex vltimis Galliarum atq; Hispaniæ finibus, multi illius eruditione allecti, conuenerunt.

Aristoteles rogatus, quid ex philosophia lucratus esset: Hoc, inquit, vt iniussus ea faciam, quæ plerique per legum metum operantur.

Cn. Pompeius intraturus Posidonij domum, vetuit fores à lictore de more pulsari: victórque Mithridatis orientísq; cessit sententia propria ianuæ literarum. Aristot. dicebat, aspectum à continenti aëre lumen accipere, animum autem à disciplinis liberalibus.

Idem Aristoteles rogatus, quo differrent docti ab indoctis: Quo, inquit, viuentes à mortuis.

Posthumius Labienus, quum Romanas historias Græcè scripsisset, ab auditoribúsq; veniam cōtenderet: illudens Cato senior, Veniam, inquit, dandā esse, si Amphyctionum decreto coactus, Græcè scripsisset. Simile exemplū apud Gellium lib. 9. cap. 8. Auli Labieni videtur esse, quum idē sit, ait enim: Albinus, qui cum Lucio Lucullo consul fuit, res Romanas Græca oratione scriptitauit in eius historiæ principio scriptum est in hanc sententiā: Neminem succensere sibi conuenire, si quid in his libris parum cōpositè aut minus elegāter scriptum foret. Nam sum, inquit, homo Rom. natus in Latio: Græca oratio à nobis alienissima est. Ideóque veniā, si quid erratum esset, postulauit. Eam quum legisset M. Cato: Ne tu inquit, Aule nimium nugatores, quum maluisti culpam deprecari, quàm culpa vacare. Nam petere veniam solemus, aut quum imprudentes errauimus, aut quum cōpulsi peccauimus. Te, inquit, quis perpulit, vt id committeres, quod prius quàm faceres, peteres vt ignosceretur. hæc ex illo. Quare reponendum est apud Plutarchum,

chum,Posthumius Albinus,Euére autẽ Aulus Posthumius Albinus,& L. Lucinius Lucullus consules:quo tẽpore Catone suadente,vt bellum Carthagini rebellanti indiceretur,quum delectũ seuerè agerent,nec quenquam gratia demitterent,à tribunis plebis,qui pro amicis suis vacationem impetrare non potuerunt,in carcerem coniecti sunt.Illud præterea non est sine admiratione,quod quum sexagenarius Græcas literas didicisset,adeò postea perosus illas est,vt scripserit ad Catonem filium:Dicam de istis Græcis suo loco Marce fili,quid Athenis exquisitum habeam,& quod bonum sit eorum literas inspicere,non perdiscere:vincam nequissimum & indocile genus illorum,& hoc puta vatem dixisse: quandocunque ista gens suas literas dabit,omnia corrumpet. Plin.Plutarchus verò ait dixisse,tunc Romanum imperium spoliatum iri,quum se Græcis literis dedissent, Nec Græcos philosophos solum Romæ,sed medicos etiam odio suspicionéque prosequutus est,ex Plinio & Plutarcho.Marius quoque fertur neque literas Græcas didicisse,neque vllis in studiis Græcis præceptoribus vti voluisse, è Romanis præter Albinum Græcè scripserunt Q.Fabius & L. Cincius, ex Dionysio.

Protogenes,oppugnãte Rhodum Demetrio rege,in suburbano suo inchoata opera non reliquit,sed accitus à rege,interrogatúsque,qua fiducia extra muros ageret:respondit,Scire se illis cum Rhodiis bellum esse,non cum artibus,appositúmque tum rex in tutelam eius stationes, intérque arma murorúmque ictus spectauit artificem.

Ptolemæus Philadelphus literarum studiosissimus fuit,bibliothecámque miram Alexandriæ comparauit,interrogauitq; aliquãdo Demetrium Phalereum bibliothecæ præpositũ,quot millia voluminum comparasset:20,inquit ille,millia,sed paruo pòst tempore vsq; ad 50. millia comparaturum. Sextus Aurelius bibliothecas Rom.incendio absumptas,Alexandrinis reparauit exemplis.

Imperatores veteres omnes literarum penè fuére studiosi. Cæsar edidit commentarios elegantissimos.Alexander Seuerus 18.ætatis anno publicè declamauit.Agesilaus erudito sermone vtebatur.Indi literas non norunt,ait Strabo.Aegyptij primi per figuras animaliũ,sensus mentis effingebant,séq; inuentores literarum perhibẽt:inde Phœnicas quia mari præpollebant,in Græciam attulisse,ex Tacito.Xenophon ait fuisse 16. Galatarum & Mæonum persimiles, eas in Italiam aluectas,vide Plin.lib.7. Literas lino solitas alligari,pluribus,in locis Cicero ostendit.

Octauius quum victo Antonio Alexandriam ingressus esset,atque Sostratus vir doctus per Arium philosophum,Octauij amicum,salutem ab illo expeteret,quum non exorasset,mutata veste,Arium quacunque incedebat sequebatur,hunc versum identidem in ore habens: Docti doctos seruabunt,si erunt docti.

Demetrius Cynicus dicebat,plus prodesse,si pauca præcepta sapientiæ

tiæ,teneas,si illa tibi in promptu & in vsu sint,quàm si multa didiceris,sed illa non habeas ad manum.

Querenti apud Antisthenẽ familiari,quòd cõmentaria perdidisset: Atqui oportebat,inquit ille,ista potius animo quàm chartis scribere.

Sulpitius Gallus Pauli legatus in bello contra Persem,quum luna sereno aëre subitò defecisset,& ob id milites territi essent,de ea re accuratissimè disputans, militum animos confirmauit. Pericles,Atheniensis defectu solis consternatos,refecit.

Cicero ad Atticum:Sed me hercule,vt à cæteris oblectationibus deseror,& voluptatibus propter Remp.sic literis sustentor & recreor.

Charondas, præceptores Thuriis adhibuit, vt & literas & bonos mores edocerentur,putabat enim homines plus debere literis quàm parentibus,aut naturæ:his enim viuimus,illis autem bene viuimus,id etiam dixisse de præceptoribus Alexãdrum Magnum aiunt.

Plato circa id temporis quo defunctus est,genio suo atque fortunæ gratias egit,primùm quòd homo & non bellua:secundò,quòd Græcus,non barbarus:tertiò,quòd viuente Socrate ætatem ageret,alij addunt dixisse,quòd Athenienfis,non Trebanus.Laërtius ait Thaletem dixisse,quòd homo non bellua,vir non mulier,Græcus non Barbarus fuerit.

DE LIBERTATE. XXXII.

ANdron Laodicenus,quum Romam venisset,à Cæsare impetraturus patriæ libertatem : Cicero alludens ad Cæsaris tyrannidem,Vide,ait,si possis pro hac etiam exorare.Macrob.

Si compos voti es,pro nobis sis legatus,ἐὰν ἐπιτυχῇς, περὶ ἡμῶν πρέσβευσον.

Antigonus,quum Antagoras poëta patellam tenens congrum elixaret,post illum stans:Putasne,ait,Homerum,ô Antagora,quum Agamemnonis gesta scriberet,congrum elixasse?Tum Antagoras: Et tu rex,putásne Agamemnonem talia gerentẽ curasse,num quis in exercitu congrum coqueret?

Meron Tarentinus,quo die decretum de Pyrrho vocando sciri per populum Tarentinum debebat,& multitudo in concione sederet,accepta corona & lampade,quasi ebrius,tubicine ducente, ludibundus in concionem peruenit,&,vt fit,in turba populari aliis applaudentibus, vtque procederet in medium inuitantibus:processit ille,& quasi cantaturus astitit,sed vbi silentium nactus est:Viri,inquit,Tarẽtini,bene facitis,qui iocari & ludere volentibus,dum licet permittitis:si tamen sapitis,cuncti hac ludorum libertate fruemini,antequàm Pyrrhus adueniat,nec fuit mendax,nam statim vt venit Pyrrhus,ludis & tripudiis Tarentinis interdixit.

Agesilaus ad eum,qui quum aliorum Lacedæmoniorum,tum eius vestis cibíque mediocritatem mirabatur:Propter hunc,inquit,fruga-

lem hospes viuendi modum,metimus libertatem.Seneca lib.18.Epist.
Aurum & argentum,& quicquid aliud felices domos onerat,relinquatur:non potest gratis constare libertas.

Aristippus,dicente Dionysio,qui ad tyrannum proficiscitur, illius seruus est,quamuis liber fuerit: Non est,inquit,seruus,si liber venit.
Libertas ad tempus dari non potest:ait Paulus lib.40.Dig.

Buris & Spartis Lacedemonij,quum sponte ad Persarum regem vt cruciarentur ex oraculo,quòd caduceatores per illos Lacedæmonij occidissent,accessissent:vbi ad Xerxem venerũt,hortati sunt,vt quo quomodo vellet pro patria occiderentur,at ille virtutem eorum admiratus,viros absoluit:rogauitque,vt apud eum manerent. Ecquónam,inquiunt,modo hic viuere possemus,patria legibúsq; relictis,& iis viris pro quibus tantum itineris confecimus morituri:sed Indato præfecto magis magisque rogante ac dicente, ipsos futuros in pari honore iis qui regis amici maximè dignitate præstarent: Nobis,inquiunt illi, ignorare videris quantum sit libertatis bonum, quam nemo compos mentis cum Persarum regno commutarit.

C. Manlius apud Salustium ait,Libertatem petimus,quam nemo bonus nisi cum anima simul amittit.

Priuerno capto,interfectí sque qui oppidum incitauerant ab rebellandum:quum eorũ princeps in Romana curia interrogaretur,quam pœnam mererentur?respondit,Quam merentur,qui quum se dignos libertate iudicarent,arma sumpserunt:rursúsq; quum rogaretur,qualem cũ eis pacem habituri Romani essent,impunitate donati?respondit:Si bonam dederint,perpetuam:si malam,non diuturnã.Seneca in Prouerb.inuitum quum retineas, exire incitas. Clitipho apud Terentium Heautont.Nulla est tam facilis res,quin difficilis sit,quum inuitus facies.

Arenius à Cyro captus,quum ab illo rogaretur,Cur tributum non tulisset, vrbémque muro cinxisset: Libertatem,inquit,cupiebam.Pulchrum enim mihi videbatur,& me liberum esse,& liberis meis libertatem relinquere.Titus Largius in oratione pro Latinis,Omnibus innatum esse,ait,libertatis desiderium.

Cleomenes dux Laconicus,quum è carcere ereptus ad occidendum Ptolemæum plebem sollicitasset,neminémque audentem inueniret: Non mirum est,ait,si talibus viris, qui libertatem negligunt,mulieres etiam dominantur.

Agis Archidami filius,dicente quodam de Græcorum libertate,sermonem non ignobilem quidem,sed effectu difficilem: Tua,inquit,ô hospes verba & virium indigent,& pecuniarum.

Romani Cappadocibus,extincta regia stirpe,concesserunt,vt in libertate essent,at illi libertatem recusarunt,admirati Romani,quem vellent sibi regem eligerent,concesserunt. Illi itaque Ariobarzanem elegerunt.

Libertatem

Libertatem designabant Aegyptij dextra manu,digitis passis,apud Romanos seruorum quibus libertas cõcedebatur,lictor virgam,quam vindictam vocabant,supra caput tenens,eos cædebat.Erat præterea in seruis libertatis signum,caput rasum cum pileo. Plautus in Amph. Iuppiter ille faciat,vt hodie raso capite caluus capiam pileum.Suetonius de Tiberij patre: Primo Prænestæ,deinde Neapolim euasit:seruisque ad pileum frustra vocatis,in Siciliam profugit.Appianus lib.2. Ex iis quidam pileum in hasta ferebant,libertatis signum, sumebant autem pileum raso capite liberti in templo Feroniæ,illorum deæ.Sed de ea re latius in Institutionum commentariis diximus.

Brutus in Tarquiniorum eiectione,ait è duobus alterum eligendum:aut vita libera,aut mors gloriosa.

Sextus Aelius Pætus,& C. Cornelius,censores, atrium Libertatis refecerunt:ait Liuius lib.4.d.4.Suetonius ait,Asinium Pollionẽ,suadente Augusto,atrium Libertatis condidisse.

Marsias Bacchi minister pingebatur in liberis vrbibus,in libertatis signum:quoniam Bacchus libertatis erat deus:ob idque Liber etiã nuncupatus.Vide titulum de Muneribus.

DE LVXVRIA. XXXIII.

YSander Lacedæmonius preciosas à Dionysio tyranno vestes filiabus missas non accepit,dicens se vereri,ne illis indutæ,turpiores viderentur.

Heliogabalus imperator, quum à quopiam sibi priuato diceretur,Non times pauper fieri?Quid melius,inquit,quàm vt ipse mihi hæres sim,& vxori meæ?Idem etiam dicebat, se nolle filios,ne quis frugi sibi nasceretur.

Lentulus Spinter primus vsus est dibapha purpura prætexta in ædilitate,quæ non poterat emi denariis mille in libras.Idem scenam fecit argentatis choragiis.

Antonius triumuir aureis vsus est vasis in omnibus obscœnis desideriis,pudendo etiam crimine Cleopatræ.

Faustus Syllæ filius,quum supellectilem propter æris alieni magnitudinẽ proscripsisset,vrbanè Cicero:hanc,inquit,magis amo quàm patris eius proscriptionem.

Iulius Cæsar quum magna vteretur in vnumquemq; liberalitate, eos qui incredibili crimine siue inopia siue luxuria perditos esse videbat,iis planè bello ciuili opus esse dicebat.Sumptum ex illo Cratis, qui quum ob immodicam luxuriem sumptúsq;,tyrannides in ciuitatibus excitari cognosceret,facetè dicebat,ollam quum assiduè immoderatè impleas lentibus,vide ne nos in seditionem coniicias.

Agesilaus quum in Asia domus contignationem ex quadratis trabibus factam aspexisset:ædium herum rogauit,num apud illos quadrata

nascerentur ligna: eo negante, sed rotunda dicente: Quid igitur, inquit, si quadrata essent, rotunda faceretis?

Agon Teius Alexandri Magni præfectus, aureis clauis suffigere crepidas voluit.

Cæsar in funere L. Cæsaris patris omni apparatu harenæ argento vsus est, feráque argenteis vasis incessere tum primum visum. C. Antonius & Murena ludos scena argentea fecerunt. C. princeps in circo pecma ex argento duxit.

Lolliam Paulinam, C. principis matronam, nec serio quidem aut solenni cerimoniarum apparatu, sed mediocrium etiam sponsalium cœna, vidi smaragdis margaritísque opertam, alterno textu fulgentibus toto capite crinibus, spiris, auribus, collo, manibus, digitísque: quæ summa 400. sestertium colligebat, ait Plin. lib. 9.

Poppea Neronis coniunx delicatioribus iumentis suis soleas ex auro quoque induere solebat. Spurius Carbilius primus tricliniis addidit argentum.

Iulia Augusti filia licentiore vestitu patris oculos offenderat. tacuit pater: sed mutauit cultus sui postero die morem, & lætum patrem affectata seueritate complexa est. at ille qui pridie dolorem suum continuerat, gaudium continere non potuit: Et quantum hic, ait, in filia Augusti probabilior est cultus? Non defuit patrocinio suo Iulia: Hodie enim, ait, patris oculis me ornaui, heri viri.

Brutus cum balneas patrimoniúmque omne penè vendidisset, dicerétque se sine causa sudare: vrbanè excipiens Crassus orator: Non mirum, inquit, modò enim existi de balneis.

Testudinum putamina secare in laminas, lectósque & repositoria his vestire, Carbilius Pollio instituit, prodigi & sagacis ad luxuriæ instrumenta ingenij.

Idem Crassus orator in causa contra Brutum, quum eius ingluuiem vellet taxare, efferretúrque anus Iunia, festiuè, inquit: Brute quid sedes? quid illam anum patri nuntiare vis tuo?

M. Aemilius Porcina accusatus à L. Casio, quòd villam nimis sublimem extruxisset, graui pœna mulctatus est.

Demetrius Phalereus, quum vidisset iuuenem luxuriosum: Ecce, inquit, quadratam statuam habẽtem syrma, ventrem, pudenda, barbam.

Cato ætate adhuc iunior in Antiochiam profectus, cupidus absente Pompeio diligẽter ciuitatem inspicere, pedes, (vt semper consueuerat) tunc quoque ibat. quum autem ante eius vrbis portas hominum cohortes in niueis astare vestibus vidisset, & à parte altera ephebos, ab altera pueros inter se lectos: rem molestè ferebat: putabat enim sibi illos dari honores. quum verò, appropinquasset, tum iuuentutis illius magister qui ea omnia componebat, coronam virgámq; gerens, factus obuiam venientibus, vbi Demetrium (is enim erat Pompeij libertus) dimiserint rogat & quando ipse venturus sit? tum Catonis beneuoli in risum omnes

omnes effusi sunt. Cato vero, ô miseram, inquit, ciuitatem. ac præteriit.

L. Lucullus, quum de victoriis in oriente partis triumphasset, ociósque se dedisset, ædificiísque plurimis circa Neapolim constructis, ædes etiam in Tusculano haberet speciosis thalamis deambulacrísque perornatas, ex quibus ceu è speculis vndique circunspici poterat: accusante Pompeio, quòd æstate optimè accommodatas, inhabitabiles hyeme fecisset: ridens Lucullus, Num tibi, inquit, Pompei, minus quàm grues aut ciconiæ mentis habere videor, vt non pariter cum tempore habitationem quoque permutem?

Nemine apud eundem cœnante, dapibúsque non in Apolline, vt dicebat: sed modestè paratis à dispensatore, eum ad se vocatum obiurgauit. Cui ille, non putabam, inquit, quum solus cœnaturus esses, sumptuoso tibi opus esse conuiuio. quid ais? Lucullus inquit: an ignorabas penes Lucullum hodie cœnaturum esse Lucullum?

Mithridates Eupator currus aureos argenteósque habuit, translatos Romam in triumpho Pompeij.

Verres ideo ab Antonio proscriptus est, quòd Corinthiis ei cessurum negauisset. Cyrus apud Xenoph. quum in mensa Astyagis aui multas patinas vidisset, ô aue inquit, quot negotia habes in cœna?

Antonio in cœnis luxuriante, ac dicente Cleopatræ, quid magnificentius astrui posset? respondit illa, vna se cœna sestertium centies absumpturam. cupiebat videre id Antonius. sponsionibus igitur factis, cœnam quotidianam Antonio apposuit: sed irridente illo, solam se mox 100. sestertia cœnaturam pollicetur. inferri igitur mensam secundam iubet, atque vas, in quo ex præcepto acetum esset: detraxitque vnionem è duobus omnium nobilissimum, maximúmque, quos in auribus gestabat: atque aceto liquefactum absorbuit. iniecit alteri manum: sed L. Plautius iudex victum Antonium pronunciauit.

L. Lucullus excíso etiam monte iuxta Neapolim maiore impendio, quàm villam ædificauerat, euripum & maria admisit. qua de causa Magnus Pompeius Xerxem togatum eum appellabat. quadraginta millibus illius piscinæ, defuncto illo, venire pisces.

M. Lælius Strabo equestris ordinis, primus Brundusij auiaria instituit, inclusis omnium generum auibus. ex Plin. apud Varronem Lenius legitur.

Lucullum eundem tunc forte per ocium in foro sedentem, Cicero Pompeiúsque conuenere. Salutato igitur illo: Volumus, ait Cicero, apud te cœnare hodie, ea conditione, vt nihil noui nostra causa parari iubeas. subrecusabat Lucullus, in posterúmque diem conuiuium differebat. Illi verò quum neque dilationem, neque cum suis collocutionem Lucullo permitterent, vocato cuidam è familiaribus: In Apolline, inquit, hodie cœnabitur (id enim erat vnum ex maximis Luculli cœnaculis) Quum igitur Pompeius Ciceróque ad cœnam venissent

sent, obstupuerunt ob tantam epularum copiam, óbque celeritatem apparatus.

Seruilius Rullus, solidum aprum primus Romanorum in epulis apposuit.

Diogenes Cynicus à luxurioso minam petebat. à quo quum rogaretur, cur ab aliis obolum, ab se minam peteret: Quia, inquit, ab aliis omnibus demùm me accepturum spero: à te verò an rursus accepturus sim, in deorum situm est potestate. Epicurus dicebat, Viue hodie. quod mutuatus Martialis est.

Scaurus in ædilitate theatrum fecit, opus omnium maximum: scena ei triplex altitudine 360. columnarum: pars scenæ è marmore fuit, media è vitro, summæ tabulis inauratis columnæ, vt diximus: imæ duodequadragenum pedum. Signa ærea inter columnas tria millia fuere. Cauea cepit hominum 80. mil. Fuit autem hic Scaurus Syllæ priuignus, filius Metellæ. Gemmásque plures, quod peregrino appellant nomine Dactylothecam, primus habuit Romæ.

C. Curio in patris funere theatra duo fecit ampliſsima è ligno, cardine singulorum versatili suspensa libramento: in quibus vtrisque antemeridiano ludorum spectaculo inter sese aduersis, ne inuicem obstreperent scenæ, & repentè circumactis vt contrà starent: postremo iam die discedentibus tabulis, & cornibus inter se coeuntibus, faciebat amphitheatrum, & gladiatorum spectacula edebat, populum Ro. circumferens Plin.

Iuliæ Augusti filiæ vir grauis, suadebat, vt ad patris exemplum se componeret. cui illa ait: Ille obliuiscitur se Cæsarem esse, ego memini me Cæsaris filiam.

Quum lupus piscis commendaretur, qui in Tyberi inter duos pontes tantum caperetur, M. Philippus apud hospitem Cassini cœnans, appositum è vicino flumine lupum degustauit, expuítque, probrum factum dicto etiam prosequutus: Peream, inquit, nisi piscem putaram.

Verus imperator tam perditæ luxuriæ homo fuit, vt etiam postquam redierat è Syria, popinam domi instituerit, ad quam post conuiuium Marci diuertebat: ministrantibus omni genere turpium personarum. Fertur & nocte perpeti alea lusisse.

Maximus iunior imp. aurea lorica exemplo Ptolemæorum vsus est: item argenteo clypeo gemmato, inaurato, & hasta inaurata. fecit spatas argenteas & aureas, & galeas gemmatas.

Luxu taxantur milesij. Apicius, de quo dictum est. Aesopus tragœdus, & filius, de quo suprà. Apud Græcos Abron. item Persæ. Horat. Persicos audi puer apparatus. Caligula imperator in vestitu calceatúque luxurioſiſſ. Luxuriæ peregrinæ origo ab exercitu Asiatico in vrbem inuecta est, ait Liuius.

Ephesij Hermodorum, qui frugi erat, expulerunt, dicentes: Nemo nostrum frugi esto, alioqui cum aliis eiiciatur. Quam ob rem Heraclitus

clitus dignos esse Ephesios omnes strangulari, qui Hermodorum frugi eiecerunt dicebat:

Aristippus aliquando delectatus vnguento: Male, inquit, istis effœminatis eueniat, qui rem tam bellam infamauerunt.

Q. Catulus primus, spectantium consessum velorum vmbraculis texit. Claudius Pulcher primus scenam varietate colorum adumbrauit. C. Antonius argento, Petreius auro, Q. Catulus ebore, L. & Cinna versatiles fecerunt. M. & Decius in funere patris primi gladiatores ediderunt. Statuam auratam primus M. Attilius Glabrio patri erexit.

Fabricius Lucinius Cornelium Rufinum duobus consulatibus & dictatura speciosissimè functum, quòd decem pondo vasa argentea comparasset, senatu priuauit. M. Antonius & L. Flaccus Duronium senatu mouerunt, quòd legem de coercendis conuiuiorum luxibus latam tribunus plebis abrogauerat.

C. Licinius Hoplomachus à prætore petiit, vt bonis interdiceretur patri, tanquam illa dissipanti: post patris verò mortem breui omnia luxu perdidit.

Antiochus rex Syriæ luxuriam eius exercitus imitatus, magna ex parte clauos aureos crepidis subiectos habuit, argenteáque vasa ad vsum culinæ comparauit. Meritò igitur Lucanus ait:

--O prodigia rerum.
Luxuries, nunquam paruo contenta paratu
Et quæsitorum terra pelagóque ciborum
Ambitiosa fames, & lautæ gloria mensæ.
Discite, quàm paruo liceat producere vitam:
Et quantum natura petat. non erigit ægros
Nobilis ignoto diffusus consule Bacchus.
Non auro murrháque bibunt: sed gurgite puro
Vita redit, satis est populis fluuiúsque Cerésque.

Heraclius imperator quum esset Hierosolymis cum expeditione, crucem Christi ferens eo vico, per quem Caiphæ prætorio Iesus à Pharisæis satellitibúsque fuerat attractus, venit ad portam, qua exitus est ad Caluariæ locum. turba quæ Heraclium præcedebat, exierat: ipse verò nullo nixu potuit porta exire. Tum patriarcha, qui lateri adhærebat, suasit, vt depositis iaspidibus ornatúque imperatorio, Christum in vestibus æmularetur vilioribus. Id quum fecisset; pedibus nudis facili negocio transiit, crucémque in Caluariam detulit. Hinc factum est, vt omni deposito ornatu discalceati, crucem in commemoratione passionis Dominicæ Christiani adorent.

Cœlius quidam adeò fuit intemperans, luxuriosúsque, vt ex omnibus bonis venditis, dilapidatísque, vix tantum soli posidendum sibi reliquerit, quantum ad sepulchrum sufficeret. Vide titulos de Gula ac Voluptate.

DE LEGIBVS. XXXIIII.

REAuſanias Pliſtonactis filius, cuidam interroganti, cur ex priſcis legibus nullam mouere Spartiatis liceret: Quia leges, inquit, hominum, non homines legendum dominos eſſe oportet.

Anacharſis non magis feſtiuè quàm verè leges aranearum telas vocabat: vtpotè qui infirmiores muſcas detinerent, maiores aues tranſmitterent: hoc eſt, quia inopes tantum legibus puniuntur, diuitibus potentibúſque pecuniarum vi elabentibus.

Draco Athenienſis, quòd leges nimis aſperas Athenis ſanxiſſet, vt etiam capite puniretur, qui ocij damnatus eſſet, aut qui olera fructúſq; furripuiſſet: Demades facetè, Draconem ait non atramento, ſed ſanguine leges deſcripſiſſe. Cato apud Liuium: Nulla lex ſatis commoda omnibus eſt. Plato dicebat, virorum bonorum cauſa leges factas, ne ipſis iniuria inferatur, quum ipſi non inferant.

Maſſilienſes, ait Strabo lib. 4. Geograph. omneis mortales legum æquitate ſuperant, conſilium ex centumuiris conſtituentes.

Solon, qui Draconis leges emendauit, legem tulit, vt ſi vir ad rem veneream non eſſet idoneus, liceret vxori mariti propinquos admittere. dicam diffuſius in capite de Vxoribus.

Idem Solon verſibus leges conſcripſit. Turduli antiqui Hiſpaniæ populi, leges verſibus conſcriptas ſex annorum millium habuiſſe traduntur. Hæc ideo appoſui, vt ſi qui ſunt leguleij, qui poëtas dilacerant, intelligant poëticæ dignitatem, atque oratoriæ. Pragmaticos appellatos comperio, qui parua mercede iura oratoribus ſuggerebant. Cic. lib. primo de Orat. Itaque non vt apud Græcos infimi homines mercedula adducti, miniſtros ſe præbent in iudiciis oratoribus, ij qui apud illos pragmatici vocantur.

Illo ſeculo, inquit Seneca, quod aureum perhibetur, penes ſapientes fuiſſe regnum Poſsidonius iudicat: ij continebant manus, & infirmiores à validioribus tuebantur. & ſubdit: ſed poſtquam ſubrepentibus vitiis in tyrannidem regna conuerſa ſunt, opus eſſe cœpit legibus. De regibus Cic. à Poſsidonio mutuatus, idem ait in Officiis: Addam illud, ne videar iuriſperitos odiſſe tantam autoritatem datam eſſe apud Ro. Mutio Scæuolæ, vt nemo penè Romæ auderet eo inconſulto teſtamentum condere. Vitium igitur non eſt artium, ſed artificum: nec odi in ea eruditione doctos modeſtóſque, ſed audaculos quoſdam nimium ſibi aſſumentes, humanáſque literas non laceſsitos dilacerantes. Nam vt cæteros taceam, quos diligo: Antonium ciuem meum iureconſultiſsimum, dimidium animæ ita amo, vt nulla prorſus ad beneuolentiam fieri poſſet acceſsio: nec iureconſulti nos lacerant, ſed inconſulti & indocti, qui neſciunt artes literarias inter ſe connexas eſſe, & gyro quodam contextas.

Leguna

Legum latores Draco apud Athenienſes, poſt hunc Solon. Apud Lacedæmonios verò, Lycurgus: nec ſcriptas, qua rhetras dixerunt. Tulit apud Locros leges Zaleucus: Charundas Catinenſis: ciuibus ſuis Thuriis, cæterisque Chalcidicis ciuitatibus, quæ ſunt circa Italiã Siciliámque: Philolaus Corinthius Thebanis, item Pittacus: item Androdorus Rheginus Chalcidenſibus, qui ſunt in Thracia. item Phiton Corinthiis. Moſes Iudæis leges, qua ſacras vocarunt. Sed de ſacris legibus non eſſe mentionem habendam, optimè oſtendit exemplum Theopompi hiſtorici, Theodectique poëtæ quorum ille quum in hiſtoria vellet legum ſacrarum meminiſſe, triginta diebus mente conſternatus eſt: hic verò niſus in aliquo drachmateorũ meminiſſe, quæ in diuino volumine continentur, oculis obſcuratis cauſam cæcitatis cognouit. Sed de legum latoribus abundè in commentariis diximus Inſtitutionum: quos Scipioni nepoti tuo, adoleſcenti elegantiſſimo, & bonorum ſtudiorum diligentiſſimo cultori, qui ab ineunte ætate ſpem magnam de ſe pollicitus eſt, atque in omni ætate maiorem nobis pollicetur, dedicauimus.

DE LVSCIS. XXXV.

APpius in Sextium Luſcum ita iocatus eſt: Cœnabo, inquit apud te: vni enim locum eſſe video. ſcomma in oculum fuit. Retorſit Sextius in Appium repetundarum reum: manus, inquit, laua, & cœna.

Timon Niceus luſcus erat, & luſcus item Dioſcorides eius diſcipulus. ad eum qui aderat, cunctáque admirabatur, feſtiuè, Quid, ait, non miraris, quia tres quum ſimus, quatuor tantum habemus oculos?

Philippus Macedo luſcus fuit, Annibal, Sertorius, & Antigonus. cuius oculi amiſſi deformitatem vt cælaret Apelles, illius imaginem late re tantum altero oſtendit.

Theocritus Chius, quum ad Antigonum quaſi puniendus raperetur, ſolantibus amicis, ac pollicentibus ſpem, quòd omnino regis clementiam eſſet experturus, quum ad eius oculos veniſſet: vrbanè, ad Antigoni luſcitiẽ alludens ille, Ergo ait impoſſibilẽ mihi dicitis ſpem ſalutis.

DE LAVDIBVS ET GLORIA. XXXVI.

DEſcennius Niger imperator, quendam panegyricum recitare volentem inhibuit. Scribe, inquit, laudes Marij, vel Annibalis, vel alicuius optimi, ducis mortui, atque quid illi fecerint explica, vt nos imitemur: nam viuentes laudare irriſioeſt, præſertim imperatoris à quibus ſperatur, qui timentur, qui præſtare publicè poſſunt, necare, proſcribere.

Themiſtocles verò theatrum petens, quum ex eo quæreretur, quod

acroama

acroama aut cuius vocem libẽtiſsimè audiret? eius, ait, à quo ſua virtus prædicaretur.

Antiſthenes, quum ei à quodam diceretur, quod à multis laudatus eſſet: Quid, inquit, mali feci?

Archidamus Ageſilai filius, quum à Philippo poſt pugnam Cheronenſem aſperiorem accepiſſet epiſtolam. reſcripſit: Si vmbram tuam metitus fueris, nequaquam inuenies maiorem illam factam, quàm eſſet antequam viceris.

Demetrius Phalereus, dicenti cuidam, Multi te laudant: reſpondit, id quod Antiſthenes ſuprà.

Veſpaſianus imperator triumphi die defatigatus tarditate & tedio pompæ, non reticuit: meritò ſe plecti dicens, quòd triumphum quaſi aut maioribus ſuis debitum, aut ſperatum vnquam, ſibi tam ineptè ſenex concupiſſet.

Alexander Macedo in Phrygiam vectus, Achillis ſepulchrũ nactus, coronis ornauit: fœliceméque Achillem vocauit, quòd viuo quidẽ tam fidum amicum, mortuo autem tam magnum contigit habuiſſe præconem, vt dixi in cap. de Amicitia. Horat. Tu ſola animos mentémque peruris Gloria. Silius: fax mentis honeſtæ. Simonides apud Xenoph. Eas ait laudes dulciſsimas eſſe arbitror, quæ ab homine libero proficiſcuntur. Theophraſtus ait, honeſtatis innatam cupiditatem laudibus confirmari. Ouid. Laudatáque virtus creſcit. Cicero ad Brutũ: Præclara quidem ſunt illa ingenia, quæ gloria excitantur.

Antiocho vadum fluminis experienti, renuit alioqui elephantorum agminis dux ſemper tranare: tum pronunciatum, eius fore principatum qui tranſiſſet. auſum Patroclum, ait Plin. de Eleph.

Columbis quidam eſt gloriæ intellectus. ſuos enim colores varietátemque diſpoſitam mirantur: atque in cœlo ex volatu plaudunt, variéque ſulcant: qua oſtentatione præbentur vt victæ accipitri, implicatis ſtrepitu pennis, qui non niſi ipſis alarum humeris eliditur. alioqui ſubito volatu multo velociores, ſpeculatur occultus fronde latro, & gaudentes in ipſa gloria rapit.

Laudum quidam appetentiſsimus, vt omnibus hominibus ſe notum faceret, Dianæ Epheſiæ templum incendit. ſed Epheſij decreto ſanxerunt, ne quis eius nomen memoriámve vnquam referret. Superea re iocus inualuit cuius Cicero meminit. ait enim: Timæum quendam dixiſſe, ea nocte qua incenſum eſt templum, natum eſſe Alexandrum: addidiſſéq; non eſſe mirandum quòd Diana quum in partu Olympiadis adeſſe voluiſſet, domo abfuiſſet.

Labienus exerceri in declamationibus volebat, gloriari faſtidiebat. Cicero de Finibus: Quid turpius, quàm ſapientis vitam ex inſipientium ſermone pendere?

Martialis in iactuoſum veſtiúmque oſtentatorem:

Vndecies vna ſurreſti Zoile cœna,
Et mutata tibi ſyntheſis vndecies:
Sudor inh æreret madida ne veſte retentus,
Et laxam tenuis redderet aura cutem.
Quare ego non ſudo: qui tecum Zoile cœno?
Frigus enim magnum ſyntheſis vna facit.

Apud Græcos polion herbam inclytam muſei & Heſiodi laudibus ad omnia vtilem prædicantium, ſuperq; cætera ad gloriam & dignitatem. Euplea etiam perunctos tradunt commendationis eſſe famæ. ex Plin. His adde titulum de Ambitione.

DE LENOCINIO. XXXVII.

PHiloxenus maritimę oræ præfectus, Alexandro Maced. ſcripſit, puerum in Ionia eſſe incredibili formæ venuſtate, ac ætatis flore excellenti. rogat igitur, num vellet vt puerum ad ſe mitteret. tum Alex. reſcripſit: Hominũ ſceleſtiſsime, ecquid vnquam quicquam huiuſmodi in me animaduertiſti, qui mihi hiſce lenocineris obſequiis?

Ballio leno in Plauti Pſeudolo, quum ſuaſiſſet Calliodoro, vt viginti minas patri ſurriperet, amicè Phœnicio erogandas, dixiſſetque Calliodorus, Egon patri ſurripere poſſum quicquam cauto ſeni? atq; adeò ſi facere poſſem pietas prohibet. Facetè Ballio reſpondit, Audio: pietatem iſtam amplexator nocte pro phœnicio.

Crobilus leno, duo ſcorta domi habens, non modò lenociniis adoleſcentes compilabat, ſed etiam furto.

Vetilius leno, hæres relictus à nobili adoleſcente, hæreditatem à Q. Metello prætore, prohibitus eſt ſumere.

Cloſſopetra linguæ ſimilis humanæ, in terra non naſci putatur, ſed deficiente luna cœlo decidere: hæc lenocinanti neceſſaria eſt. Plinius.

Lenocinij quidem crimen lege Iulia de adulteriis præſcriptum eſt, quum ſit in eundem maritum pœna ſtatuta, qui de adulterio ſuæ vxoris quid acceperit, & in eum qui adulterio deprehenſam retinuerit: ait Vlpian. libro 48. Digeſt. Ad quod alluſit. Iuuenalis: Vbi nunc lex Iulia, dormis? licet ad omnia adulteria ſe extendat.

DE LVDIS ET SPECTACULIS. XXXVIII.

LVdus & ſi ab omnibus bonis viris damnatur, tamen ſi citra auaritiam, ſeruatóque & tempore & modo exerceatur, non omnino damnandus eſt: quod tum Horat. qui non luſiſſe pudet, ſed non incidere ludum, ait, oſtendit: tum virorum bonorum exempla, quæ ſequuntur.

Socrates literariæ diſciplinæ quietem aliquando interponebat. Is enim

enim suppositа cruribus arundine, puerorum equitem imitantiũ more inuentus, ab Alcibiade risus est. Agesilaum id etiam fecisse, in capite de filiis dictum est.

Cæsar pila lusit. vnde cum eo aliquando Cæcilius ludens, quum ab eo quinquaginta sestertia tantum accepisset, colluſoribus aliis donatis centum: quid, inquit, Cæsar est? an vna ego manu ludo? Scæuola pila optimus luſor: Trigonalis verò Polybius quidam ex Martiale. Cicero etiam Ticinium quendam studiosè pila lusisse ait. Mecœnas & Q. Galba, latrunculis luſores, Nouius, Publius & Paulus, ex Martiale. ex Seneca, Canus Iulius. Alea Cato Portius lusit, Domitianus, & Claudius, qui etiam librum huius artis emisit: item Verus imperator. Augustus, qui ad Tyberium in hunc modum scribit: Inter cœnam heri & hodie lusimus. Talis enim iactatis, vt quisque canem aut senionem miserat, in singulos talos, singulos denarios in medium conferebat: quos tollebat vniuersos, qui Venerem iecerat. Ex aliis literis. In quinquatriis, ait lusimus per omnes dies. ego perdidi 20. millia nummũm. sed quum effuse in lusu liberalis fuissem, vt soleo plerunque: nam si quas manus remisi cuiq; exegissem, aut retinuissem quòd cuique donaui, vicissem vel 50. millia: sed hoc malo. Dionysius tyrannus studioſe etiam pila ludebat.

Lydi ob rerum caritatem, quo facilius famem tolerarent, aleam inuenisse traduntur, & pilæ lusum præter talos.

Ludorum autem gladiatoriorũ originem hanc fuisse comperio, ait Capitolinus in Max. multi aiunt apud veteres hanc deuotionẽ contra hosteis factam, vt ciuium sanguine litato, specie pugnarũ se Nemesis, id est, vis quædam fortunæ satiaret. Alij, quod verisimilius credo, ituros ad bellum Rom. debuisse pugnam videre, & vulnera, & ferrum, & nudas inter se cohorteis, ne dimicantes in bello armatos hostes timerent, & vulnera & sanguinem perhorresceret. Cæterum pòst in funeribus alii ísq; ludis adhibebantur adspectacula gladiatores, qui non ex ciuibus Rom. sed ex seruis emptis constabãt: nam empti serui alebantur, docebantúrq; à lanistis in Rauenna: quoniam is locus ad erudiendum visus est lanistis aptior, sed alibi quoq; alebãtur. Ex iis alij Thraces, alij Samnites, quòd illi Thracia, hi Samnitica vtebantur armatura: alij qui Gallica, mirmillones nuncupati. de ludis verò Circensibus, aliiq; nihil apponere libuit, ne essem longior instituto,

Diocletianus imperator, dicente quodam à rationibus eius, Chari editionem theatralium ludorum multum placuisse: ergo, inquit, bene risus est imperio suo Charus?

Scæuola in ludo 12. scruporum, quum prior calculum promouisset, essetque victus, dum rus tendit, repetito totius certaminis ordine, quo dato errasset recordatus, rediit ad eum quicum luserat, iisque ita factum confessus est.

Senatusconsultum vetuit in pecunia ludere, præterquam si quis certet

certet hasta, vel pila, iaciendo, vel currendo, saliendo, luctando, vel pugnando, quod salutis causa fiat: ait Paul. libro 11. Dig.

DE LICENTIA. XXXIX.

PVblio Nasicæ consuli, Granius præco medio in foro quum ille edicto iustitio domum descendẽs, interrogasset Granium, quid tristis esset, an quod auctiones essent? licenter Granius, quòd legiones, inquit.

Idem Granius tribuno plebis potentissimo homini M. Druso, sed multa in Rempublicam molienti, quum ille eum saluta sset (vt fit) dixissetque, quid agis Grani? respondit: imò verò Druse quid agis?

Appius maior, quum ageretur in senatu de agris publicis, déque lege Thoria, & premeretur Lucilius ab iis qui à pecore eius agros publicos depasci, & de lege dicerent: facetè, non est inquit, Lucilij pecus illud, erratis: ego liberum puto esse, quà lubet pascitur.

L. Lucullus obiecta sibi magnificentia villæ Tusculanæ, duos se habere vicinos respondit: superiorem equitem Romanum, inferiorem libertinum.

Democharis Athenienſium legatus, cum aliis ad Philippum Macedonem venerat, audita benignè legatione, Philippus ait. Dicite legati, quid facere possum, quod sit Atheniẽsibus gratum? excepit, vt erat procaci lingua Democharis: te, inquit, suspende. pepercit Philippus, eúmq; dimisit. commotis autem legatis ob intempestiuam linguam, ait Philippus: nunciate Athenienſibus, multo elatiores videri, qui ob ingenij impotentiam his non parcunt, quàm qui impunè dici sinant. Is Democharis ob linguæ procacitatem Thersites vocabatur.

Quum aliquando coram Dionysio quæreretur, quale esset optimum genus æris: Illud, inquit Antipho, ex quo Harmodij & Aristogitonis statuas erexerant Athenienses; sed is à Dionysio cæsus est.

L. DOMI

L. DOMITII BRVSONII LVCANI FACETIARVM EXEMPLORVMQVE Lib. IIII. ad Mecœnatem.

DE MVLIERIBVS. I.

MVlierum ingenia si velim Mecœnas scriptis complecti, opus in immensum excresceret. Itaque visum est paucula quædam exempla, eademq; (vt mos illarum est) in vtranque partem varia adducere: si prius illud addiderim, illis, si bonæ sint (si qua fortè inueniri potest) nihil elegantius: sin malæ, nihil pestilentius esse. De iis Anneus Seneca ait: Apertè quum mala est mulier, tum demum est bona.

Siculus quidam, dicente familiari, vxorem suam suspendisse se de ficu: facerè. Amabo, inquit, da mihi ex ista arbore quos seram surculos.

Diogenes Cynicus, mulieres quæ ex oliua se suspenderant quum vidisset: Vtinam, inquit, arbores cæteræ fructum huiusmodi tulissent.

Idem intuitus mulierem in lectica: Non secundum feram ait esse caueam.

Cæsar quum ad Cleopatram in Aegyptum accessisset, eáque solo Apollodoro Siculo comitata, paruulum ingressa lembum, regiam adnauigasset. nulláque se alia via occultare posset, nouum sceleris genus commenta est. nam in culcitra loris circũligata se occulens, ab Apollodoro per fores ad Cæsarem perducta est.

Helenam præsentibus Græcorum legatis illam repetentibus dixisse aiunt: se non inuitam nauigasse, neque sibi cum Menelai matrimonio conuenire. ex Dycti. Apud Homerum rursus illi incesit cupido Menelai.

Senatoribus mos olim fuit curiam cum prætextatis filiis introire. quum verò in senatu res maior quæpiam consultaretur, eáque in diem posterum prolata esset, placuit vt nemo quá rem tractassent pronunciaret, priusquam decreta esset. mater Papyrij pueri, qui cum parente in curia fuerat, percontatur filium, quidnam patres in senatu egissent, respondente illo, rem tacendam esse, nec pronunciari licere: sit audiendi auidior. Silentium pueri animum euerberat: rogatur compressius. tum puer, vrgente matre, lepidi ac festiui mendacij consilium capit. Actum in senatu ait, vtrum videatur vtilius, magísque è Republica esse vnúsne vt duas vxores haberet, an vna duobus nupta esset. Hoc vbi illa audiuit, animo pauens, domo egreditur, cæteras matronas conuenit, rem

ait, rem nunciat. Postridie ad senatum copiosæ matrumfamilias cateruæ confluunt, lachrymantes atque obtestantes orant, vna potius vt duobus nupta fieret, quàm vni duæ. Senatores ingredientes curiã, quid illa mulierum intemperies, & quid sibi postulatio istæc vellet mirabantur. Papyrius re patefacta, à senatu deosculatus est: ac posthac sancitum, ne cui prætextato potestas, præter quàm Papyrio, curiam esset ingrediendi.

Dyrce Lyci Thebanorum regis vxor, priorem viri vxorem Antiopam, ne fortè in Lyci gratiam rediret, in Cytherone claudi custodiríque iussit, sed à Zeto Amphionéque filiis liberata est, Lycúsq; occisus, Dyrce cauda indomiti tauri alligata est.

Cybele Atyn puerum ardens monuit, ne cum alia congrederetur. qui quum forte coisset cum Sagarithide nympha, ab irata Cybele primò castratus est, deinde in pinum conuersus.

Ptolemæus moriens vxori Cleopatræ regnum, & alteri ex filiis quem mater elegerit, legat: mater ad minorem natu, vt fit, inclinans, à populo tamẽ maiorẽ constituere cõpellitur, cui priusquam regnum daret, iubet repudiare vxorẽ Cleopatram illi charissimam, eandémq; sororem, atque minorem sororem Seleucem ducere. Cleopatra verò Cyriceno in Syria nubit: ad maritúmq; exercitum Cypri sollicitatum adducit. Cyricœnus verò in bello victus, Antiochiam confugit, tum Gryphus Antiochiam, in qua erat Cleopatra, obsedit: ea capta, Gryphina Gryphi vxor nihil habuit antiquius, quàm sororem Cleopatram nanciscì, & quanquam repugnãte orantéque Grypho, ne id faceret, immisit milites, qui sororem in tẽplo confoderent (nam ad aras confugerat) qui venientes quum euellere eam non possent, manus deæ simulachrum amplexantes præciderunt: sed nec multo pòst Cyricenus reparato bello victor, Gryphinam cõprehensam, Cleopatræ vxoris manibus parentauit. Causa autem qua inducta Gryphina in sororem est, ea fuit: quoniam Cyricœno hosti Grypho marito, quamuis fratri, nupserat, exercitúmque parauerat. Quanta igitur laus debetur Mecœnas fratriæ tuæ, Margaritæ à montibus, quæ quatuor filiorum mater neminem in amore præponit, sed parilem vnicuique præstat patriã pietatẽ. Possum tacere huius matronæ cæteras animi dotes: sed quis tacebit singularem prudentiam, honestatem, pudicitiã, & (quod est in mulíere rarissimum) liberalitatem, animíque magnitudinem? ea est, cui meritò illa Enniana virago attribui debet.

Poppea, quæ postea Neronis vxor fuit, quærens sibi matrimonium, & Octauiæ dissidium fieri, quod fieri non speraret incolumi Agrippina, crebris in eam criminibus vsa est, aliquando per facetias principem Neronem pupillum vocabat: qui iussis alienis obnoxius, nõ modò imperij, sed etiam libertatis indigeret.

Cleopatra Demetrium virum Seleucúmq; filium indignata, quòd occiso eius patre, ab illo iniussu suo diadema sumpsisset, occidit. Au-

gustinus: Mulier,ait,est muscipula animæ, latro vitæ,suauis mors, blanda percussio,pernicies delicata,rosa fœtens,malum libens.

Parisatis Artaxerxis mater,quum inuisum haberet Metasabatem, qui mortis Cyri particeps fuerat,occasionem perdendi eunuchi nacta est,cum Artoxerxe enim ludens,pacta est,vt victori liceret quę vellet expetere,cadentibus igitur ex voto talis,victoria potita,Metasabatem accepit atque priusquàm rex in suspicionem incideret, tortoribus ad supplicium tradens,viuum pelle nudari,actribus palis affixum,corpus diuaricari iussit,& in alio palo seorsum pellem suspendi.

Antipater constitutus ab Alexandro Macedoniæ præfectus, quum ad Alexandrum scripsisset Olympiadis matris ineptias atque importunitates:commotus Alexander,ait:grauem pensionem pro mensibus decem,quibus in vtero eius fuisset,matrem à se exigere.

Septitia filiis irata,Publio seni admodum nupsit,vtróque testamẽto pòst præteriit.sed Augustus hæreditatem filiis restituit,dotémque viro tribuit,quia non creandorum gratia filiorum nupta erat.

Messalina Claudij vxor,quum Silium palàm adamaret,Claudiúsq; Hostiam ob timorẽ se recepisset,donec prospiceret rebus suis,& adulteris pœnas intenderet:illa adulto autumno simulachrum vindemiæ per domum celebrat, vrgeri præla,fluere lacus,& fœminæ pellibus accinctæ assultabant,vt insanientes Bacchæ.Ipsa crine fluxo thyrsum quatiens,iuxtáque Silius hedera vinctus, gerere cothurnos,iacere caput,strepente circum procaci choro.

Dibutadis Sicyonij figuli filia,iuuenis amore capta, illo peregrè abeunte,vmbram ex facie eius ad lucernam in pariete lineis circumscripsit,quibus pater eius impressa argilla typum fecit.

Symiamira Heliogabali mater, ab Antonio Caracallo stuprata, cum Heliogabalo filio meretricio more viuens,omnia in aula turpia exercebat.sed occisi vno eodémque tempore sunt.

Pheron rex visu orbatus,ex oraculo monitus,vt vrina mulieris quæ virum suum tantũ experta esset,oculos lauaret,ita videndi vsum recepturus:quum vxoris suæ,plurimarúmq; vrinas ad oculos adhibuisset, nihilo magis cernebat:quibus concrematis in vrbe Erythrabolo,vnius expertus vrinam,cernendi sibi vim restitutã sensit,eámq; duxit vxorẽ. ex Herodoto li.2.Fuit autem Sesostris regis filius.Diodorus verò lib.1. Sesosis Aegypti regis filius amisso oculorum vsu,decem post annos somnia expertus,responsum accepit,vt placato Deo qui in Heliopoli coleretur,faciem mulieris inspiceret,quæ nullum nisi proprium nosset virum.ab vxore primum incipiens,quum multas expertus esset,nullam reperit incorruptam.præter hortulani cuiusdam,quam visu restituto,vxorem duxit,reliquas verò omneis viuas combusit.

Sabini vxor mala cupidine vidẽdi castrorum situm pernoctem militari habitu ingressa, quum vigilias & cæteras militiæ munera eadem lasciuia tentasset,in ipsis principiis stuprum passa est.

Sasia

Sasia Appula mulier in Melini generi amorem incidit, victáque tandem ardoribus,in cõcubitum appetiit.paulóque pòst tempore gener repudiata Cluentia Sasiæ filia,socrum duxit vxorem.

Medæa Iasonem ardens,& thesauros patri abstulit,& fratrem vnà adductum in frusta dissecuit,atque membra qua parens persequerẽtur dissipauit:vt eorum collectio dispersa,micrórque patrius,celeritatem persequendi retardaret.

Terentia post Ciceronis repudiũ nupsit Salustio,illi inimico :& demum Messalæ.

Beronice,post Herodis viri patruíque mortem , cum fratre coiisse insimulata est:copulatúmq; matrimonio Palemonem Lyciæ regem, paulo pòst quia libidini non satisfaceret(vt aiunt)dimisit.

Augustus quum depræhendisset ornatrices canos è capite Iuliæ fi-liæ legentes,vidisse dissimulauit.post paulùm verò filiam interrogat: Vtrum post aliquot annos cana esse mallet,an calua?respondente illa, se malle esse canam:quid ergo,ait,hæ te caluam faciunt?

Idem Augustus conscius adulterij eiusdem Iuliæ,admiratus quomodo similes Agrippæ viro filios procrearet,quæ tam vulgo potestatem corporis sui faceret:Nunquam enim,ait illa,nisi naui plena tollo vectorem.

Populia Marci filia,miranti cuidam ac dicenti,quid esset in causa, quod bestiæ nunquam iniri cuperent,nisi statis temporibus?respõdit, bestiæ enim sunt.

Dionysius tyrannus senior matri,quæ quãuis anus,marito tradi vellet:Ciuilia,inquit,iura violari possunt,naturæ non possunt.Seneca de Remed.fortui. Nihil tam mobile,quàm fœminarum voluntas:nihil tam vagum.Nouimus veterũ matrimonia,repudia,& fœdiores diuortio male cohærentiũ rixas.quã multæ quos in adolescentia amauerũt, in communi reliquerunt senectute?quoties anile diuortium risimus?

Pisistratus Athenienſium tyrãnus,quum à quopiam accepisset,matrem ardere adolescentem,illum alioqui timidum pauidúmque,ac obfacti conscientiam renuentem,ad cœnã vocauit:cœnatúmq; interrogauit,quomodo fuisset acceptus?illo autem,Opiparè dicente:Talia,inquit,quotidie tibi erunt,si matri meæ rem gratam feceris.

Val.Martialis:

Quæro diu totam Sophroni Ruffe per vrbem,
Siquæ puella negat,nulla puella negat:
Tanquam fas non sit,tanquam sit turpe negare:
Tanquam non liceat,nulla puella negat.
Casta igitur nulla est.castæ sunt mille.quid ergo
Casta facit?non dat,non tamen illa negat.

Phanius quidam quum vxorem parum pudicam haberet, adulteriique suspectam,fores ita occlusit,vt nonsine strepitu possent aperiri:sed bona mulier adulterum per tectum admittebat:

Apuleius lib.7.ait,puellam virginẽ raptam à latronibus,primùm pauefactam,mox venerem expertam, inter latrones ipsos scortari,ac sponte lacessere.

Eurydice Amyntæ vxor,non modò ob generi concubitum de perdendo viro cum adultero cogitauit:sed paulo pòst Alexandrũ,Alexandri magni patruum suum,per insidias occidit.nec multo pòst alium Perdicam,propter idem libidinis incestúsque scelus.

Laodice soror vxórque Mithridatis magni,absentem diutius virum quum obiisse putaret,in amicorum concubitus proiecta,venientẽ virum post longam peregrinationem veneno conficere tentauit.sed deprehenso ab ancilla scelere,Mithridatíque patefacto,in authorem facinoris vindicatum est.

Quartilla apud Arbitrum Petronium ait,Minor est quàm ego fui, quum virum passa sum:Iunonem meã iratam habeam,si me vnquam meminerim virginem fuisse:nam infans cum paribus inquinata sum, & subinde prodeuntibus annis maioribus me pueris applicui.

Iuno,quo die Græci Troianíq; pugnaturi erant,meditata quo pacto Iouem falleret,compta ad maritum in montem Idæum agentem accedit:si fortè captus ille formæ venustate,cum vxore coëat,& inter amplexus animo oculísque irriget soporem.quo facto Iuno Troianis infesta,magnam attulit calamitatem.vt verè dictũ sit ab Ouid.nulla penè pacto odium mulierum posse satiari,illo carmine,Vix Priamus tanti.In quo interpretes viri quidam literati multa enarrant,quæ mihi non placent: sed vnius commatis interpositione locus sit clarior.Sic enim distinguendũ puto:Troia iacet,certe inuisa Danais.hoc est,Græcis ipsis propter diuturnum bellum:puellis verò adeò inuisa,vt quamuis Priamus obierit,Troia euersa fuerit,nondum inuidiæ,satisfactum sit.atque illa dictio Puellis sit emphatica.quod ita esse interpretandum,illa dictio Certè admonet:quæ si aliter legatur, ineptam esse omnes intelligent.Iuno apud Vergilium lib.7.Num capti potuere capi?& subdit,Odiis aut exaturata quieui?

Amata Latini regis vxor,ob promissam Lauiniam filiam Aeneæ: non modo per vrbem vagata est ceu Baccha,sed duos etiam filios qui Aeneæ assentiebant,occidit.

In oratione quam habuit Cato apud Liuium in mulieres,ornatum pristinum ex lege Oppia sublatum reposcentes: Maiores quidem nostri,ait,nullam ne priuatam quidẽ rem agere feminas sine autore voluerunt:in manu esse parẽtum,fratrum,virorum:nos,si diis placet,iam Remp.etiam capessere eas patimur.date frenos impotenti naturæ & indomito animali.

Sampson quum Dalidi puellæ atque amicæ multis lachrymis roganti ostẽdisset,se vires habere in coma:scelerata mulier vt amatorem hostibus proderet,dormienti comam totondit: vnde captus Sampson occæcatus est.

Duæ

Duæ ad Solomonem mulieres sociæ de conuersatione conuenerant,atque ex illis altera ita incipit:Habitamus,ô rex,ego & hæc vnà in domo,contigit autẽ ambabus vt eadem hora pareremus.exacto triduo dormiens hæc,filióq; incubans suffocauit:meúmq; tollẽs viuum, suum mihi dormienti mortuum apposuit.repentẽs ego mane filium proprium,ac nõ recipiens,ad tuam opem aduolaui.his dictis,quæsiuit ab altera,an velit quippiam allegare?qua negãte quid fecisse:dicentéque filium viuere:qui aderant,admirãtibus,reíq; euentum expectantibus,rex viuum mortuúmq; adduci ad se iussit:vocatóq; milite,mandauit in duas partes vtrumq; dissecari,vt vtraque dimidium haberet. quæ viuentis mater non erat,consilium approbat.vera autem mater exclamat,ne id fiat,sed vt potius infantulus viuus sociæ dedatur.Rex huic viuum tradit,explosa altera matre supposititia.

Tullia,Seruij Tulli regis filia,Tarquinij Aruntis vxor,quum diutius virum sollicitasset,vt parentẽ eius occideret,tandem vxoriis exagitationibus victus Tarquinius socerum occidit.vt sciuit Tullia,festinabunda ad virum euolans,carpẽto vehebatur:sed is qui iumenta agebat,succusis frenis quum cõstitisset:requisita causa moræ à Tullia,vt comperit in causa fuisse deprænsum in via parẽtis cadauer:scabellum vbi sedebat,in aurigam impegit, iussitque vehiculum supra parentis corpus deduci,vt ad parricidæ complexum celerius veniret.

Obsidentibus Capuam Romanis,in qua Annibalis erat præsidium, quidam Numidæ transfugas se esse assimulantes,ad castra Romanorum venerunt,redituri cum literis ad Annibalem.sed vnius transfugæ scortum in castra Romanorum veniens,imperatori rem indicat:atq; transfugæ pœnas dant,præcisis manibus.

Fuluia nobilis Romana,qua cum Q.Curius consueuerat adulterari,exagitata tum adulteri inopia,tum ferocia atque insolẽtia,consulibus Catilinæ coniurationẽ,cuius Curius complex erat, indicat.atque per huius indicium,supplicium de coniuratis sumptum est.

Conss.M.Claudio Marcello & T.Valerio,ingẽti pestilentia Roma laborante,ancilla quædã Q.Max.Fabio ædili causam pestis indicaturam affirmat.data fide ancillæ,Ex venenis,inquit,quæ mulieres cõcoquant,pestẽ oriri.quod si inuestigent,extemplò deprendẽt.secuti indicem,& coquentes medicamenta,& recondita alia inuenerunt:quibus in forum delatis,ex 20.matronis,apud quas deprensa erãt,per viatorẽ accitis,duæ ex illis Cornelia & Seruilia,vtraq; patriciæ gentis,quum medicamenta salubria esse cõtenderent : ab confutante indice bibere iussæ:repẽte interierunt.Cõprænsæ extemplò comites,magnum matronarum numerum indicauere:ex quibus ad 170.damnatæ.

Pontia duos filios,quo adultero satisfaceret, veneno sustulit.meminit Iuuenalis ac Martialis.

Milesiam quandam mulierem memoriæ teneo, inquit Cicero pro A.Cluentio,quod ab hæredibus secundis accepta pecunia,parum

sibi ipsam medicamentis abegisset, rei capitalis esse damnatam. meminit Tripho. lib. 10. digest.

Pagana lege in plerisque Italiæ populis cauetur, ne mulieres per itinera ambulantes, torqueant fusos, aut omnino detectos ferant: quoniam aduertatur id omnium spei, præcipuè frugum: ait Plin.

Mulier menstruata Mosaicis ex legibus septem diebus arcebatur à templis: itémque & parturiens. Fœminarum testimonium, propter leuitatem procacitatémque, nullum esse voluit. Fœminas omnes quæ duplices pupillas habent, visu nocere.

Non procul à Ligeris amnis exitu, insulam paruam esse in pelago: eam Samnitarum mulieres habitare, Bacchi numine afflatas. insulam virum nullum ascendere: cæterum mulieres ipsas traiicientes viris commisceri, rursúsque reuerti. ex moréque templum eodem die detegunt, iterúmque tegunt ante solis occasum. vnáque pondus efferentes, cuius verò pondus exciderit, eam ab reliquis dilacerari ait, Strabo lib. 4.

Derbices fœmininum nullum edunt, anus strangulant. Euripidem mirum in modum mulieribus exosum fuisse aiunt.

M. Antonius cum Cleopatra piscans, iusserat vrinantibus, vt hamo Cleopatræ piscem affigerent. non latuit res illam. iubet igitur vrinanti, vt Antonij hamo piscem fumo saléque asseruatum suffigerent. Arundinem itaque Antonius quum sustulisset, piscem illum sustulit non sine omnium risu. Tum Cleopatra comiter: relinque, ait, imperator calamum nobis Canopeis & Phariis regibus. non enim hæc est tua præda: sed vrbes, littora, reges, nationes.

Non magis lepidè quàm verè apud Plautinam Aululariam Eumonia Megadoro fratri dicenti, Da mihi optima fœmina manum: respondit, Vbi ea est? quis est optima?

Idem Megadorus eidem sorori suadenti, vt vxorem duceret: quum dixisset Occidi: itaque illa subdidisset, quid ita? quia misero inquit, crebrum excutiunt tua dicta soror: lapides loqueris.

Lycurgus legum lator, quum virginum corpora cursibus, luctis, iaculorum discorúmque iactibus exercenda censuisset, rogatus quid ita instituisset: vt stirps, inquit, eorum qui gignerentur, validum in valentibus corporibus principium sumens, bene germinaret.

Gorgo Leonidæ Spartani vxor, dicente hospite quadam: sole vos Lacænæ viris imperatis: respondit, Nos equidem solæ viros parimus.

Damatria Lacæna, quum audisset filium & timidum, & se indignum aduenisse, necauit. Altera Lacæna filium qui ex acie fugerat necauit: dicens, non est meum hoc germen. Altera, quum filium in acie cecidisse audisset, constanti animo: Timidi, ait fugeantur: ego verò te fili sine lachrymis ac læta sepelio, & meum, & Lacedæmonium. Altera aduenienti filio, quidnam, ait, in patriam facturus venis? dicente illo, omnes periisse: correptam testam in ipsum immisit, occidítque, dicés: Ergo te malum nuncium misere nobis? Alia, filio iniuriarum accusato, fili

to, fili, inquit, aut crimine aut vita teipsum absolue. Gorgo Cleomenis regis filia, quum Aristagoram à famulo calceari vidisset: pater, inquit, hospes iste manus non habet? Alia filio dicenti, se paruum habere ensem: Adde, inquit, gressum.

Cimbris à Mario victis, ad Caudium locum in Venetia, eorum vxores quum missa ad Marium legatione libertatem ac sacerdotium non impetrassent: suffocatis, elisisque passim infantibus suis, aut mutuis vulneribus concidére: aut vinculo è crinibus facto, in arboribus iugísque plaustrorum pependerunt.

In vltimo Carthaginis excidio, quum Asdrubal Scipioni se dedisset, vxor eius quæ paucis ante diebus de marito minimè impetrare poterat, vt ad victorem transfugeret: se flagrantis in medium vrbis incendium duobus cum liberis ex arce præcipitauit. Hippo Græca, ne in hostium ditionem veniret, capta classe in mare profiluit.

Aquileia ab Attila capta, Dugna mulier in vrbis angulo habitans, ne in hostium manus peruenirent, turrim domui imminentem, à flumine Vatissa in radicibus verberatam, conscendit, atque obuoluto capite in fluuium se dedit præcipitem.

Laurum vrbem Sertorio oppugnante, mulier comprehensa militi digitis in obscœna immissis oculos eruit: ex Appiano. Plutar. verò in Sertorio, Latonium vrbem appellat.

Nero recordatus, Volusij Proculi indicio Epicharim libertinam attineri: ratúsque muliebre corpus impar dolori, tormentis dilacerari iubet: at illam non verbera, non ignes, non ira, eo acrius torquentium ne à fœmina spernerentur, peruicére, quin obiecta denegaret. sic primus quæstionis dies contemptus. postero, quum ad eosdem cruciatus traheretur, gestamine sellæ (nam dissolutis membris insistere nequibat) vinculo fasciæ, quam pectori detraxerat in modum laquei, ad arcum sellæ restricto indidit ceruicem, & corporis pondere connixa, tenuem iam spiritum expressit.

Quintilia venusta, amicáque multorum, quum iussu Caligulæ torqueretur, vt coniurationis in se habitæ complices patefaceret, antequam ad tormenta duceretur, vnius ex consciis pedem calce premens, vt considerent ostendit, neque tormentis timerent. laudatur Leena in cap. de Constantia.

Victis ab Alexandro Thebanis, dum ciuitas grauissimis agitatur calamitatibus: miles quidam excisa Timocliæ domo, clarissimæ sanè pudicæque matris fam. fortunas diripit: illorum verò dux ipsam pervim constupratam diligenter interrogat, sicubi aurum argentúmve defossum haberet. Ea verò se habere confessa, cum in hortum adduxisset, & puteum ostendens, ibi vrbe capta ait opes pretiosissimas depositas esse: inclinatum militem, locúmque accuratius considerantem, ponè constituta mulier voluit in caput, eúmque saxis occidit.

Monima Milesia Mithridatis regis vxor vitam tristem duxerat: vt

potè quæ superbum pro marito dominum, pro regia barbaram sibi custodiam ac prope carcerem comparauerat. ad eam Mithridates rex fugiens Lucullum victorem misit Bacchidem eunuchum, monens vt antequam in Luculli potestatem veniret, occideret vnà cum altera vxore Veronice Chia. Monima auulsum à capite diadema quum collo alligasset, misera se appendit: sed quum ex corporis grauitate ille laqueus confringeretur, ô execrandum, inquit, diadema, ne quidem in tam tristi ministerio mihi profuisti, atque super id despuens, Bacchidi præbet se occidendam. Veronice verò venenum paratum cum matre partita, quæ supplex partem petierat parum proficiente ad mortem veneno, extincta matre, à Bacch. suffocatur.

Semiramis audita Babylonis defectione, vt erat circa cultum capitis occupata, parte crinium soluta accurrit. nec prius decorem capillorum in ordinem, quàm vrbem in potestatem redegit.

Lacæna mulier proficiscenti ad bellum filio, scutum tradens: Hoc, inquit, tibi pater semper seruauit.

Quum quidam Lacænæ sorori mortem filij generosam nunciasset: quantum, ait, ex ipso gaudij concepi, tanto propter te dolore afficior, quod tam præstantem comitem reliqueris.

Pyrrho oppugnanti Spartam, ad vrbis tutelam tanta mulierem multitudo conuenit, vt non fortius victus quàm verecundus recederet

Mulieres barbaræ, Senonum Vindelicorum Brennorúmque vxores à Claudio victorum, deficientibus telis, infantes afflictos humo in ora militum aduersa miserunt.

Mulieres Scythicæ, rem ipsæ rusticam exercent, ipsæque viris ministerium exhibent. item & in Hispania. Posidonius tradit hospitem suum Carmoleum ei commemorasse, virum quendam genere Massiliensem, homines fœminásque in agro Ligustico data mercede ad agri fossionem vnà conduxisse. vnam autem, vt partus dolores vexare cœperunt, non procul ab opere discessisse: enixámque confestim opus repetisse, ne mercedem amitteret: ipsum verò soluisse mercedem, operísque fecisse immunem. Elatum igitur tollens illa infantulum, fonticuli cuiusdam lauit aquula. Mulieres Tapyriatræ, vestes gerunt & comas breues. Sauromatæ, mulieribus ceu dominis obsequuntur. Lycij non è patribus, sed è matribus cognomenta assumunt.

Apud Baleares adeò sunt in precio, vt mulierem à prædonibus captam tribus aut quatuor redimant viris.

Hector Homericus Andromachæ vxori ne concederet ad pugnam dissuadenti: Tu verò quòd ad te attinet, ait, domum, & quæ tibi curanda sunt, cura: telam & colum, ancillásque exerce.

Hecuba apud Homerum, Hectorem lactauit: Andromacha Helenáque textrices, apud eundem. regis Lestrygonum filia aquatum it. quanto nostris moribus meliores?

Pyrrho grauiter vrgente Spartam, Lacedæmonij per noctem mulieres

lieres in Cretam mittere decreuerant: sed ipsæ contra dixerunt. quarum Archidamia cum gladio in senatum venit, viros oblocuta: An viuendum illis foret, Sparta euersa? Deinde contra hostium castra vallum ex curribus faciunt: vt impetui elephantorum resisterent. Eos verò qui pugnaturi erant, iubent corpora curare: Cleonis autem seorsum ab aliis laqueum parauerat, ne vrbe capta in Cleonymi potestatem viua veniret.

Orgiagontis Gallogræcorum regis vxor, à centurione stuprum passa, custodiam euasit, reuulsúmque militis caput ad maritum retulit. ex Floro. apud Liuium Orisgontem legimus.

C. Imperator regem Agrippam constituit tetrarchiæ Philippi scilicet, & alterius Lysaniæ: Herodias soror Agrippæ inuidere cœpit. Herodémque maritum Galileæ tetrarcham verbis, precibus, stimulis, lachrymisque agitat vt Romam accedat, si possit regnum sibi forte adiudicari. Annuebat Herodes, & impensas damnáque anteponebat. Herodias verò vrgebat etiam atq; etiam: deberi enim sibi dicebat regnum, quia regis filius fuisset, & frater eius qui tetrarchiam tenebat, ac iure sibi potius deberi quàm fratri. Mouerunt vxoris stimuli Herodem. Romam itaque cum vxore nauigat. Res non latuit Agrippam. misit igitur libertum Fortunatum cum literis ad Caium, in quibus scriptum erat: Herodē habuisse consilium cum Seiano contra Tyberiū, & cum Artabano Partho contra Caium. Indicia esse armorū maximam copiā, quę in armamento Herodis erant. Vocatur Herodes: fatetur de armis, priuatur tetrarchia sua, quæ attribuitur additúrque Agrippæ: atque ipse cum Herodia vxore malaconsultrice in exilium agitur, in Galliam Lugdunensem. Merito Homerus, nihil esse muliere pestilentius ait.

Lacon qudam, quum vxorem satis perpusillam duxisset, rogatus quid ita fecisset? facetissimè, E malis, inquit, quod minimum esset, esse eligendum. Archidamus verò rex pecunia mulctatus est, quòd vxorem pusillam duxisset.

Mart. in tonstricem amatores expilantem:

Tonstrix Suburæ faucibus sedet primis,
Cruenta pendent qua flagella tortorum,
Argique lætum multus obsidet sutor.
Sed ista tonstrix Amiane non tondet:
Non tondet, inquit. quid ergo facit? radit.

Aeneas apud Hom. Achilli ait: Sed quid nobis contentione & iurgiis opus est mulierum more, quæ perturbatrice animi ira in media vicinia vera simul & falsa obiicientes contendunt?

Siginnorum mulieres in aurigatione à pueris se exercent. quæ optimæ sunt, cuicunque volunt nubunt: ferúntque, nonnullas earum curare, vt capite longissimo frontéque exporrecta videantur.

Quum aliquando quadraginta virginibus Lacedæmoniorum Messenij vim inferre tentassent, nulla ad stuprum consensit: sed omnes

pro pudicitia libentissimè occubuêre.

Nicanor, obtritis Thebanis, captiuam amans, coniugem expetebat. sed illa manu sibi mortem consciuit.

Thebana virgo Macedonē militē, à quo fuerat stuprata, paulisper dolorē dissimulans, iugulat dormientē, atq; in sepulchrū ferrū vertit.

Nicerati coniux, occiso viro, ne à triginta tyrannis violaretur, mortem sibi consciuit.

Mulieres quæ causam dixerunt, hæ sunt: Arnesia, quæ adulterij postulata, causam suam ipsa in foro dixit. Laronia, apud Iuuenalem. Hortensia, Hortensij oratoris filia. Item C. Afrania, quæ improborum morum mulieribus C. Afraniæ nomen cōmodauit. Cicero de claris oratoribus: Legimus, inquit, epistolas Cornelię matris Gracchorum. auditus est nobis Leliæ C. filiæ semper sermo; vidimus filias eius Mutias ambas, & neptes Licinias ambas. Sempronia, Catilinæ fautrix, latine & græcè erudita, psallere & saltare, quàm deceret, elegantius edocta: cui nihil minus charum fuit, quàm decus aut pudicitia. Philosopha verò mulier Areta, Aristippi Cyrenaici filia. Leontium meretricula contra Theophrastum scripsit. Sappho poëtria, Corynna quæ Pindarum lyrico certamine superauit. Item Erinna Teia poëtria Sappho contemporanea. Charixena, Theano apud Locros: item Mœro, Telesilla, poëtrię: & Cornificia Romana, poëtria: Agallis grammatica, Lasthenia & Axiothea Phliasia Platonis discipulæ, Dama Pythagoræ filia, Aspasia, Diotima, Targelia. lege in cap. de Oratoria. Ausonius Sabinam poëtriam celebrat: Diodorus Socraticus quinque filias habuit dialecticas. Fuit & Musea poëtria insignis, cuius meminit Lucianus.

Xerxes Greciæ bellum illaturus erat. Demaratus Lacedęmoniorum rex, qui apud illum exulabat, Græciæ magistratus, omnia in tabellis ligneis perscripsit, easdémque cera inducta operuit, fidóq; seruo Lacedæmoniis asferendas dedit: quæ diu quæstionē omnibus attulêre. Herētibus igitur omnibus in ea re viris, soror Leonidæ regis consiliū scribentis inuenit erasa cera. Mendū est in Iustino, Demactus pro demaratus.

Antea Prœti vxor, quum Bellerophontem ardens, ad concubitum pellicere non potuisset, amorem in odium vertens, apud maritum questa est, quòd esset à Bellerophonte de stupro interpellata. Prœtus igitur ad Eurien socerum conficiendum destinat.

Senis cuiusdam concubina, quum filium huius ad stuprum allicere non posset, apud senem questa est de stupri interpellatione. Amator credulus vesanúsque filium è tecto præcipitat. sed mox pœnitens, laqueo vitam finiuit, concubina in puteum se dēiecit.

Peleus, quum fratrem Phocum occidisset, ob patris seueritatem ad Magnetas profugus, ab Acasto cæde fraterna expiatus est. sed quum Hippolyte Acasti vxor Peleum arderet, frustráque illum de stupro interpellasset, apud virum insimulauit: quare Acastus in Pelio monte, Peleum reliquit à centauris occidendum. sed adiutus est à Chirone.

quamob

quamobrem comparato exercitu, Acastum regno spoliauit, vxorémque supplicio affecit. de Phædra lege in cap. de Nouercis.

Ioseph ab Aegyptiis negociatoribus venditus, Putiphari ab epulis regis Pharaonis amatus, Putipharis vxore non potuit allici ad concubitum: iniustum putans esse, domino, à quo bene ageretur cum eo, iniuriam facere. eo vehementius cœpit mulier ardere. tandemque, quum neque precibus neque lachrymis pellicere illum posset, vim parat. sed in complexu vestem ille fugiens reliquit. mulier igitur verita, ne apud virum quereretur Ioseph, ipsa conqueritur de concubitus interpellatione: vestem, quo fidem dicto faceret, ostendens. quam ob rem Ioseph in carcerem coniectus est.

Timasion Aegyptius, quum nollet nouercæ amori facere satis, insimulatus ab illa apud patrem est.

Mulierum pudicarum officium silentio præterire, ingrati omnino esset animi. addam igitur exempla pauca. Fatua Fauni vxor tantæ pudicitię fuit, vt eam nemo quoad vixerit, præter virum suum, mas viderit. ex Lactantio.

Zenobia ne virum quidem nisi propter conceptum admittebat: expectabátque post coitum, conceptionis signum, quod si non sequutum esset, alteram quærendi liberis copiam dabat. Pudicissima fœmina semel iudicata est, matronarum sententia, Sulpitia Paterculi filia, vxor Fuluij Flacci, electa ex centum præcipuis è populo, quæ simulachrum Veneris ex Sibyllinis libris dedicaret. Iterum religionis experimento Claudia, inducta Romam deorum matre.

Rhadamistus victus ab Heluidio Prisco, quum fugeret, secúmque vxorem grauidā haberet: illa continua festinatione ex vteri concussione, viscerumque vibratione defatigata, maritum orat, vt morte honesta captiuitatis contumeliis eximatur. Ille primò amplecti, alleuare, adhortari, modò virtutem admirans, modò timore æger, nequis relicta potiretur. Postremò distringit acinacem, vulneratámque adripam Araxis trahit, flumini tradit, ne corpus auferatur.

Antonia Drusi vxor, post viri mortem cum socru Liuia vitam constantissimè duxit.

Melanion quidam ob mulierum odium in solitudinem, vno comitatus cane, secesit, atque per nemora feras insectatus, nunquam ad reditum in patriam persuasus est.

Menon apud Platonem lib. 4. Mulieris, inquit, virtus est, domum rectè gubernare, dum custodit domestica, viróque obedit.

Thoxenæ exemplum est in capite de Constantia, Quum Philippus: & Portiæ, & Lygus.

Strato Sidonis regulus, ne à Persis imminentibus captus ludibrio foret, ferrum strinxerat, vt in se conuerteret. sed pauidus, hostium vim debatur aduentum expectare. quod conspicata vxor, acinacem extorsit, ac latus confodit. compositóque cadaueri, ferrum in se quoque

vertens

vertens superiniecit.

Lucianus in asinum conuersus,à muliere pluribus noctibus in concubitum productus est. postea verò quàm in hominem est restitutus, vt nudus in lectulo ab illa visus est,expulsus atque contemptus est.atque quærenti causam Luciano ait: Equidem arbitrabar te asini speciem solam deposuisse,insigne illud quòd dilexeram retinuisse:tu verò in simiam conuersus,quod solum pulchrum videbatur,amisisti. atque illum in malam crucem abire iussit.

MALA SIBI APPORTANS. II.

CAmarina palus quum olim exiccata, pestilentiam vrbi proximæ Camarinæ attulisset, consuluerunt oppidani oraculum,an illam penitus exiccarent.prohibēte quamuis oraculo,exiccarunt.sed mox hostes ea parte qua vrbs palude tutabatur ingressi,vrbem capiunt.

Carpathiorū in insula lepores non erant, importarunt accolæ aliūde. sed tanta mox leporum multitudo excreuit, vt insulæ fruges omnes sint populati.

Aquila sagitta vulnerata,aspiciens calamum pennis ipsius armatū, dixisse fertur:hæc non ab aliis,sed pennis propriis capimur. Simile in Platonis est Hippia,vbi Socrates ait:sapientem in primis sibiipsum sapere oportere.Ennius prouerbialiter:Sapiens, ait, qui sibiipsi prodesse nequit,nequicquam sapit.Seneca in Prouerbiis:Bis interimitur,qui armis suis perit. Phyllis Ouidiana ait, Heu patior telis vulnera facta meis.Triorchim è genere cētaureę,qui ferat,rarū est vt se nō vulneret.

C.Licinius Stolo à M.Popilio Lenate sua lege decem millibus æris damnatus est,quòd mille iugerum agrum cum filio possideret, eúmque emancipando fraudem legi fecisset.

Q.Varius contra eos qui ad arma socios incitassent,grauem legem tulit.sed ille post seditiones concitatas,laqueo appensus est.

Solon dicebat,si vnum in locum cuncti mala sua contulissent, futurum vt propria deportare domum, quàm ex omni miseriarum aceruo portionē suā ferre mallēt.Id mutuatus Herodotus,libro 7. recitat.

MAIORIBVS CEDENDVM. III.

NOn esse cum maiorib. contendendum, Aesopus fabulator admonet in apologo qui est huiusmodi:Leo,asinus & vulpes societatem inierant,vt quod venatu cepissent, in commune partirentur.nactus prædam leo, iubet asinum partiri.asinus (vt est asinus) in tres pares portiones diuidit.indignatus leo,illū dilaniat: vulpémq; partiri iubet. illa omnem ferè prædam leoni attribuit,sibi paucula seruans, leo cōprobata partitione,

rogat,à quo partiendi illam artem esset edocta. & vulpes, Ab asini,inquit,calamitate. Seneca in lib.2.de Ira ait: Nam cum pari contendere anceps est,cum superiore furiosum,cum inferiore sordidum.

Augustus Fescenninos versus in Pollionem scripserat.at ego, inquit Pollio,taceo:non enim est facile in eum scribere,qui potest proscribere.vt est etiam dictum in cap.de Linguæ ratione.

Laberium asperæ libertatis equitem Rom.Cęsar quingentis millibus inuitauit,vt produceret in scenam,& ipse ageret mimos, quos scriptitabat.sed potestas non solum si inuitet,sed etiam si supplicet, cogit. Seneca in Prouerb.Fulmen est,vbi cum potestate iracundia habitet.

Hadrianus imperator,quum esset oratoria versuq; doctissimus,professores tamen omnium artium risit,tanquam doctior,& obtriuit. Fauorinus philosophus quuū Hadriano cessisset verbū reprehendenti,arguentibus amicis quòd malè cessisset illi in verbo quod idonei authores vsurpassent,respondit: Non rectè suadetis familiares, qui non patimini me illū doctiorē omnibus credere,qui habet triginta legiones.

Afer egerat causam contra Claudij Cęsaris libertum.è diuerso quidam cōditionis eiusdē,cuius erat litigator,exclamasse fertur: Tu semper in libertos Cæsaris dicis.nec mehercule, ait ille, quicquā proficio. prouerbium est,in expuentis excidit barbā, quod in cœlum expuitur.

Dion in dialogo Philippi & Alexandri, ait Philippum ad Alexandrum dixisse: Atqui poētas bonos & graues rerum scriptores offendere non debemus,quòd de nobis dicendi quę volunt habent facultatem. non omnem,inquit Alexander.nam Stesichoro, quod de Helena mentiretur,non fuit vtile.

Thamitio cantandi peritus,Musas ausus prouocare, à stomachatis musis,& voce & catandi peritia, & communi etiam sensu priuatus est. ait Hom.

Iupiter apud Homerum,Iridem misit Neptuno Troianis infesto, vt nunciaret,vt à bello abiret, nec eius intercederet voluntati. Neptunus verò nuncio commotus,Iridi ait,vt Ioui nuncier,terram esse omnibus communem:ne velit timorem mihi incutere,sed isto imperio in filios filiásve vtatur,velint nolint imperaturo obedient. sed respondens Iris, Visne,ait,vt istæc Ioui renunciem,an sententiam retractas?retractant enim bonorum mentes sententias suas. rectè, inquit Neptunus, Irimones.

Cleones in oratione apud Athenienses:Et alioqui natura comparatum est, vt obnoxios sibi quisque contemnat, non obnoxios admiretur.ex Thucydide.

Artaxerxes Aclidæ Lapsoni multa in eum licenter dicenti, respondit:Licere illi quæ vellet in regem dicere,sibi verò dicere ac facere.

DEMI

DE MEMORIA. IIII.

CYrus rex omnibus in exercitu suo militibus nomina reddidit. L. Scipio pop. Rom. Cyneas Pyrrhi legatus, senatui & equestri ordini: Romæ postero die quàm aduenerat, & circũfusæ etiã senatui plebi. Themistocles omniũ ciuiũ nomina perceperat, ait Cato apud Cicer. in Senectute. Mitridates duarum & 20. gentiũ rex totidẽ linguis iura dixit: pro cõcione singulas sine interprete affatus. Charmidas quidã in Græcia quæ quis exegerit volumina in bibliothecis legẽtis modo repræsentauit. Hadrianus nomina plurimis sine nomẽclatore dixit. Crassus ait: Quintus ille diues, quũ Asię præesset, quinq; Græci sermonis sic tenuit differentias, vt qua quisq; apud eũ lingua postulasset, eadẽ ius sibi redditum ferret. Theodectes semel auditos, quamlibet multos versus, protinus reddidit. Cic. in Tusc. Simonidem, Theodectem, Metrodorum, Hortensium laudat. Memorię ars ab Simonide inuenta est, cõsummata à Metrodoro. Apud Plin. Carmides legitur pro Carneade. Seneca in declamationibus gloriatur se vsq; ad miraculũ memoria vsum, nam duo millia hominum recitata, quo ordine erant dicta referebam, ait: & ab iis qui ad audiendum præceptorem nostrum conuenerant, singulos versus ad singulos datos: quum plures quàm ducenti efficerentur, ab vltimo incipiens, vsque ad primum recitabam. Hortensius prouocatus in auctione, persedit diẽ totum, & omneis res & precia & emptores ordine suo recensuit, argentariis recognoscentibus ita vt in nullo falleretur. Portius latro, quæ scribebat cum impetu, omnia pòst referebat: In historiis aliquem iubebat nominari ducem, cuius acta statim cursu reddebat. Iulius Cæsar scribere, legere, simul dictare, & audire solebat, epistolásque tantarum rerum quaternas librariis dictabat, aut si nihil aliud ageret, septenas Hippas apud Plat. quinquaginta nomina semel audita se recitaturum pollicetur.

Appius Claudius, quũ se apud Scipionem iactaret omnes Romanos posse memoriter nominatim; salutare: at ille, benè inquit, narras: ego enim non vt multos cognoscerem: sed ne ab vllo ignorarer adnixus sum.

Themistocles Atheniensis, pollicitante quodam, se artem memorię edocturum: doctorem rogauit, quidnam illa ars efficere posset, dicente illo, vt omnium meminisset: gratius sibi, ait, illum esse facturum, si se obliuiscí quæ vellet, quàm si meminisse docuisset.

Memoriæ autem obliuiosæ legimus fuisse Claudium imperatorẽ, qui occisa vxore Messallina, paulò pòst quàm in triclinio decubuit, cur domina non veniret requisiuit: Multos ex iis, quos capite damnauerat postero statim die & in consilium & ad aleæ lusum admoueri iussit, & quasi morarentur, somniculosos per nuncium increpuit.

Valerius Martialiis in Rhetorẽ Apolloniũ, nullius memoriæ virũ.

Quin

Quintum pro Decimo, pro Crasso Regule Macrum,
Ante salutabat rhetor Apollonius.
Nunc vtroque suo resalutat nomine, Quintum
Cura labórque potest, scripsit & edidicit.

Curio pater quum tria proposuisset, aut quartum addebat, aut tertium quærebat. Idémq; quum pro Seruio Neuio contra Ticiniũ Cottam dicere vellet, subitò totam causam oblitus est: idq; veneficiis, cantionibusque Ticiniæ factum esse dicebat.

Caluisio Sabino memoria tam mala fuit, vt illi modò Vlyssis, modò Achillis, modò Priami nomẽ excideret. Atq; is multos seruos emit, quorũ alter Homerum, alter Hesiodum memoria teneret: nouémque lyricis nouem seruos assignauit, vt per illos aliquid scrire posset.

Atticus Herodis philosophi filius, tam memoria nulla fuit, vt oportuerit patrem viginti pueros secum educare, quibus literarum singulis singula nomina imposita erant, vt illo modo literas disceret.

Augustus nomenclatori suo, sed nullius alioqui memoriæ, dicenti, nunquid ad forum mandas? accipe, inquit, commendaticias literas, quia illic neminem nosti.

Lacertis nullam esse memoriam. Lupus ceruarius quamuis in fami mandens, si respexerit obliuiscitur ciborum, digressusq; alium quærit. Picas constat victas emori, difficultate verbi: ac nisi subinde eadem audiant, memoria falli. in aure ima locus memoriæ est: quem tangentes attestamur. In Bœotia ad Trophoniũ deum, iuxta flumẽ Orchomenũ, duo sunt fontes, quorum alter memoriam, alter obliuionem affert.

DE MAGISTRATIBVS, AC Reipub. administratione. V.

SCipio Aemilianus, quum in censura Mumium effœminatum virum collegam haberet, festiuè grauitérque pro rostris dixit, se ex maiestate Reipub. omnia gestúrum, si sibi Quirites vel dedissent collegam, vel non dedissent.

Chrysippus rogatus, quare ad Rempub. non accederet: quia, inquit, si malè administrauero, deos: si benè, ciues habebo iratos. Dromocliden verò & Stratocles, mutuò se ad messem aureã inuitabant. sic enim vocabant tribunal atque curiam.

Pericles quum Sophoclem in prætura collegam haberet, ac simul aliquando nauigassent, collaudassetq; Sophocles formosum puerum, Non solum, inquit, ô Sophocles, prætorem manus, sed oculos etiam decet habere continentes, Cic. in Epist. ad Q. Fratrem: Constantia, ait est adhibenda, & grauitas quæ resistat non solum gratiæ, verum etiam suspicioni. adiungendaetiam est facilitas in audiendo: in satisfaciendo & disputando diligentia.

In Si

In Simandij regis monumento admirabili,circunstantibus triginta,prætor iudicandi princeps in medio sedebat, à cuius collo suspensa veritas penderet,oculisque esset subclausis,vt pote in pectus spectantibus huiusmodi pictura prætor iudéxque admonebatur, solam veritatem esse spectandam.ex Diod.lib. .In Aegyptiorum verò iudiciis,ait, eligebant principem è triginta, qui donabatur aurea à rege cathena: & qui signum variis ornatum lapillis,collo suspensum,quod veritatem appellabant,haberet.

Epaminundas dicebat, non modo magistratu virum ostendi, sed magistratum viro.

Carneades quum in senatu dixisset,neminem consulem, neminem prætorem,imperatorem esse,nisi sapientem.Aulo Albino, qui tũ prætor erat, audiente, subridens Albinus: Ego tibi Carneade prætor esse non videor,quia sapiens non sum?Democritus dicebat, melius esse regi,quàm regere malos homines.

Fabius quum legatus ad Suessulam venisset filio Fabio consuli,obuiámque patri filius progrederetur, lictoréque verecundia maiestatis eius anteirent taciti: prætor 12.fasces equo prouectus senex, vt consul animaduertit, proximum lictorem misit, & vt is descenderet ex equo conclamauit,qui desiliens,Experiri,inquit,volui ô fili, satin scires consulem te esse.

Videtis,inquit Cicero lib.3.de Legibus,magistratus hanc esse vim, vt prosit,præscribat quæ recta sunt,& vtilia,& coniuncta cum legibus: vt enim magistratibus leges,ita populo præsunt magistratus:verèque dici potest, magistratum legem esse loquentem, legem autem esse mutum magistratum.

Anaxilaus Lacedæmonius rogatus,cur Ephori nõ assurgãt regibus, præsertim ab ipsis constituti:Eadem,inquit,causa qua Ephori sunt.

Vespasianus ex Africæ magistratibus nihilo rediit opulẽtior.M.Lollius infamatus regum muneribus,in toto oriente interdicta amicitia, à C. Cæsare Augusti filio venenum bibit.

Caninius creatus est consul pridie calendis Ianuarij,mortuo altero ex consulibus,De more : non enim licebat etiam diem vnum esse sine Coss.Ad quem congratulandi gratia euntibus multis,per iocum Cicero:Maturemus,inquit,vt hominem ante sui consulatus exitum præueniamus.Illud addendum ex Vlpiano 2.Digest. pridie Calend. Ianuarij magistratus nec ius dicere,sed nec sui potestatem facere cõsueuerunt. quod si ita est,superuacuum erat consulem eligere, & tanto magis ridendus Caninius.

In eundem Cicero ita iocatus est : Pròdii immortales, quàm vigilantem consulem habemus,qui in consulatu suo ne semel quidẽ somnum cepit.Creabantur enim consules calendis Ianuarij.

In Vatinium,qui paucis diebus gesśit consulatum,Cicero vrbanissimè iocatus:Magnum ostentum,inquit,anno Vatinij factum est, quòd illo

illo consule,nec bruma,nec ver,nec æstas,nec autumnus fuit.

Eodem Vatinio,apud Ciceronem querente,quòd grauatus esset domum ad se infirmum venire:volui in consulatu tuo venire,sed nox me comprehendit,ait.

In Caninium eundem,qui vt dictum est,vno die consul fuit.M.Vocacilius iocatus est.Ante,inquit flamines,nunc conss.diales fiunt.

Alexander Seuerus imperator,magistratus nunquam vendi passus est,addens illud:necesse est,vt qui emit vendat.

Antisthenes rogatus,quomodo ad Remp.capessendam sit eundum: velut,inquit,ad ignem,ne nimis admotus exuraris,procul amotus,frigescas.

Pythagoras à fabis abstinendum esse censebat,id est,non esse in re ciuili exercendum,propter suffragia quæ fabis dabantur: ait Plutar. Licet Gellius aliter dicat:sed operæpræcium est inserere Pythagoræ mystica dicteria,Haud dandã vnicuiq; dexteram,id est,ne statim amicitias admittamus.Ignem non esse ferro feriendum,id est,non esse furentem irritandum.Cor nõ edendum,id est,tristitiæ non succumbendum.Cibos in matulam nõ collocandos,id est,non esse vtendum eruditis sermonibus apud homines rudes improbósque.

Plutarchus in libello de Ciuili institutione, monet celeritate vtendum ad comparandam authoritatem atque potentiam,ita enim liuorem effugi. Ariston dicebat nec ignis concipit fumum,nec gloria parit inuidiam,si vtrumque celeriter emicuerit.

Scipio,quum ab eo quidam vetus assectator è numero amicorum non impetraret,vt præfectus in Africam mitteretur,idq; ferret moleste:noli,inquit,mirari si tu hoc à me non impetras.Ego iampridem ab eo,cui meam æstimationem charam esse putabam,diu peto vt præfectus proficiscatur,& adhuc impetrare non possum.

Petente consulatum Catone,Seruius Sulpitius erat competitor,admirantibus cunctis Seruij ingratitudinem,ob plurima à Catone beneficia accepta.Non admirandum,inquit Cato,si quod quis maximum bonum esse putet,alteri non concedat.

Ab Appio proconsule,cum quo in Cretã Sabinus venerat,in Theatro Græci postulare cœperunt,vti Sabinus maximum magistratũ gereret(Mos autem erat barbam & capillos, magistratui Cretensium submittere)surrexit Sabinus,& silentio manu facto:Hunc magistratum,inquit,ego Romæ bis gessi,per scomma lusit,nam bis reus causam dixerat Sabinus.

Magistratum petituri apud Rom.toga candida induti,in campum descendebant.huius rei referta sunt omnia.Plutarchus in Coriolano ait,absque interiore tunica in forum opertos veste descendere,siue vt eo habitu ad supplicandum humiliores accederent,siue vt qui cicatrices haberent,manifesta signa fortitudinis aperirent.Lex antea sanxit, vt qui magistratus esset,magistratúmve capturus,ne quò ad cœnã,nisi

ad certas personas itaret. Apud Thebanos lex fuit, vt nemo habilis esset ad honores Reipub. suscipiendos, nisi decem annos à mercatura destitisset. Plinius secundus, Pompeia ait lege, quæ Bithynis data est, cautum est, ne quis magistratum capiat, néve in senatu sit minor annorum triginta. Augustus dein permisit minores magistratus ab annis duobus & viginti capere.

Poplites alternis genibus imponi in consilio ducum potestatúmve vetuere maiores, velut omnem actum impedientes.

Addubitante senatu è duobus conss. Seruio Sulpitio Galba, & Valerio vter esset mittendus contra Viriatum. Scipio Aemilianus neutrum mittendũ censuit: quia alter nihil haberet, alteri nihil esset satis.

Apollonius quum vidisset in Domitiani ædibus senio confectum quendam magistratũ inhianter affectare, atq; imperatori, ceu seruum se submittere: Huic, inquit, ô Damis non persuasit Sophocles, vt agrestem dominum furiosúmque aufugeret.

DE MOLLICIE. VI.

VErres, cuius filius corpore abutebatur, adolescentiámq; mollem præstabat: quum Ciceronem mollem cynædúmque nuncupasset: falsè Cicero ad Verris filij impudentiam alludens, Ignoras, inquit, liberos intra fores increpandos esse.

Archesilaus vocem infractam capillum arte compositum, & oculos ludibundos illecebræq; voluptatis plenos in quodam diuite quum animaduertisset, qui tamẽ castus dicebatur: Nihil interest, inquit, quibus membris cynædi sitis, prioribus an posterioribus.

Scipio Aemilianus P. Sulpitio Gallo homini delicato inter plærasq; alia id quoque probro dedit, quod barba vulsa fœminíbúsq; subuulsis ambularet. Cato dicebat auersum & aduersum impudicum.

Vespasianus adolescentem fragrãtem vnguento quum sibi pro impetrata præfectura gratias ageret, nutu aspernatus, voce etiã grauissima increpuit: Maluissem, inquit, allium oboluisses, literásq; reuocauit. Vnguentatos ab apibus pungi odióq; haberi ait Val. lib. 3. rei Rust.

Afer quum in causa subinde dicentibus Celsinam dicere intellexisset, quod erat potens fœmina, assimulauit sibi virum videri, quis est, inquit, iste Celsina?

Q. Opimius consularis, qui in adolescentia malè audierat, festiuo homini Aegilio qui videretur mollior, quum dixisset: quid tu Aegilia mea, quãdo ad me venis cum tua colu & lana? vrbane Aegilius crimen retorsit: Non pol, inquit, audeo: nam me ad famosam vetuit mater accedere.

Aristippo quum vitio daretur, quòd preciosè & exquisitissimè viueret: si vituperandũ ait, hoc esset, in celebritatibus deorum, profectò non fieret. Diogenes verò Cynicus pedibus vnguenta apposuit: à capite, inquit,

quit, in aërem ascendere vnguentum, à pedibus autem ad nasum.

Idem Diogenes vnguentis delibuto: vide, ait, ne fragrantia capitis fœtorem vitæ præstet. Idem adolescenti delicato quippiam roganti: non antè, inquit, tibi respondebo, quàm apertè habeam exploratum, virne sis an mulier. Idem cuidam vnguentis fragranti, Quis, ait, mulierem olet?

Demetrius Phalereus cuidam delicias laudanti: Inimici, ait, delicatè viuant.

Zeno, quum mollis adolescens vehiculum quoddam lentè segnitérq; transcenderet: meritò, inquit: suspectum habet lutum. non enim in illo veluti in speculo licet se intueri.

Idem Diogenes plaudenti lasciuius in balneo adolescenti, Quanto, inquit, melius, tanto deterius.

Nicagoras Messanus, quum in Aegyptum venales equos optimósq; adduxisset, factus obuiam Cleomeni Lacedæmonio antè sibi cognito: salute data atque accepta, quæ nam illum causa in Aegyptum adduxisset roganti: quum ille equos optimos, bellóque idoneos adduxisse responderet: subridens Cleomenes, Mallem, inquit, mimos & cynædos attulisses, Ptolemæus enim inter mulieres lasciuiis & vnguentis deditus viuebat.

Martialis in Cottam:

Inuitas nullum nisi cum quo Cotta lauaris,
Et dant conuiuam balnea sola tibi:
Mirabar quare nunquam me Cotta vocasses:
Iam scio, me nudum displicuisse tibi.

Ceus quidam ætate vir matura, canos inficiebat, ætatémq; obscurare nitebatur. is quum Lacedæmona venisset, atq; in concione dixisset causam quare venerat, surrexit Archidamus Lacedæmoniorũ dux: Ecquidnam, inquit, salubre hic dixit, qui non in anima modo mendacium circumfert, sed in capite?

Augustus mollicie notatus est, is quum cœnam apparasset aliquando, in qua idem in Apollinis habitu, conuiuaq; in deorum dearúmque discubuerant: ac eo forte tempore Roma penuria atque fame laboraret, postridie in illum acclamatum est, non sine lepida mordacitate, frumentum omne deos comedisse.

Gallo Cybelis sacerdote tympanizante, in ludis quibus Augustus aderat: hic versus est in illum pronunciatus: Vidésne vt cynædus orbem digito temperet.

Mecœnas mollicie etiam notatus est, is quum ad Augustũ scripsisset molli remisso stilo, Augustus in illum ita iocatus est: Vale mel gentium, metuelle: ebur ex Etruria, laser Aretinum, adamas supernas, Tyberinum margaritum, Cylneorũ smaragdes, iaspis figulorũ, berille, Porsenæ carbunculum, habeas ἶνκ συντίμω πάντα μάλαγμα mœcharum: ex Macrob. Cilneorum quũ nusquam Cilneos legerim, puto

aut Cliternorum legi debere,aut Cillonũ,ex Cicerone,qui in oratione cõtra Saluſtium ait,quicquid impudicorũ cillonum,paricidarũ &c.

Plato diſcipulo nimium lauto,curandæque cuti deditiſsimo,ſubridens:quouſque ait,tibi carcerem ædificare perges?

Cæſari dictatori,qui Nicomedi Bithyniæ regi pudicitiã proſtituiſſe dictus erat,in Gallico triumpho milites inter cætera carmina,qualia in triumphis ioculariter canebantur, etiam vulgatiſsimum illud obiecerunt:Gallias Cæſar ſubegit:Nicomedes Cæſarem: Ecce Cæſar nunc triumphat,qui ſubegit Gallias: Nicomedes non triumphat,qui ſubegit Cæſarem.

Sextus Titius,quum inſidias ab Antonio inſtructas quaſi diuinans obiiceret,atque diceret,Caſſandra ſum:per ſcomma impudicitiam illi retorquens Antonius, atque proſtitutionem. Multos,inquit, poſſum tuos Aiaces Oileos nominare.

Cicero, quum Cæſari per epiſtolas pudicitiam proſtituiſſe ſæpe obiecisſet:defendenti etiam Nicomedis filiæ cauſam,beneficiúmq; regis in ſe commemoranti: Permoue,inquit,iſtæc oro,quoniam notum eſt quid ille tibi,& quid tu illi dederis,

Sybaritæ mollicie perditiſsimi erant. Ex iis quidam quum Spartam conceſsiſſet,Lacedæmoniorúmque exactos duróſque mores aſpexiſſet, quaſi illorum vitam damnaret:non admirandum eſt,inquit,ſi in bellis ne ita viuerent moriuntur.

Speuſippus quum vehiculo ferretur in Academiam,obuium habuit Diogenem.cui quum ſalue dixiſſet:At tu,ait ille,nequaquam ſalue:qui eiuſmodi quum ſis,viuere feſtinas.

Phocionis filius in equeſtri ludo victor daturus epulum,quum magno ad cœnam luxu vteretur:vinis etiam vſus aromatibus mixtis ad pedes abluendos:à ſuperueniente patre ita increpitus eſt: Quid ſinis, inquit,ô fili architriclinum hunc hoc luxu fœdare victoriam?

Piſo Ciceronis gener mollius incedebat,Tulliola concitatius.vnde iocus Ciceronis in filiam extitit:Ambula,inquit,filia tanquam vir.

Dion ait,qui ſemper in deliciis eſt,laboréque nunquam attingit, laborem nullum poteſt tolerare: voluptatémque nullam,quantumcunque maximam,ſentit.

Caligula ſuper omnia muliebria oculos induebat è margaritis. Cæterùm Tranquillus ait,quoties pulchris comatiſque occurreret,eos occipitio raſo deturpabat.

Metellus Pius in eam molliciem lapſus eſt,vt ſedenti victoriæ ſimulachrum cum machinato ſtrepitu tonitruum coronam imponebat, venientique thure ceu deo ſupplicabatur,Epulæ tranſmaria ex Mauritania volucrum & ferarum.

Minutia veſtalis propter mundiorem iuſto cultum inſimulata: Deinde apud pontifices iudice ſeruo accuſata,viua ad portam Collinam defoſſa eſt.

Otho

Otho faciem aſsiduè raſitare,& pane madido linire cõſueuit.Auguſtus & Scipio Africanus quotidie nouaculam experiebantur.

Cn. Pompeio digito vno ſcalpere caput,quod prouerbium in molles erat,obiectatum eſt.

Aelius imperator lectum eminentem quatuor anacliteriis fecerat minuto reticulo vndique incluſum,eúmque foliis roſæ, quibus demptum eſſet album replebat:iacénſq; cum concubinis velamine è liliis facto ſe tegebat,vnctus odoribus Perſicis.

Heliogabalus,quum audiſſet ſe violenta morte periturum: parauit ſibi funeis è cocco & ſerico intortos,quibus ſi neceſſe eſſet ſe penſilem faceret.item & gladios aureos.item in lapillis venena.item altiſsimam turrim ſubſtratis aureis gemmatiſque ante ſe tabulis,vnde ſe præcipitem daret,dicens etiam mortem ſuam prætioſam eſſe debere.

Hortenſius orator mollitie famoſus,is primus pauonem in augurali cœna appoſuit.Idem in actione præcario à Tullio Cicerone petiit, vt dicendi locum mutaret. Abire enim,in villam neceſſario ſe velle,vt vinum platano quam in Tuſculano poſuerat,ipſe ſuffunderet. Idẽ fuit veſtitu ad munditiem curioſo:& vt bene amictus iret,faciem in ſpeculo quærebat,vt rugas & ſinus ex compoſito haberet. Is quondam quum elaboratus ad ſpeciem incederet:de Iniuriis diem dixit,qui ſibi in anguſtiis obuius offenſu fortuito ſtricturam togæ deſtruxerat:& capitale putauit,quod in humero ſuo locum ruga mutaret. Idem murenam adeò dilexit vt extinctam fleuiſſe dictus ſit.

Mollitie notati Arabes à Plin.Vergilióque:item Sippus quidam apud Plutar.In Catone minore Cliſthenes.à Suida,Iones.Midi à Xenophonte.Tarentini,Galathæ,Scytharum reges ab Ariſtotele libro 7. Ethi.Nireus corpore venuſtiſsimo.Sardanapalus inter mulieres muliebri habitu colum tenens,in cuius ſtatuæ titulo inſcriptum fuit:ede, bibe:veneri indulge:nam cætera prorſus nihil omnia.

Nero princeps ſceptra perſonis hiſtrionum, & cubicula viatoria vnionibus conſternebat.

Non infacetum eſt quod Plin.lib.28.de Hienæ inteſtino ait.Eiuſdẽ loci pilorum cinerem ex oleo illitum,viris qui ſunt probroſæ mollitiei non modo pudicos,ſed etiam ſecuros mores inducere.

Salmacis filij dicuntur molles effœminatique ac facili negocio ſuperabiles: vnde prouerbialiter in imbelles dicebatur,vt ſpoliarent Salmacidas.Cicero in Offic.Salmacidas ſpolia:qui faciunt ibi ſpolia nomen,& Salmaci quinto caſu conſtituunt,ipſi videant:nam Salmacidas quartus caſus eſt,& ſpolia verbum.

Alexander quum per diuturnam potationem prouocanti ad bibendum,non parere erubuiſſet,bibit atque mortem accelerauit.

Regulus à Tito Cæſare,ad balneum ſummo mane inuitatus,quum acceſsiſſet,ac poſtea ſemel bibiſſet,neruorum reſolutione correptus, illico periit.

DE MORIBVS. VII.

Vthydamas rhetor, quum ob oratoriam clarus atque vtilis Reip. esset: ad tyrannidem aliquando inclinabat. Eius amicus Hibreas, illo mortuo: Euthydame, ait, malum es ciuitatis perneccessarium. nam nec tecum viuere possumus, nec sine te.

Portius latro, quum se ad scribendum concitauerat, iungebantur noctibus dies, & sine interuallo grauius sibi instabat, nec desinebat, nisi deficeret: rursus quum se dimiserat, in omnes luxus & in omnes iocos resoluebat.

Cleomenes Anaxandridæ filius morbo vexatus, quum expiatoribus vatibúsque mentem præter morem adhiberet, quodam admirante: quid miraris, inquit. neque enim nunc idem sum, qui tunc eram: sed quum idem non sum, ne eadem quidem probo.

Seuerus imperator mores habuit adeò malos cum bonis mixtos, vt de eo dixerit senatus, aut nasci non debuisse, aut non mori. Pythagoras prouerbialiter penè dicebat, quæ nigrantes haberent caudas, gustari non oportere. ad mores prauos, qui homines denigrant alludens.

Annibali plurimum audaciæ ad capessenda erat pericula, caloris frigorísque patientia par, cibi potúsque parcus: somnus illi quod superesset à gerendis rebus. neque molli strato, multi sæpe militari sagulo opertum humi iacentem inter custodias stationésque militum conspexerunt. vestitus nihil inter æquales excellens: primus prælium inibat, vltimus excedebat. Cæterum has virtutes vitia quoque deturpabant. Inhumana crudelitas, perfidia plus quàm Punica, nihil veri, nihil sancti, nullus dei metus, nullum iusiurandum, nulla religio. ex Liuio lib. 1. decadis 3. vt meritò Plato dixerit: Præclara ingenia, quemadmodum virtutes maximas, eodem quoq; modo vitia maxima producere solét. Plut. in Nicia ait de Alcibiade: quemadmodum Aegypti regio, quum sit feraciſsima, medicamenta profert saluberrima, venena etiam pernicioſisima fundens: ita Alcibiadis ingenium. Idem in Dione de Athenis ait: Sed id verè dictum extitisse videtur, excellentiſsimos virtute eos esse viros, quos bonos ciuitas illa protulit: quos autē malos, eos quàm sceleſtiſsimos: quemadmodum eorum tellus & mel optimum, & ocyſsimum ad necandum aconitum parturit. In libro de ciuili Instit. ait, Athenienſem populum facilè ad iram concitari, facilè ad misericordiam, celeriter suspicari, perleniter doceri, promptum ad opitulandum humilibus, clementem hostibus, gaudere laudibus iocíſque, tristari reprehenſione. Alcibiadi dicenti in frequenti senatu de rebus seriis, conturnix euolauit è sinu: eam persequentes Athenienses, capientésque reddiderunt. Cartaginenſes acerbi, triſtes, subditis molesti, ira perciti, truces, ignaui, ad pericula, facile parent magiſtratibus, pertinaces in sententiis. Hannonem virum insignem, quòd leone ad vtenſilia conuectanda vsus esset in expeditione, tyrannidis affectatæ insimulant

mulantes, exilio condemnarunt.

Aufidius Caſsius nonnunquam trux & asper videbatur, aliquando mitis ac lætus: sæpe religionis cultor, alias sacrorum contemptor, atidus vini, itémque abstinens, cibi appetens & inediæ patiens, veneris cupidus, castitatis amator.

C. Flaccus ob negligentem luxuriosámque adoleſcentiam L. Flacco fratri germano etiam inuisus erat: sed creatus flamen à P. Licinio pontifice max. ita repente exuit antiquos mores, vt nemo tota fuerit iuuentute probatior.

Manlius in iuuentute initio adeò hebes obtusúsque visus est, vt à patre rus relegatus sit ad operam rusticam: sed is posteà admirabilis euasit. Scipio superior Q. Max. Fab. Allobrogicus Q. Catulus, & L. Sylla, parem adoleſcentiam parémque virtutem assecuti sunt.

Themistocles in adoleſcentia adeò moribus turpibus fuit, vt à patre sit abdicatus: matérque etiam ob filij scelera laqueo vitam finiuit. cæterùm postea celebratiſsimus euasit: qualis etiam Cimon, qui in pueritia stolidus putatus est.

Agathocles ortus à patre figulo, pérque omnem ætatem vitiis dehoneſtatus, factus Syracusarum tyrannus, obsesſis Syracusis ab Hamilchare Carthaginenſium duce, cum mille & sexcentis noctu discesſit: Carthaginenſibus bellum intulit, magnámque Aphricę partē subegit. Non mirum si fictilibus semper vsus est, si figuli filius fuit.

Darius accitos qui in sua ditione erant Græcos, percontactus est, quanta pecunia vellent defunctis parentibus vesci. illis negantibus vlla se facturos pecunia. Indos interrogat qui parentibus vescebantur, quantum accipere pecuniarum vellent, vt patres defunctos igne comburerent. illi vehementer reclamantes, meliora illum ominari iubebant. Rectéque mihi videtur Pindarus feciſse, vt diceret, morem omnium esse regem: ait Herodot.

Britanni moribus simplices integríque existunt, longè à nostrorum hominum versutia remoti.

Caluino grauiter claudicante, vrbanè ad pesſimos Clodij mores alludens Glaucia, Claudicat, inquit, an Clodicat Caluinus?

Vtcunque temperatus sit aër, ita pueros orientes animari, atque formari ex eóque ingenia, mores, animum, corpus, actionē vitæ, casus cuiuscunque euentúsq; fingi: ait Cicero lib. 2. de diuin. Vergiliana Dido:

Duris genuit te cautibus horrens
Caucasus.

Philinus quidā, tota vita nullo vsus est potu, vel cibo, præterquam lactis. Moschus & Anchimolus sophistæ, semper aqua sunt vsi & caricis.

Mores cum fortuna commutari, indicat Cic. ad Atticum: Non vides, ait, ipsum illum Aristotelis discipulum, summo ingenio, summa modestia: postquam rex appellatus sit, superbum, crudelem, immoderatum fuisse? Tu verò diue Mecœnas in omni ætate semper idem ipse

es: & quod magnum est, crescente dignitate, crescit humanitas. Dij te nobis seruent, & nos tibi.

Sylla ab ineunte ætate risibus ac misericordiæ ita fuit deditus, vt ei facilè lachrymæ oborirentur: sed nactus potentiam, mores cum fortuna commutauit, magnisque imperiis calumniam impressit: quippe quæ mores in pristino viuendi ritu permanere non sinant.

Cyrus, cupientes Persas è montanis in planas descendere regiones, prohibuit. vt enim plantarum semina, inquit, sic hominum vita regionibus similis fieri solet.

DE MEDICIS ET MEDICINA. VIII.

PAusanias Lacedæmonius, qui sine medicis valetudinem curabat: quum medicus illi dixisset, quomodo senex factus esset? facetè ait: quia non vsus sum te medico.

Hadriano moriente dictari solitum est: turba medicorum regem perdidit.

Idem Pausanias, dicente medico, nihil mali habes? te, inquit, medico non vtor. Plin. Itaque in hac artium sola euenit, vt cuicunque medicum se profitenti, statim credatur, quum sit periculum in nullo mendacio maius. Nulla est præterea lex, quæ puniat inscitiam capitalem: nullum exemplũ vindictæ. discunt periculis nostris, & per experimenta mortes agunt: medicóque tantum, hominem occidere summa impunitas est. Quinimò transit in conuicium & intemperantiam vtroq; qui periêre, arguuntur. Sola artium imperatoribus quoque imperat.

Valerianus Martialis in malum medicum Hermocratem:

Lotus nobiscum est, hilaris cœnauit, & idem
Inuentus mane est mortuus Andragoras.
Tam subitæ mort's causam Faustine requiris:
In somnis medicum viderat Hermocratem.

Menechmus rogatus à medico, qui putabat eum falsò insanire, dicente, dic mihi hoc, num solent illi aliquando oculi duri fieri? vrbanè respondit, quid me locustam censes esse homo ignauissime? ex Plauto in Menechmis.

Pausanias dicebat optimum esse medicum, qui tabescere non sineret ægrotantes.

Ephestion, quum ex Glauci medici absentia, incuriáque, caprum assatum, vinúmque immodicè assumpsisset, ob idque moreretur, tanto pere Alexander excanduit, vt medicum cruci suffixerit.

Idem Alexander, quum Taurum montem celeri itinere transcendisset, Tharsúmque venisset, Cydni fluuij amœnitate captus, per mediam vrbem influentis, plenus pulueris ac sudoris, exutis armis in præfrigidam nudus vndam se immergit. Vnde tantus rigor eius artus repentinus occupat, vt intercluſa voce mortem accelerari putaretur. Tum autem

tem vnus è medicis Philippus solus salutem pollicebatur: sed & ipsum Parmenionis acceptæ literæ suspectum faciebant, qui scripserat, vt à Philippo medico caueret: corruptum enim illum esse à Dario ingenti pecunia. Tutius tamen Alexander ratus esse dicitur, dubiæ se fidei medici credere, quàm morbo indubitato perire. Accepto igitur poculo, epistolas medico legendas tradidit, atque inter bibendum oculos in vultum legentis intendit, vt securum conspexit, lætior factus, hausto poculo sanitatem quarta die recepit.

Philippus illius pater, quum in pugna ei clauicula fracta esset, medicúsque ab eo quotidie aliquid peteret: Sume, inquit, quodcunque vis, clauem enim in manu habes.

Erasistratus Chrysippi discipulus, Aristotelis ex filia nepos, Antiocho rege sanato, centum talentis donatus est à rege Ptolemæo illius filio. Cassiis, Carpitanis, Aruntiis, Albutiis, 250. sestertia annua mercede fuêre apud principes. Q. Stertinius, quòd sestertiis quingentis annuis contentus esset, sexcena sibi quæstu vrbis fuisse, quadragena Aruntius hæredi reliquit.

Hippocrates venientem ab Illyriis pestilentiam prędixit, & discipulos ad opem ferendam circa vrbes dimisit: cui ob meritum honores illos, quos herculi, decreuit Græcia.

Apollo apud Ouidium se inuenisse medicinam gloriatur:

Inuentum medicina meum est, opiféxque per orbem
Dicor, & herbarum subiecta potentia nobis.

Gellius hunc solem Oceani filium vocat.

Aegyptij apud se aiunt repertam: alij per Arabum, Babylonis & Apollinis filium, Diodorus Mercurium ait inuentorem fuisse. Apollinis filius Aesculapius celeberrimus, cuius filij Podalirius & Machaon, clari bello Troiano. ex Aesculapij stirpe Critodemus, clarus in vulnere Alexandri apud Mallos accepto, quum primus arcem ascendisset. ex Arriano. Clarus item Critobolus, extracta à Philippi regis oculo sagitta, citra deformitatem oris curata orbitate liminis. Item Asclepiades, qui Mitridatis pollicitationes spreuit: relato è funere homine, & conseruato. sed maximè sponsione facta cum fortuna, ne medicus crederetur, si vnquam inualidus fuisset ipse: qui victor suprema in senecta lapsu scalarum exanimatus est. Item Pythagoras, Empedocles, Democritus, & eius discipulus Hippocrates Cous, vt suprà. Diocles, Praxagoras, Chrysippus, Erophilus, Erasistratus, Serapion, Glaucias, Heraclides, Asclepiades, Themison, Creon. Antonius Musa, clarus in Augusti valetudine, quam lactucis restituit. Vectius Valens, Critias Massilensis: Pæon deorum apud Homerum medicus dictus, clarus in Plutonis vulnere. Democedes Crotoniata apud Herodotum, clarus in luxatione tali Darij, à quo donatus multis muneribus, captus cum Polycrate, quem sequutus erat. Præter hos clari etiam in chirurgia, Philoxenus, Gorgias, Sostratus, Hieron, Apollonij duo, Ham-

monius Alexandrinus, Triphon, Euelpistus, Meges ex Cornelio: Chiron inuentor, Ac Achillis præceptor.

Asclepiades arguit medicamentorum potus stomacho inimicos. Celsus Medicamentis vti, nisi vehementibus malis, superuacuum.

Roma sexcentis annis fuit sine medicis.

Hipocrates dicebat, medicum oportere scire quæ sint, quæ fuerint, & quæ mox futura sequentur.

Apud Aegyptios singulorum morborum sunt medici: alij enim curandis oculis, alij capiti, alij dentibus constituti.

DE MIRACVLIS, PRODIGIIS, atque portentis. IX.

QVum omnia debeantur Christo Deo miracula (nihil enim illo inuito mortale mouetur, neque stat, neque viuit) idcirco aliqua per speciem apposui, ne nihil omnino attingerem è tot rebus, quot vix tanta capiunt volumina.

Attilam Hunnorum regem, quum Italiam omnẽ peruastasset, Leo pontifex in agro Mantuano occurrens, rogauit, vt Italia cederet: quod facilè à truci barbaróque rege est impetratum. admirantibus autem suis regémque culpantibus, quòd vni sacerdoti inermi cessisset, Attilam respondisse ferunt: Vidi ad latus illius virum stantem miræ magnitudinis, in veste candida, ense stricto, mortem mihi continuò minitantem nisi paruissem.

Sed postquàm in Christi Opt. Max. mentionem incidimus, visum est apponere verba Iosephi historici, alioqui Iudæi, de illo ita dicentis libro 18. antiquit. cap. 9. Fuit autem iisdem temporib. Iesus, sapiens vir, si tamen virum eum nominare fas est: erat enim mirabilium operum effector, & doctor omnium eorum hominum qui libẽter audiunt quæ vera sunt. Et multos quidem Iudæorum, multos etiam ex gentibus sibi adiunxit: Christus hic erat. Hunc accusatione primorum nostræ gentis virorum, quum Pilatus in crucem agendum decreuisset, non deseruerunt ij, qui ab initio eum dilexerunt. Apparuit enim eis tertia die iterum viuus, secundum quod diuinitus inspirati prophetæ, vel hæc, vel alia de eo innumera miracula futura esse prædixerant. sed in hodiernum diem Christianorum, qui ab ipso nominati sunt, & nomen perseuerat, & genus, hæc ille: in quo Iudæi suo gladio confodjuntur.

Carnifex ex iussu Olympij Exarchi necem Martino primo pontifici max. in æde beatæ virginis ad præsepe parauerat, subita cæcitate ita obstupuit, vt quem peteret, non potuerit internoscere.

Petenti Leoni 3. pontifici max. diui Siluestri templum cum supplicationibus, quas Christiani lætanias vocant: Pascalis & Campulus in eum irruentes, oculos eruerunt, & linguam præciderunt. nudatus autem vestibus sacris, multróque cruore madẽs, & apud sancti Erasmi templũ custoditus, ibi tandẽ linguã oculósque deo præstante recuperauit.

Theodorico Ostrogothorum regi cœnanti quum caput piscis esset oblatum, horrendam in illo visam Symmachi, quem cum Boëtio occiderat, faciem aiunt: quæ labro inferiori mordicus apprehenso, toruis illi oculis minitaretur. eòque consternatum pauore, in morbum incidisse. quo demum confessus leuitatem suam, quòd pontificem sanctum & cum eo præstantissimos viros Romanos Symmachum & Boëtium occidisset, paulò post expirauit. non me latet esse aliquos, qui Boëtium Bœotium nuncupent.

Symmachi pontificis max. temporibus Arrianus quidam Olympius nomine, quòd quædam turpia de sanctissima trinitate euomeret, vehementi subito fulmine correptus est. Vide miraculum in capite de Sacrileg. Herodes.

Eodem tempore, quum episcopus quispiam Arrianus baptizaturus dixisset, Baptizo te in nomine patris maioris, & filij minoris, in spiritu sancto: statim aqua quæ ad baptizandum allata fuerat, euanuit.

Orta apud Constantinopolim per Gregorium patriarcham, hæresi: missiab Agathone pontifici maximo Ioannes Diaconus & Ioannes Portuensis episcopus, illam sedarunt. Cæterum eadem hora incredibilis aranearum telæ copia in populum cecidit

Balthazar Nabuchodonosoris filius obsessus à Dario & Ciro in Babylone, discumbens cum suis concubinis, vasa, quæ Hierosolymis fuerat prædatus, in vsum conuertit. Sed discũbente adhuc illo, manus visa est è muro exire, atque in pariete syllabas quasdam scribere, Mane Techel Phares.

Latrones quendam, quem confoderant, in Helisei prophetæ sepulchrum mortuum iniecerant, cuius cadauer quum prophetæ corpus tetigisset, resurrexit.

Helias propheta, quum altare constituisset, & ligna superimposuisset, foueámque prope altare, quæ aquam conciperet, collocasset, coram Israhelitis idola adorantibus deum rogat, vt aliquid signi ostendat, quo illi ad eum conuertantur: ignis repente de cœlo lapsus, hostias, ligna, & aquam ipsam concremauit, in cinerémque locum vertit: qui hactenus perdurat, ait Iosep. lib. 7. Antiq.

Arion Methymneus Musicus, quum ad Siciliam Italiamque nauigasset, parta ingenti pecunia è Tarento, Corinthum reuerti statuit, nauigiúmque Corinthiorum conduxit. Sed iam nauigans, quum nosset nautas insidiari, pecunias illis obtulit, modòmortẽ deprecaretur. neque tamen exorauit quicquã (nam aut volebant manus ei præcidere, aut in mare deiicere) nisi vt saltem aliquantulum canere liceret. incepisse igitur Orchium cantum in puppi dicitur, atque eodem cantato prosiluisse, exceptúsque à delphino Corinthũ appulisse. Eò quũ nefarij nautæ venissent, vocati ad Periandrũ, qui Arionem occultũ tenebat, ac rogati num

quippiam

quippiam de Arione scirent, responderunt, illum se sospitem Tarenti reliquisse. sed Arion apparens eodem quo prosiluisset habitu, eos conuictos supplicio affici curauit.

Liuiæ Drusillæ, quæ posteà Augusta, matrimonij nomen accepit, quum pacta esset Cæsari, gallinam conspicui candoris, sedenti aquila ex alto abiecit in gremium illæsam. intrepidéque miranti accessit miraculũ, quoniam teneret rostro laureum ramum, onustum suis baccis.

Aemilia virgo vestalis, extincto igne carbasum foculo imposuit, ignisque subitò emicuit.

Marius pater nudus ab hostibus captus, in paludibus iuxta Lyris ostiũ (ibi enim latebat, solus à nautis expositus) & Minturnas ductus, datúsque mulieri cuipiã Fanniæ custodiendus, quum ad eum damnatũ morti quispiam barbarus occisurus accederet, in ingressu cubiculi ingens flamma è Marij oculis emicuit: militique magnã vocẽ ex opaco exisse dicitur, dicentem, Tu homo necare C. Marium audes?

Nauem qua vehebantur nuncij à Periandro, vt nobiles pueri castrarentur, conchis inhærentibus, plenam ventis stetisse, conchásque quæ id præstiterunt, apud Gnidiorum Venerem coli.

Tarquinius absoluto penè Capitolini Iouis templo, siue vaticinio, siue aliquo monitu currum fictilem figulis Veiis conficiendum mandauit, qui illatus in fornacem coquendus, adeò vsque excreuit, vt vix potuerit deiectis parietibus efferri.

In Carthaginensi excidio, quum quispiam veste aurea Apollinem spoliasset, illius manus inter fragmenta protinus inuentæ sunt.

Cleomenes Astipalensis, vir fortissimus, cæterum ingenio temerario, ingressus puerorum ludum, apprehensam manu columnã, quæ tectum sustinebat, effregit, tectúmq; laspum pueros interemit, quũ verò ad pœnas quæreretur, in sepulchrũ magnũ se abiecit, & clausum intus adiectum desuper operculum adeò tenuisse dicitur, vt ne à multis quidem simul annitentibus, vi vlla auelli posset. Conscissa igitur arca, neque viuum hominem, neque mortuum esse compertum asserunt.

Auiola consularis in rogo reuixit. Et quoniam subueniri non poterat, prævalente flamma, viuus concrematus est. Pari etiã miraculo Cælius Tubero prætorius, à rogo relatus est: authore Messala.

Corfidium materteræ maritum, Romæ funere locato, reuixisse constat & locatorem funeris ab eo elatum. Ex Plinio: qui etiam ait, è duobus fratribus equestri ordinis, Corfidio maiori accidisse, vt videretur expirasse, apertóque testamento recitatum hæredem minorem funeri instituisse: interim eum qui videbatur extinctus, plaudendo concinuisse mysteria: & narrasse à fratre se venisse, commendatam sibi filiã ab eo. Demonstrasse præterea, quo in loco defodisset aurum nullo conscio: & rogasse, vt iis funeribus quę comparasset efferretur. Hoc eo narrante, fratres domestici properè annunciauêre, exanimatum illum, & aurum vti dixerat repertum.

Idem

Idem esse exemplum puto, quod sequitur.

Herus Armenius quũ occubuisset in bello, sublatis aliis 10. dierum cadaueribus iam putrescentibus, incorruptus integérque compertus, domum ad sepulturam relatus est. impositus ergo pyræ duodecimo à morte die, resurrexit, atqueinterim quæ vidit retulit. author Socrates apud Plat. de Repub.

Pamphilus Pheræus inter eos qui in acie ceciderant, 10. diebus ipse iacuit: biduóque postquam inde sublatus est, impositus rogo reuixit. ex Valer. de quo nescio quid hic suspicer.

Aristæus Proconesius in fullonia taberna extinctus, peregrè quodam proficiscente Crotonem, in illum incidisse dicitur.

Alemenę cadauer dum efferretur, è conspectu euanuisse, lapidémq; in lectica iacentem apparuisse, proditum est.

Diuus Hieronymus, Audiui, inquit, deũ testor me nõ mentiri, quod quum quædam muliercula infantulum nutriret expositum, cibósque stillaret, ac nutricis fungeretur officio, cubarétq; cum ea paruulus iam decem annorum, accidit vt plus quàm pudicitia patitur se mero ingurgitaret. accensáq; libidine, obscœnis motibus infantem ad libidinem duxit. prima ebrietas alterius noctis & cæterarum consuetudinẽ fecit: necdũ menses duo ferant euoluti, & ecce feminæ intumuit vterus.

Leotychidas Aristonis filius, quum draco claui portæ circumuolutus esset, vatésque esse monstrum dicerent: Minime mihi, inquit, videtur: sed si clauis draconi circumuoluta esset.

Cornelia Gracchorum concreto genitali orta dicitur, infausto omine.

T. Latino de plebe, dum dormiret, visus est Iupiter dicere, nisi magnificè instaurarentur ludi (nam facti erant olim ludi votiui bello Latino, atque intermissi, quia ciuitas esset ad arma excitata: atque postea instaurationi constituti sunt, qui non placuerant) periculum vrbi fore. subticuit is, ne in ora hominum pro ludibrio abiret. sed amisso intra paucos dies filio, monitus iterum per somnos, maiorem sibi cladem instare, ni rem properè consulibus nunciet: cunctantem ingens vis morbi adorta est, debilitate subita. adhibito propinquorũ cõsilio, re aperta visum est vt lectus inforũ adduceretur. qui adductus, quũ patribus omnia narrasset, miraculum subito exoritur: nam pedibus domũ rediit.

Atronius quidam, seruum suum verberatum, patibulóque constrictum, ante spectaculi commissionem per circum egit. indignatus ob id Iupiter, Annio cuidam imperauit, vt senatui nunciaret, non placuisse sibi crudelitatis admissum, neglexisse Annius dicitur: sed filium morte repentina extinctum esse. ac post secundam denunciationẽ, ob eandem negligentiam in subitam corporis debilitatem solutum: ita tandem lectica in senatum delatus, rem nunciat, recuperátque valetudinem, ac curia pedibus egreditur.

Lucanis, Brutiisque annitentibus magnis viribus, duce Statio Statilio,

lio,vt Turinam vrbem delerent,defendentéque Cneo Fabricio cõsule' non audentibus Romanis prælium ingredi:iuuenis eximiæ magnitudinis,adhortatus Romanos,arreptis scalis,ad contraria castra per medios hostes euasit,victoriáque fuit apud Romanos. nec is iuuenis postea inuentus à consule est.

Brennus Gallorum dux, Appollinis Delphici fano nefariũ bellum intulit:sed tum ex oraculo ferunt hæc fatum esse Pythiam:Ego prouidebo rem istam. ex quo factum est vt viderentur virgines ferre arma contra,& niue Gallorum obrueretur exercitus.De hoc infrà.

Androdus Dacus seruus introductus ad pugnam cum leone miræ magnitudinis,sæuitiæque,nihil ab illo damni perpessus est.Admirantibus omnibus,perductus ad Cæsarem,rem huiusmodi narrat:Quum prouinciam, inquit, Aphricam proconsulari potestate dominus meus obtineret,ego iniquis & quotidianis eius verberibus ad fugã sum coactus:& vt mihi à domino terræ illius præside tutiores latebræ forent, in solitudinem concessi. Tum sole flagrante specum ingredior, nec multo pòst eòdem venit hic leo, debili vno & cruento pede dolorem cruciatúmque ostendens. Expaui ego primùm. sed postquã leo ingressus me videt delitescentem,mitis ad me accessit,pedémque ostendens, opem petere videbatur.Ibi ego stipitem è pede illius reuulsi, saniémque expressi:ille mea opera leuatus,pede in manib. meis posito recubuit.triennióq; vnà viximus:carnes quas afferebat in sole torrẽs.Sed vitæ ferinæ pertęsus,tridui viam permensus,à militibus captus,Romam ad dominum adductus sum:atque expositus. Intelligo igitur, leonem beneficij gratiam referre.

Aristomenis Messenij corpus serpentibus inuentum est repletum.

In quadam Indiæ gente mulieres semel in vita parere, genitósque confestim canescere inuenio.

Antonia Drusi,nunquam expuit,& Antonius consularis poëta nunquam ructauit.

Apud Aegyptios Herodoti temporibus hircus cum muliere palàm coiit.

Amasis Aegypti rex,ædificium mirabile ex saxo solido ab vrbe Elephantina,cuius tectum intrinsecus fuit vnius & 20.cubitorum, longitudo quatuordecim,octo sublimitas,introrsus longitudo duodeuigínti & amplius:sublimitas quinque,ad vrbem Sai attulit.

Tentyritæ crocodilis inimici flumen Nilum innatant: dorsoque equitantum modo impositi,hiantib.resupino capite ad morsum,addita in os claua dextra, ac læua tenentes extrema in terram agunt.vocéque etiam sola territos cogunt corpora ad sepultura m vomere. Norunt hos crocordili,& terribiles sunt contra eos fugientes, fugaces verò contrainsequentes.

Aggredientes Persæ Apollinis templum Delphicum, quum ad fanum Mineruæ quod est ante templũ,venissent,fulminibus icti, exterritique

ritique sunt.atque è Parnasso duo vertices abscisi,ac deuoluti multos eorum contriuere.

In fortunatis Aethiopiæ insulis homines,quatuor cubitorum mensuram excedentes,eorúmque ossa veluti neruos flectẽtes, diuisam linguam à radice habent:ex quo imitantur etiam auium cantus,duobúsque hominibus respondendo ac disputando loquuntur:vt vna pars linguæ vni,altera alteri loquatur.

Vrbanum miraculum est,quod Plin.li.26.scribit. Tarquinio enim Prisco regnante,ait,tradunt repentè comparuisse in foco genitale è cinere masculini sexus. Eãque quæ insederat ibi, Tanaquilis reginæ ancillam Oricsiam captiuam consurrexisse grauidam, ex qua Seruius Tullius natus est.

Epizelus Athenienſis in Marathonja pugna strenuè dimicãs,luminibus captus est,nulla corporis parte saucius,ictúsve.

Scyllias Sicyonius adeò fuit in vrinando clarus,vt quum ad Græcos transfugiens Alphetis mare subisset,non prius extitit quàm ad Artemisium peruenit,octoginta stadiis subtermeans.

Gabienus Cæsaris classiũ fortissimus captus in bello Siculo à Sexto Pompeio,iussu eius incisa ceruice & vix cohærente iacuit in littore tota die:Deinde quum adueſperasset, cum gemitu precibúsq; congregata multitudine,petiit vti Pompeius ad se veniret,aut aliquem ex claris mitteret.se autem ab inferis remissum, habere quod nunciaret. misit plures Pompeius ex amicis,quibus Gabienus,inferis diis placere Pompeij causas & parteis pias retulit. Proinde euentum futurum, quem optaret:hoc se nunciare iussum.Argumentum fore veritatis,quòd peractis mandatis protinus expiraturus esset, atq; ita euenit.ex Cicer. Tuscul.q.5.Vbi animas ostendit immortales,quum libro 2. mortales esse dixisset.

In acie Philippensi Iulij Cæsaris imago humano habitu angustior C.Cassio visa est:quem adeò terruit,vt in fugam verterit.

Vespasiano in Alexandria agenti,è plebe Alexandrina quidam oculorum tabe notus ad genua eius aduoluitur,remedium sanitatis exposcens.Serapidis monitu precabatur,vt genas & oculorum orbes dignaretur oris excremento respergere.Alter manu æger,eodem deo auctore,vt pede ac vestigio illius calcaretur orabat.diu cunctatus Vespasianus,tandem precibus satis facit: statimque est conuersa ad vsum manus,cæco illuxit dies.

Hadrianus longi morbi tædio defatigatus,vitæque pertęsus,de morte consciscenda deliberauerat:interea superuenit mulier, quæ diceret monitam se somno,vt imperatori insinuaret,ne se occideret:quoniam esset bene valiturus.id quum neglexisset:luminibus captam esse.Iussa tamen ex altero somnio iterum Hadriano dicere, genuáque eius amplecti:si id fecisset,recepturam esse visum:insinuauit,visumq; recepit. Venit item è Pannonia quidam cæcus natus ad eundem Hadrianum

febrient

febrientem, eúmq; contigit: quo facto,& ille oculos recepit, & hunc febris reliquit. Mirum,his tantum concessum ad miracula.

Epirota mulier quum efferretur,in funere filium peperit, Gorgiam postea nuncupatum,fortem clarúmque virum.

Augustus infans adhuc, vt scriptum extat apud C. Drusum, repositus vespere in cunas à nutricula loco plano, postea luce non comparuit:& diu quæsitus,tandem in altissima turri repertus est, iacens contra solis exortum.

Idem in suburbano auito ortus creditur, in loco ad cellæ penuariæ instar,quò introire nisi necessariò & castæ religio est:conceptáque veteri opinione,quasi temerè adeuntibus horror quidam obiiciatur. sed mox confirmata est. Nam quum possessor villæ nouus, seu fortè, seu tentãdi causa cubitũ se eò contulisset: euenit,vt post pauciss imas noctis horas exturbatus inde subita vi & incerta, penè semianimis cum strato simul ante fores inueniretur.

Templo ab Hercule constructo Iolao nepoti,tanta maiestas ab accolis est attributa,vt qui assuetis deficiant sacris,muti euadant, mortuisque similes. iidem si vouerint sacrificia solita suscepto voto,statim in valetudinem priorem restituuntur. ait Dido libro 5.

Tuciam vestalem accusatam,quòd ignem extigui passa esset,inuocasse deam ferunt,ad Tyberímque progressam, permittentibus pontificibus,comitante turba,haustam cribro nouo aquam ad forum vsq; delatam,ad pontificum pedes deposuisse.

Claudiam vestalem adulterij suspectam,simulachrum matris Ideæ in vado Tyberis hærens,ad comprobandam pudicitiam fertur cingulo duxisse nauem,quam multa hominum millia non poterant.

Gallus quidam prouocarat aliquem è Rom. ad certamen: prodiit M. Valerius tribunus militum. huic coruus primo super galeam, postea in pugna rostro vnguibúsque hostis oculos petiit:donec Valerius exturbatum illum obtruncat. atque hinc ei inditum nomen Coruino.

Polypum Carteiæ in cetariis, assuetum exire è mari in lacus eorũ apertos,atq; ibi salsamenta populari,historiæ referunt: conuertit autem in se custodia indignationẽ assiduitate furti immodici. sepes erant iis obiectæ:sed has transcendebat per arborem,nec deprehendi potuit nisi canum sagacitate. Hi redeuntem circumuasere noctu, concitíque custodes expauere nouitatem. Primùm omnium magnitudine inaudita,deinde colore muriæ obliti,odore diri:quis ibi Polypum expectasset?aut ita cognosceret?cum monstro dimicare sibi videbantur. nam & afflatu terribili canes agebat,nunc extremis crinibus flagellatos,nunc robustioribus brachiis clauorũ modo incussos. Aegréque tandẽ multis tridentibus cõfici potuit,ostẽdere Lucullo caput eius. dolij magnitudine,amphorarum 15. capax. branchias quas vix vtroq; brachio cõplecti esset,clauarũ modo torosas, longas pedũ 30. acetabulis siue canaliculis vrnalibus peluium modo, dentibus magnitudini respondentibus reliquiæ

reliquiæ asseruatæ miraculo pependerunt,pondo septingentorum.

Delphinus Augusto principe Lucrinum lacum inuectus, pauperis cuiusdam puerum ex Baiano Puteolos in ludum literarium itantem, quum meridiano tẽpore immorans appellatum eum sæpius Simonis nomine,fragmentis panis quem ob id ferebat allexisset,miro amore dilexit:adeò vt quocunq; diei tempore inclamatus à puero,quamuis occultus atque abditus,ex imo aduolaret,pastúsque è manu præberet ascensuro dorsum,pinnæ aculeos velut vagina condens receptúmque Puteolos per magnum æquor in ludum ferebat. simili modo reuehens pluribus annis, donec morbo extincto puero,subinde ad consuetum locum ventitans,tristis desiderio expirauit.

Marthes Aegypti rex cornicem adeò docilem obsequentémq; habuit,vt cursoris vice vteretur: epistolásque deferendas dabat,monitis facile obsequenti.

Apud Iudæos Herode regnante,serpens puellam miro amore prosequens,cum illa accumbebat. sed quum puella mensem abesse decreuisset,reputans belluam amoris oblitũ,vt rediit,accurrit serpens, caudáque crura complexus est,verberans ceu indignabundus,& desiderium conquestus.

Iuxta Ruscenonem lacus est & ager,quem alluit exiguus supra mare alueus:refertus salinis. habet & effossiles cestrias pisces. nam siquis duos aut tres foderit pedes,& in limosam aquam fuscinam demiserit, piscem eximiæ magnitudinis fixum educet.

In Mæotidis alueo pisces destituti per hyemem in glacie ligonibus effodiuntur. ex Strab. In Paphlagonia pisces esse effossiles Eudoxus dicit ex eodem,qui alibi Teophrastum citat.

Quum leo ferus ruptis vinculis in Diadumeni incunabula irrupisset:morsu nutrice occisa,Diadumenum puerum linxit.

Apud Indos asinos syluestres oriri,vnico in fronte cornu,è quo pocula fiant:in quibus qui potauerint,illo die nullo morbo affici,vulneratósq; non dolere:ex igne incolumes egredi. Ex Philost. in Apol. Vesanos omneis Indos,nisi singulo quoque die bibant.

In Mauritaniæ fluuio quodam hirundines esse septenũm cubitorũ, quæ gulam habeãt perforatam,per quam respirent:mustellas felibus pares,scorpiones septenarum vertebrarum,lacertásque bicubitales.

Basilisci serpentis oculos siquis videat,illico expirat. oritur autem in Cyrenaica regione,nec excedit 12. digitos candida in capite ceu diadema macula. sibilo omnes fugat serpentes. celsus erectúsque incedens,necat frutices:afflatúque etiam exurit herbas,rumpit saxa. huic tamen mustellarum vis exitio est.

Catoblepas verò animal gignitur in Aethiopia:cuius oculos qui viderint,continuò expirant.

Ceruorum carnes qui singulis diebus comedant, febribus carere produntur. Quosdam,inquit Plin. principes nos scimus feminas,omnibus

bus diebus matutinis carnes eas degustare solitas & longo ævo caruisse febribus. Confessa dementia, si quis è magnatibus non ceruum ad singulorum dierum pulmentaria asseruet.

Herculis templum quod erat in foro Boario, neque muscæ neque canes intrabant. Muscæ metalla vitant.

Scorpionem mortuum si quis helleboro candido linat, reuiuiscere aiunt. Plin. lib. 25.

Apes asseruatæ per hyemem, si vere tepente sole, ficulneo cinere operiantur, reuiuiscere credit Columella. atque etiam muscas aqua mersas.

Cor caninum habentem fugiunt canes: non latrant habenti linguam caninam in calceamento, subditam pollici: aut caudam mustelæ, quæ abscissa dimissa sit.

Cuculum quo quis loco primùm audiat, si dexter pes circumscribatur, ac vestigium id defodiatur, non gigni pulices, vbicunque tellus illa spargatur (si credibile est) quidam putant.

In vermicatione iumentorũ, ter circundato verendis palumbo, mirum dictu, palumbus moritur emissus, iumentúmq; cõfestim sanatur.

In fortunatis Aethiopiæ insulis animalia sunt rotundo corpore, duobus lineis transuersis: in quarum angulis, singulis singulæ sunt aures, singulique oculi.

Echeneis pisciculus, ruant venti licet, & fæuiant procellæ, cogit tamen stare nauigia. Vnde Actiaco prælio Antonij prætoriam tenuisse nauim dicitur, properantis circumire & exhortari suos. Tenuit & C. principis ab Astura Antium remigantis. exilientes enim inuenerunt piscem adhærentem gubernaculo, ostenderúntque Caio grauiter indignanti, peculiaritérque admiranti.

Sæpiæ tanta vis est atramento, vt eo addito in lucernas, Aethiopas videri, ablato priori lumine, Anaxilaus tradat.

Capras ait Varro in re Rust. non vt alia animalia, naribus, sed auribus spiritum ducere solere.

In Lusitania vlteriore, sus adeò pinguedine excreuit, vt à cute ad ossa pedem & tres vncias expleuerit. In Arcadia verò tantum creuit, vt ne surgere quidem posset. & in eius corpore exeso, sorex nidum fecisse, muréq; peperisse. ex Varr. lib. 2. rei Rust. Item 30. porcellos peperisse suem, Aeneæ fatalem, pro miraculo est.

Apri recenter occisi dentes adeò feruent, vt crines si quis admouerit exurant. nam viuentis, siquando irritantur, ignescunt. ex Xenophonte in Venatione.

Murium syluestrium è terra prodiens multitudo, in Italia solum patrium relinquere coëgit.

In Media adeò ingens passerum inoleuit copia, iacta semina absumentium, vt homines malo acti, in alia migrauerint loca.

Eos quos Attariotas vocant, ranæ è nubibus pro guttis aquæ in terram

ram delapsæ adegerunt patriam relinquere. plura suprà dicta sunt.

Serpentem, qui hominem percussit, à terra amplius non recipi: veneno defunctos non attingi ab auibus ferísque aiunt.

Apud Indos serpẽtes viperásq; 10. cubitorum esse aiunt, testudinem fluuiatilem trium, perdicem vulture maiorem. Apud Damascum in campo Macra, Posidonius refert vidisse se serpentem mortuũ iugeri longitudine: crassitudine tanta, vt equites ex vtraque parte astantes, se inuicem intueri nõ possent: hiatu autem tanto, vt equitẽ equo insidentem acceperit: exuuiarum quamlibet squamam clipeo maiorem. est etiam celebris serpens traditus viuus Ptolemæo secundo, cubitorum triginta: qui dum caperetur, hominem viuum deuorauit, aliúmq; fugientem cauda apprehendit, occiditque.

In Punicis bellis, ad flumen Bagradam, expugnatum serpentẽ balistis 120. pedum à Regulo, scribunt.

Percussus calamo serpens, semel emoritur: si verò iterum percutiatur, confirmatur.

In Sicilia ara in medio mari sita, breuia diuidit à profundis. qua ad eam pergitur, crurum tenus peruenitur aqua, quod vltra nec explorari licet. nec attingi, quantámque quisque sui partem ingurgitauerit, tantam it perditum. Ferunt quendam in hæc vltra quàm longissimè poterat iecisse lineam. eam vt recuperaret, dum merso brachio nisum adiuuat, eadauer manum factam.

In eadem Sicilia fons Diania est, cuius aqua, nisi pudicè hauserit quisquam, nõ miscetur cum vino. Ibidem est in Halesina regione fons, quum silétur, quietus: si insonant tibiæ, exultabundus ad cantum eleuatur. Ibidem in Gelonio stagno duo sunt fontes: alterum si sterilis sumpserit, fœcunda fiet: alterum si fœcunda, sterilis. Iuxta Nonacrim Arcadiæ Styx, epota illico necat.

In Campania Sinuessanæ aquæ, sterilitatem fœminarum, vt virorum insaniam abolere produntur.

Qui Sybarim bibunt, nigriores fiunt durioréq;, & crispo capillo: at qui è Crati, candidi, molliorésque, & coma exporrecta fiunt.

Inter Arcas & Raphaneas Agrippæ regni vrbes, fluuius septimo quoq; die fluit, qui interpositis sex diebus à fonte ipso deficiens, siccum exhibet locum, septimo die rursus similis exoritur, ob id q; Sabbaticus dictus.

In Bœotia duo sunt flumina, quorum alterum, si ouillum pecus bibat, pulli fieri coloris lanam: alterius verò haustu, quæcunq; vellerum fusca sint, in candidum verti aiunt.

Aretusa fons Syracusanus, in quo redduntur quæ iacta sunt in Alpheum. Itẽ quæ Athenienses in Aesculapij fonte immergunt, in Phalarico redduntur.

In Asphaltite lacu Iudææ nihil immergi potest, nec in Armeniæ maioris Antissa; quemadmodum apud Pytanam lateres aquis superna-

natant.& ad Agrigentum lacus sunt,in quibus quæ alibi merguntur, supernatant.

In flumine Sylari,virgulta immersa,& folia etiam lapidescunt.is fluuius montis,in quo sita est mea patria,quæ Conturſium nunc dicitur,olim(vt arbitror)Vrsentini,radices lambit,ibiq; etiam aquæ sulphureæ scaturiunt,quæ quà fluunt,tofum obducunt,ac quicquid comprehenderint,mira tenacitate cum tofo conglutinant,aperta singulorum annorum distinctione.quóq; inferior tofus,eo durior:superior, mollior:vt planè liceat videre aquam lapidescentem.

In Ciconum flumine,& in Piceno lacu Velinũ,lignum deiectũ,lapideo cortice obducitur:& in Furio Colchidis flumine,& in fonte meæ patriæ vicino qui Canales dicuntur,cuius aqua prædiũ meũ intersecat.

In Rubro mari oleæ virentésque frutices enascuntur. In Gaditano Oceano,Patauinorum aquis calidis,herbæ virentes innascuntur.

In Dodone Iouis fons,quum sit gelidus,ardentes faces extinguit, extinctas accendit: est autem in Epiro. Cæterùm meridie deficit,ad mediam noctem exuberat.

In Illyriis supra fontem frigidum expansæ vestes accenduntur.Iouis Hammonis fons interdiu frigidus,noctibus feruet.

Padi fons,mediis diebus æstiuis veluti interquiescens,semper aret.

In ea arce in qua Indi sapientes soli habitant,Apollonium ait Philostratus,præter cætera mira,duo vidisse dolia,alterum imbrium,alterum ventorum.inualescentéque apud Indos siccitate,doliũ imbrium aperiunt,ex eóq; nebulæ emittuntur,quæ totam Indiam humectant. si nimia fuerit pluuia,occlusum pluuias arcet.ventorum verò dolium id facit,quod Aeolus facere perhibetur.

In Troglodytis,Solis fons dictus,circa meridiem dulcis,maximéq; frigidus:mox paulatim tepescens,ad noctem mediam feruore amaritudinéque infestatur.

In agro Pitinate,fluuius Nouanus omnibus solstitiis torrens,bruma siccatur.In Falisco Clitumnis aqua pota candidos boues facit.In Bœotia Melas,oues nigras, Xantus ruffas:in Ponto fluuius Astaces campos irrigat,in quibus oues pastæ lac nigrum producunt.

Proxenes Macedo Alexandri miles, quum prope Oxum amnem, locum regio tabernaculo foderet,fontem liquoris pinguis aperuit,qui non odore,non gustu,ab oleo differens erat.quódque magis mirum est,oleam illa nusquam fert regio.

Lyncestis aqua,quæ vocatur Acidula,vini modo temulentos facit: item & in Paphlagonia,agróque Caleno.In Berosо Taurorum colle, tres fontes traduntur sine remedio,sine dolore mortiferi.

In Aethiopia stagnum est,cuius aqua epota,in insaniam vertens, cogit occulta palàm fateri.

In Andro insula,in Liberi patris templó,fontem nonis Ianuariis semper vini sapore fluere:si auferatur è cõspectu templi aquam fieri.

In

In Carinensi Hispaniæ agro duo fontes iuxtà fluunt, alter omnia respuens,alter absorbens.

Colophone in Apollinis Clarij specu lacuna est,cuius potu mira redduntur oracula,bibentium breuiore vita.

Indus fluuius omnium maximus,non aqua solum agros irrigat,sed etiam conserit: magnam enim secum vim seminum,frumenti,similiúmque dicitur deportare.

In Comagene, vrbe Samosata, stagnum est maltham producens, quæ aquis incenditur,nec nisi terra extingui potest.In India fons est, cuius aqua lucernæ ardeant.

Locus est in Nilo quem Phialem vocant,vbi singulis annis auream pateram argenteámque mergentes,septem diebus,quos natales Apis habent,neminem à crocodilis attingi dicunt:octauo die,hora sexta,redire belluæ feritatem.

In agro Sulmonensi,pago Fabiano arua rigantur:sed illa aqua herbæ necantur,fruges aluntur.

In Germania trans Rhenum castris à Germanico Cæsare promotis,maritimo tractu,fons erat aquæ dulcis solus: qua pota,intra biennium dentes decíderent,compagésque in genibus solue rentur.

In Sicilia circa Messanam & Milas, hyeme in totum exiccantur fontes,æstate exundant,amnémque faciunt.

Cyzice fons erat Cupidinis dictus,ex quo potantes amorem deponere,Mutianus tradit.

Arcadia Cretæ oppido expugnata,fontes amnésque illius situs cessauerunt:rursus condita,post sex annos emersisse,vti quæque cœpissent partes coli.

Thyana aquam habet,iuramenti fidem præstantibus aspectu facilem,& gustu dulcem:periuris verò epotam,oculos eorum,pedésque ac manus inuadentem.

In Cilicia apud oppidum Iusgum,riuus fluit vnus,ex quo bibentium subtiliores sensus fiunt. In Cæa insula contrà fontem esse dicunt,qui hebetes faciat.

In Troglodytis Iuba ait lacum insanum,mirifica vi appellatum, ter die fieri amarum,salsúmque:ac deinde dulcem,totiésque etiam nocte,scatentem serpentibus vicenorum cubitorum.

Haud procul à Caucis,circa duos præcipuè lacus,littora ipsa obtinent,quercus maxima auiditate nascendi,suffossæq; fluctibus,aut propulsæ flatibus,vastas complexu radicum insulas secum auferunt.Itaq; libratæ stantes nauigant,ingentium ramorum armamento,sæpe territis classibus.Romani quum velut de industria fluctibus agerentur, vt in prospectu stantes nocte,inopésque remedij,illi prælium nauale aduersus arbores inirent.

In India arbores tantæ esse magnitudinis ait Nearchus,vt vmbræ illatæ ad quinq; iugera circuitu extendãtur,ac dena hominum millia

sub vna arbore posint se ab æstu solis defendere. In eáque arundines ita crescunt, vt nauigiorum vice vtantur singulis nauigiis, è singulis internodiis confectis. Formicæque sunt in ea, vulpe maiores. Item sunt arbores, pro fructu lanam ferentes, ouilla meliorem.

Aegyptia ficus foliis moro assimilis, poma in ramis caudicéq; producit, subnascentibus sibi inuicem septies anno pomis. Eius materia in aqua recens subsidit: quum diu subsederit, liquore leuior facta sustollitur, humoréque ipso exiccatur.

Cutilas ad aquas opaca sylua nunquam die, sed noctu tantum visitur. In Tarquinienſi lacu, Italiæ magna duo nemora circunferuntur, nunc triquetram figuram edentia, nunc rotundam, complexu ventis impellentibus, quadratam nunquam.

In Tylenulli arborum folia decidunt.

Lyciæ platanus gelidi fontis socia amœnitate itineri apposita est, domicilij modo cana, octoginta atque vnius pedum: specus tam digna miraculo, vt Licinius Mutianus, nuper prouincię eius legatus, prodendum etiam posteris putarit, epulatum intra eum se cum duodeuiceno comite, largè ipsa toros præbente fronde. Plinius.

Pinum admirabilē, ambitu pedum 24. altitudine à radice duorum iugerum & 15. cubitorum, distantem ab Adramittio, stadiis centum: ex Strabone 13. Geographiæ.

Laricis arbor Tyberij tempore admirabilis, è qua facta est trabs centum viginti pedum, bipedali crassitudine æqualis, quo intelligebatur vix credibilis reliqua fastigij altitudo.

In Venetis duo luci monstrantur, quorum alter Iunoni, alter Dianæ Aetoliæ dicatus: in his lucis feras ita mansuescere, vt cerui lupis aggregentur.

Hercinia Germaniæ sylua, adeò magna, vt nemo adierit eius initiū, quum dierum 60. iter processerit ex Cæsare in Comment. Arduennam etiam syluam in Gallia maximam esse, notum est.

Caprificus, tauros quamlibet feroces, collo eorum circundata ita compescit, vt immobiles præstet.

Apud Gedrosios spina est tantæ magnitudinis ac soliditatis, vt circumequitantium quorundam comprehensa veste, non prius abrumpi auellique potuerit, quàm illos equo detraxerit.

Vallis in qua Herodion ciuitas est, à septentrione quidam locus cingitur, Babras dictus, vbi eodem nomine radix gignitur, colore flammæo, circa vesperum veluti iubar fulgurans, euellere cupientes fugit: nec prius manet, quàm quis vrinam muliebrem, vel menstruum sanguinem super eam fuderit. quin etiam si quis eam tunc tetigerit, mors certa est, nisi fortè illam ipsam radicem ferat de manu pendulam. vellitur etiam cane ad eam alligato, qui abeuntem dominum sequi cupiens vellat, cane protinus extincto.

In Hispania iuxta Gerionis sepulchrum duæ sunt arbores, specie ex pinu

pinu piceáque commixta: nec esse alibi dicuntur. ex iis sanguis distillat, vt ex populo Iliaca aurum.

In Mauritania vitem nasci, cuius crassitudinem vix duo homines complecti queant, & racemum esse cubitatem. Carduorum scapos duo denūm cubitorum, crassitudine palmorum quaternūm: item Aethiopibus Hesperiis calamos esse, quorum singula genua octonos modios caperent, & similem asparagis magnitudinem habere scribunt.

In Lycia Ephesti montes tæda flammante tacti, flagrant adeò, vt lapides quoque & arenę in ipsis aquis ardeant, alitúrq; ignis ille pluuiis.

Megalipolitanorum ager, frondes denſi supra se nemoris non adurit, & iuxta gelidum fontem semper ardet.

In Nympheo exit à petra flamma, quæ aquis accenditur.

Aetna in tantum flagrat, vt quinquagena & centena millia passuum harenas flammarum globos eructet.

In Vesuuij incendio scribit Dion primùm & in monte & in regione finitima, & in aëre visas Gigantum formas procurrentes: sonitus in cauernis tonitrus modo auditos, mari fremente, cœlóque resonante: pòst fragore quoque immenso, ceu montium concidentium edita, ab eo primum exiliisse lapides, mox ignem ac fumum erupisse, in quo formæ gigantum apparerent, vt resurrexisse putarentur, & tubarū sonitus audiretur: postremò consternatis omnium finitimorū animis, ac quò se reciperent ambigentibus, absumpta oppida, homines, feræ, pisces. Puluis etiam in Africam, Syriam, Aegyptum, Romámq; vsq; penetrauit.

Chimæræ Lyciæ montis ignis aqua accenditur, terra fœnóque extinguitur. In eiusdem Lyciæ regione quam Ephestion incolæ vocant, perforatum est pluribus locis solum, quod sine vllo nascentium damno ignis noxius circuit, lætáque est regio & herbida flammis, nihil adurentibus. Seneca lib. 11. Epist.

Inter Theram & Theraſiam è pelago flammæ erupêre, quatriduo omne mare æstuans, ardénsque reddiderunt.

In Lelanto campo ex terræmotu telluris hiatu aperto, ignitus fluuius apparuit.

Ante Hierosolymæ euersionem, ignis nona noctis hora circum templum arámque effluxisse scribitur, ingenti portento.

Ara est in montis Olympi cacumine, Ioui dicata, cuius altaribus si quę exta inferuntur, non diffl antur vento, nec pluuiis diluuntur: sed volente altero anno eiusmodi vti relicta fuerint reperiuntur, literæque in cinere scriptæ vsque ad alteram anni ceremoniam permanent.

Athos mons tantæ est altitudinis, vt in Macedoniam vmbram iaciat, non sine magno miraculo, quum Athos à Lemno sex & octoginta millibus passuum separetur.

In Lacynię Iunonis ara, sub diuo sita, cinerem immobilem esse, perflantibus vndique procellis scribunt.

Ante Boristenem Achillis insula est, cum æde sacra, quam nulla in-

greditur ales: & quæ fortè aduolauerit, raptim fugam properat.

Attanatis Britanniæ insulæ, terra quocunque iniecta sit angues necat. item terra ex Ebuso balearica. Item ex Gaulone insula, nec multo secus terra ex Hybernia, sparsa inter alueos, apes relictis fauis effugiunt omnes.

In Aetholia iuxta Corsicam insulam ferrifodinæ sunt, sed in ea massa ferri compingi non potest: extra insulam compingitur. mirúmque exhausta loca rursus complere, vt de Rhodi. platamonibus, déque Pari insulæ marmoribus. ex Strab. 10.

In hortis Hesperidum, præter aureos frutices, metallaq; frondentia, illud magis mirum, quod solum licet inferiore loco libra depresseris, nunquam accessus freti superlabitur (circundantur enim vndique mari in anguium modo sinuato) sed in ipsis marginibus hæret vnda.

Longo ab Hierosolymis recessu tristis sinus panditur, quem de cælo tactum testantur scripturæ, humus nigra & cinere soluta. duo oppida ibi, Sodomum Gomorrúmque, apud quæ pomum quod gignitur, habeat licet maturitatis specimen, mandi non potest. nam intrinsecus fuligo fauillata est, licet cute eximia contegatur, quæ pressa fumum excitat, & fatiscit in puluerem.

In agro Reatino quædam insulæ semper fluctuant, sicut in agro Cæcubo. Tellus illic non amplius pedali altitudine.

Tellus est apud Methonem in sinu Hermonico, altitudine stadiorum septem edita, quæ flammarum vapore facto, interdiu quidem propter calorem sulphureúmque ardorem inaccesibilis existit, noctu autem cum odoris suauitate longè luceścens.

In quadam ara Veneris Paphiæ non impluit,

Duo sunt montes iuxta Indum flumen, quorum alteri natura vt ferrum omne teneat, alteri vt respuat, itaque si sint claui in calceamento, vestigia auelli in altero non posse, in altero sisti.

In Creta mons est Catina, vbi nec muscæ sunt, nec mel ibi natum vsquam attingunt.

In Narniensi agro terræ hymbribus sicciores fiunt, ita vt siccitate fiat lutum, imbre puluis.

Pantaura lapillus, lapides omnes ad se trahit, siue in aqua, siue in terra sit.

In Arcadia lapis est, cui nomen est Albesto, ferri colore. hic semel accensus, extingui non potest.

Ad Caristium lapis nascitur, quem pectunt, nent, texunt. Tyreus lapis, quamuis grandis, aquis innatat.

Iuxta Harpasa oppidum Asiæ, cautes stat horrenda, vno digito mobilis eadem, si toto corpore impellatur resistens. Apud Prasios lapides effodi, thureo colore, ficù & melle dulciores.

Lapidem è Scyro insula integrum fluctuare, eundem comminutum mergi.

In

In Nasso Troadis sarcophagus lapis est, in quo corpora defunctorum condita, intra 40 dies absumuntur, exceptis dentibus: eiusdem generis sunt saxa & in Lycia & in oriente, quæ viuentibus quoque adligata erodunt corpora.

In Andria lapis est, qui combustus ferrum fit.

Solis mensa apud Aethiopes est huiusmodi: In suburbanis pratum est omnium quadrupedum assa refertum carne, quam per noctem singuli ciuium magistratus properant ponere, ad eámque vbi illuxit cuilibet epulatum licet accedere. Hæc ab ipsa terra reddi assiduè indigenæ aiunt.

In Crustumulo natum fœnum, ibi noxium, extra salubre est.

Recentia cadauera ad vadum labuntur, intumescentia attolluntur.

Ad primum à Conturbio lapidem Mephitis est, in quam suprauolantes aues decidunt: atque ibi à me rana passérque iuxta extinctus, repertus est. crater viris etiam omnino inaccessus.

In Babiloniorũ regione Ecbatana, naphtha oritur, bituminis naturæ per quam similis, quæ admoto igni, statim ardet damnoso experimento in Stephano pusione: qui quum illa vnctus esset, assistente in balneo Alexãdro Magno, admotis flammis, ita statim igne correptus est, vt periculũ fecerit. vixque illius subuentum est vitæ, cæteris membris posthac inualidis. Hoc esse venenum affirmant, quò vulgatam in tragœdiis coronam Medea, & pallium perunxisse traditur.

In nuce inclusam Iliada Homeri, carmen in membrana scriptum tradit Cicero. Plinius ait: Vidimus iam tantæ tenuitatis fila in retibus, vt annulum hominis cum epidromibus transirent retia, singulóque eorum stamine centeno quinquageno filo constante. in Rhodiorũ insula ostenditur in templo Mineruæ thorax Amasys regis Aegyptij, in quo singula fila trecentis ac sexaginta filis constant. ex eodem.

In desertis vastisq; Indiæ locis, nasci linum rarum inuentu, difficile textu propter breuitatem, viuum id vocãt. cuius mappæ impositæ igni non aduruntur: sed sordibus exustis, magis splendescunt. Regum inde funebres tunicæ corporis fauillam ab reliquo separant cinere.

In Corsica, Perside, Mauritana, & Massilis faui venenati conduntur.

Si auro liquescenti gallinarum membra misceantur, consumunt illud in scitu hoc venenum auri est.

Midæ Gordij filij in hortis sua sponte rosæ nascuntur sexagenũm foliorum, fragrantioríque odoris quàm cæteræ.

Albam condente Ascanio, deos penates translatos Lauinio, in templum inaccessibile, quod condiderat Ascanius, noctu clausis portis, neque vlla ex parte læsis parietibus aufugisse, Lauiniique priscam sedem repetisse tradunt.

Saliorum sacrario exusto, nihil præter Romuli lituum integrum repertum est: quod accidit Seruij Tullij & Q. Claudij statuis.

Circa Syrtes in Lybia aliquando, præsertim quiete à ventis tempo-

re, apparent in aëre diuersorũ animantium formæ, quarum quædam quiescunt, quædam mouentur: & hæ aliquando fugiunt, aliquando sequuntur. sed omnes magnitudine eximia, stuporẽ timorémque insciis præbentes. Nanque hominem insequuntur, comprehensum frigido circundant contactu.

In Italia Locris, lacúque Velino, nullo non die apparere arquum dicunt.

In exercitu Xerxis, equa leporem peperit: térque, vinum Xerxi fusum, in sanguinem conuersum est.

Alexandro Magno ouis agnum tiaram capite, geminos vtrinque corymbos habentem, peperit. Et è leonibus quos ipse educabat, quendam mansuetus asellus calcibus exanimauit.

Midæ Phrigiæ regi in cunis agenti, formicæ tritici grana in os attulerunt: Platoni apes mella.

Galba in Tarraconensi sacrificante prouincia, intra ædem publico puero è ministris acerram tenenti, capillus repentè toto capite canuit: & puer semestris in foro Boario triumphum proclamauit.

Flaminio Fulvióque coss. in Insubres copias habentibus, fluuius qui per Picenum agrum labitur cruore fluxisse visus est. Eodem Flaminio contra Annibalem pugnaturo, signa conuelli non potuerunt.

Marij Syllæque in bello hastæ quibus vexilla gestabantur ignem emiserunt: qui vix restinctus est. Tres corui pullos in viam adductos deuorarunt, reliquiásque intra nidum retulerunt: sereno aëre tubarum sonus increpuit, acutam lugubrémque intendens vocem. Aurum in templis à muribus corrosum, quod sæpe accidere solitum est: quemadmodum pluere lapidibus ac sanguine, & statuas sudare.

L. Martio Scipionis reliquias militum solanti, hortantique, flamma in capite emicuit. vt Seruio Tullio dormienti in pueritia, & Ascanio apud Ilium, & Lauiniæ in Latio apud Verg.

Ciceronis vxori Terentiæ, quum post sacrificium peractum vellet libare, in cinere visa est flamma, quę eo anno consulem futurum virum ostendit.

Octauio consule caput è simulachro Apollinis sponte decidit: atque ita terræ affixum est, vt euelli non potuerit.

Fortunę muliebris simulachrum bis dixisse: Ritè me matronę vidistis, ritéque dedicastis.

Sagunti infans ortus, quo anno deleta est ab Annibale, in vterum protinus est conuersus.

C. Asinius factus est puer ex virgine, Aristontes, qui primo Arestusa dicebatur, ex muliere vir factus est: is prius nupserat, postea virilitatem barbámque prouenisse, vxorémq; duxisse aiunt. Plinius ait se vidisse in Aphrica mutatum in marem nuptiarum die L. Cossutium, ciuem Tisdritanum. In fabulis, Iphis puella in marem conuersa est.

Canis locutus est, serpẽs latrauit, quũ pulsus est regno Tarquinius. In

In conuiuio ducũ qui secuti sunt Polynicem in bello Thebano, aqui la telum Amphiarai in sublime tulit, moxque demisit: id autem humi fixum, in laurum est conuersum.

Cyzicum vrbs in dotem Palladi à Ioue putatur data: & propterea Cyzicæni eam deam præ cæteris Diis colunt. sacrificiis itaque solennibus instantibus, in quibus nigram sacrificare bouem mos fuit, quum ea carerent oppugnante vrbẽ Mithridate, è frumẽto finxere sacrã: interim bos nigra è pelago ad eos accurrit, quæ ingressa ad altare cõstitit.

Xerxe Hellespontum transgresso, Sardis mula mulum vtriusque naturæ peperit.

Crœsi filius locutus est semestris in crepundiis: quo prodigio totum id concidit regnum.

In Aegypto ortus est homo binis oculis, aduersa capitis parte, sed non iis cernens.

In Laodicea in Xerxis aduentu Platanus in oleam mutata est: ficus in lauro Cyzici nata est ante obsidionem: palma in basi Cæsaris dictatoris, ante bella ciuilia.

Vestij Marcelli equestris ordinis oliuetum, viam publicam in agros Matrucinio transgressum est: aruis inde è contrario in locum oliueti profectis, Neronis principis tempore.

P. Cornelio & T. Sempronio coss. in Teramne lac fluxisse, Arimini natos pueros ingenuos sine oculis ac naso. in Piceno agro nec manus nec pedes habentem natum legimus.

Posthumino consule in Piceno triduò lapides pluit. Apud Homerum sanguinem pluit eius diei maturino, quo conflicturus erat exercitus.

In Lauinij ædificatione, ignem per se accensum: lupúmque ore ligna ferentem in ignem, aquilámque volitãtem ignem extinxisse: Deinde vulpem cauda madefacta ignem extinguere volentẽ, vicissè autem duos scriptum reperitur.

Item Coss. C. Claudio Nerone, & M. Liuio Frusinone, natum infantem quadrimo parem.

Coss. L. Veturio Philone, & Q. Cecilio Metello, in Antio messoribus cruentæ spicæ visę sunt: Gætæ porcus biceps, agnúsque masculus idémque femina ortus est: bos in agro Rom locutus.

Coss. verò Cn. Seruilio Cœpione, & Cn. Seruilio Comino, equulus Reate cum quinque pedibus natus est.

Coss. P. Sulpitio Gallo, & C. Aurelio Frusinone, ortus agnus cum suillo capite. Sinuessæ porcus cum capite humano. In Lucanis, in agro publico, ortus equus cum quinque pedibus.

Coss. P. Lentulo, & P. Iulio in Herculis æde capillum enatum. In Brutiis equum cum quinque pedibus ortum: pullos gallinaceos tres cum trinis pedibus: lauream in puppi nauis longe enatam.

Coss. Q. Flaminio & Sexto Elio Pæto Suessæ, agnum cum duobus capitibus natum. Cn. Cornelio, & Q. Minutio coss, Asculo agnus

agnus biceps cum quinque pedibus natus. & post Neronis mortẽ Syracusis ortus est infans trium capitum, vnius tamen corporis.

M. Acilio, & C. Portio consſ. lacte sanguinéq; pluisse. L. Volumnio & Seruio Sulpitio, carne, eámq; non computruisse: in Lucanis ferro, L. Paulo Marcello consſ. lapa. iuxta Carissanum lateribus coctis.

Tertio consulatu Marij spectata arma cœlestia ab occasu ortúque concurrentia.

In Agro Ariminense locutum Gallũ M. Lepido, & Q. Catulo consſ.

Sacrificantibus in Aulide Græcis, serpens ab imo aræ prosiluit, platanúmque conscendit, vbi octo passerculos matrémq; postea deuorauit: sed is statim insaxum conuersus est. ex Hom.

Sequenti anno, quo Lucretius de Equis Volscisque triumphauit, bos locuta est: pluítque carne, quam partim à numero auium magno volitantium deuoratam, partim incidisse, atque per aliquot dies ita iacuisse nullo odore mutato, memoratur.

Veniente in Italiam Annibale, præter cætera prodigia: aquas Cæretes sanguine mixtas fluxisse.

Fabio Sempronióq; consſ. ad Sinuessam bos equuleum peperit.

Q. Fabio, M. que Marcello consſ. bouem in Sicilia locutã: In Marrucinis infantẽ in matris vtero Io triumphum clamasse. Spoleti è muliere virum factum: Adriæ aram in cœlo, speciésque hominum circum eam cum candida veste visas esse.

Eo anno quo M. Attilius & M. Acilius legati ad Ptolemæum missi sunt, Tusculi agnus cum vbere lactanti natus est: Anagniæ terram ante portam fulmine ictam die ac nocte sine vllo alimento arsisse. Terracinæ in mare haud procul à portu anguis magnitudinis miræ lasciuientium piscium more exultasse: Tarquiniis porcum cum ore humano genitum.

M. Marcello & P. Sulpitio proconsſ. puerum natum cum elephanti capite. pauloante Hierosoly. subuersionem in festo Azimorum bos quæ ad hostiam ducebatur, agnum, in medio fani peperit.

In Capitolij ædificatione in profundis fundamentis à Tarquinio inuentum est caput hominis nuper occisi, ac viuo assimile. sanguinémq; è capite fluentem calidum adhuc. De ancili verò à cœlo Romam delapso, sunt referta omnia.

DE MORTE. X.

Acon quidam quum homines defunctos in sellis sedenteis videret: absit, inquit, vt hîc sedeam, vnde seniori assurgere fas non est.

Anaxagoras, quum Lampsaci moreretur, quærentibus amicis, vellétne Clazomenas in patriam siquid accidisset afferri. Nihil necesse est, inquit. Vndique enim ad inferos tantundem viæ est. Ex Cic. Tusc. Laërtius aliter, Idem decretos publicè honores contempsit. id sibi omnino postulauit vt post mortẽ pueris qui disciplinis operam darent, permitteretur feriatos ociari & ludere.

Diogenes Cynicus, quum sibi ita persuasum esset, vt crederet nullũ esse post mortem sensum: proiici se inhumatum iussit. Tum amici volucribus ne & feris? minimè verò, inquit: sed bacillũ prope me quo abigã ponitote, Quî poteris. illi aiunt, non enim senties? Quid igitur mihi ferarum ait laniatus oberit nihil sentienti? concinnè igitur Seneca: Non defunctorum causa, sed viuorum, inuenta est sepultura: vt corpora & visu & odore fœda amouerentur, Socrates apud Plat. in Phædone ait Critoni, ne se deploret: maledictum enim non solum in hoc ipso delinquere, sed etiam animis nonnihil officere.

Socrates, quum moriendi tempus vrgeret, rogatus à Critone, quẽadmodum sepeliri vellet: Multã vero, inquit, operam amici frustra cõsumpsi: Critoni enim non persuasi, me hinc auolaturum, neque quicquam me relicturum. Veruntamen Crito, si me assequi volueris, aut ſubi nactus eris, vt tibi videbitur sepelito. putabat enim Socrates hominem animam esse. idem de Iudicibus intelligens dicebat: Anytus & Melitus (criminatores hi erant) interficere me possunt, sed incommodo aut detrimento minime afficere.

Solon, quum lugeret filium extinctum, dicenti cuidam vt luctui parceret, quia nihil proficeret: At propter hoc, inquit, lachrymor, quia nihil proficio.

Gymnosophistas qui Sabam ad defectionẽ sollicitauerant, assecutus Alexander: hac lege proposuit illis dubias quæstiones, vt nisi exoluerent, necarentur. præfecitq; vnum ex illis, ætate maturissimum, rei arbitrum. Interrogatus ergo primus, vtrum plures viuos an mortuos esse censeret: viuos, inquit: non enim amplius extare mortuos. Secundus verò rogatus, maiorésne terra belluas an mare nutriret: terram respondit, mare enim portionem eius esse: Tertius, quodnam callidissimum esset animal? quod ab homine non dignosceretur, ait. Quartus, quo consilio Sabam ad defectionem sollicitasset: se illum egregiè viuere, aut strenuè mori maluisse ait. Quintus, vtrum diem an noctẽ priorem extitisse puret: Diem, inquit, die vna. Sextus rogatus quonam pacto quisquam imperitans contraheret beneuolentiam: ne sit terribilis, inquit. Ex reliquis tribus vnus percunctatus quomodo mortalis quispiam in deorum numerum referretur? Si humanis, inquit. maiora viribus gesserit. Alter, vitam an mortem fortiorem putet: vitam, inquit, quæ tot calamitosa patiatur. Extremus, quousque viuendum homini sit: Donec, inquit, mortem vita potiorem esse putet. ex Plutarcho, in Alexandro. Thales rogatus, vtra fuerit prior, nox an dies: Nox, ait, vna prior die.

Scribonia Drusi Libonis amita, domum lectica è senatu relata, consilium de morte capessente Libone, an sibi consciisceret, an ab inimicis

expe-

expectaret:grauiter,Quid te,inquit delectat alienum negocium agere?quia qui occidendus ab inimico mortem differt,inimici negocium agit.

Diogenes rogatus an mala esset mors:quónã, inquit,modo, quam præsentem non sentimus?Epicharmus dicebat,Emori nolo: sed me esse mortuum nihil æstimo.

Gorgias rhetor rogatus an libenter obiret: minimè, inquit, sed ex hoc domicilio putrescente libenter abeo. Seneca in prouerb. Bona mors est homini vita quæ extinguit mala.

Galatæ adeò mortis contẽptores sunt,vt ex iis nudi aliqui pugnent: quum ex Pythagoræ sententia transcorporaturos sibi persuadeant. ob idque multi epistolas in defunctorum pyram, tanquam post mortem lecturi,coniiciunt:ait Diodorus libro 6.

Diagoræ Rhodio tres fuere filij,vnus pugil,alius pancratiastes, tertius palestrita.Is eodem die quum Olympiæ victores adolescentes,parentem amplexi,coronis suis in caput patris positis dissuauiarentur; populúsque gratulatus flores iaceret inter manus osculáq; filiorũ expirauit.Ex Gell. Cic. verò in Tusc.q. Quum Rhodius Diagoras Olympionices nobilis vno die duos suos filios victores Olympiæ vidisset, accessit ad senẽ.& illi gratulatus:morere Diagora,inquit.Ex hoc liquet: Nil melius dari homini tempestiua morte.vt ait Plinius.Id etiã ostendit exemplũ Cleobis & Bitonis,de quibus dictum est in cap.de Fœlicitate. Itẽ Throphonij Agamedisq;, qui quum Appollini Delphis tẽplũ ædificassent,venerantes deũ petierunt, mercedem non paruam quidẽ operis laborísque sui:nihil certi, sed quod optimum homini. quibus Apollo se id daturuum pollicitus est, post eius diei diem tertiũ. qui vt illuxit,mortui sunt reperti.Exemplum est infrà de Alexandro.

Midas Silenum quum cepisset,atq; Baccho alumno reddidisset,pro missione id muneris assecutus est,vt quicquid attingeret,aurũ fieret.vn de factũ est vt breui moreretur,conuerso in aurum pane ac vino.id figmentum ostendit,mortem esse homini optimum munus.Ex Cic.Tusc.

Aulus Posth.in oratione ad milites:mori enim datum est omnibus, malísq; & bonis:pulchrè verò & gloriosè,bonis solis. Hector Homericus Andromachæ vxori ait,Ne se afflictet,mortem enim effugere datum est nemini,siue ignauus sit ille,siue strenuus.

Morituros vaticinari idem Hector ostendit apud Homerum,qui ab Achille vulneratus,breui prædixit futurum vt à Paride occideretur.Calanus Indus quum in rogo incederet:O præclarum, inquit, discessum è vita,quum vt Herculi contigit,mortali corpore cremato, in lucem animus excesserit. rogantéque Alexandro, vt diceret si quid vellet: Optime,inquit,propediem te videbo. quod ita factum est, veneno extincto paucis post diebus Alexandro in Babylone.Theramenes venenũ bibens,Critiæ inquit,propino atq; omine falsus non est.Rhodiũ quendam morientẽ sex æquales nominasse,ac dixisse,quis primus eorũ, qui secund

secundus, qui deinceps moriturus esset: omine subsecuto. Subit etiam morientes patriæ recordatio,vt ait Vergilius lib.10.de Anthore:

Sternitur infœlix alieno vulnere,cœlúmque
Aspicit,& dulces moriens reminiscitur Argos.

Crantor in consolatione ait:Termanium quendam Eleusinum, quũ grauiter filij mortem mœreret, venisse in sicomantium.quęrentẽ quę fuisset tantæ calamitatis causa,huius tabellæ treis versiculos datos:

Ignaris homines in vita mentibus errant,
Euchinous potitur fatorum munere læto:
Sic fuit vtilius finiri ipsíque tibíque. Ennius:
Nemo me lachrymis decoret,nec funera fletu Faxit.

Agesilaus rogatus,quomodo magnam gloriam acquireret: si mortem,inquit,contempseris.

Socrates quum damnatus esset ab Athenienſibus, quòd nouos deos induceret,constanti vultu venenum è carnificis manu accepit.admotóque iam labris poculo,vxori Xantippæ querenti quòd innocẽs occideretur:quid ergo,inquit,nocenti mihi mori satius esse duxisti?

Cęcilius Metellus quum munitissimo loco exercitum vellet admouere,centurióque quidam dixisset: si decem'tantum viros perdideris, locum esse capturum rogauit,an vnus è decem illis esse vellet?

Archilochus poëta quum in suis scriptis hoc carmen inseruisset, At caruisse armis,quàm mortẽ occumbere præstat:id est, melius esse abiicere arma quàm mori:veniſſetque Spartam, eadem hora qua venerat,à Laconibus pulsus est.

Paulus Aemilius, deprecante Perseo ne in triumpho duceretur: in te,inquit,hoc est.

Diogenes Cynicus rogatus num seruulum aut ancillam haberet:negauit. Dicenti,si ergo obieris, quis te ad sepulchrum efferet? Quj domo,inquit,indiget.

Idem ficos legebat,custode dicente,in hac ficu ante paucos dies homo suspensus est:Ego,inquit,illam purgabo.

Idem Xeniadi interroganti,quomodo sepeliri mallet:in faciem,inquit,roganti causam:quoniam, inquit, postmodum inferiora conuertenda sunt.

M. Aemilius Lepidus,princeps senatus, antequàm expiraret filiis præcepit,vt mortuũ lecto strato,sine linteis,sine purpura eũ efferrent. Apud Spartanos non licebat mortui nomen inscribere in sepulchro, nisi aut viri,aut fœminæ,qui præclarè in bello periissent.

Thraces hominum natalem cum fletu, funus verò cum hilaritate celebrant: dicuntúrque Thrausi gens illa.Lycij in funere muliebrem vestem induunt,vt deformitate cultus commoti, maturius mœrorem vanum deponãt.Plato extrui vetat sepulchrũ altius,quàm quodquinq; diebus absolui possit: nec è lapide excitari plus, nec imponi, quàm quod capiat laudẽ mortui incisam: nec plus quàm quatuor heroicis versibus.

versibus,quos longos appellat Ennius.

Morientibus oculos operire,rursusq; in rogo patefacere, Quiritiũ magno ritu sacrum est:ita more condito, vt neque ab homine supremùm eos spectari fas sit,& cœlo non ostendi nefas. Mortuum à flamine diali non attingi. Illud addendum ex Seruio,quod Pythagoras Platóque præcipue aiunt,viuos superis charos,mortuos inferis.

Aegyptij mortuos condiunt, eósque domi seruant. Chelonophagi piscibus edendos proiiciunt. Nabathæi etiam reges in sterquiliniis sepeliunt. Persæ cera circumlitos condiunt ad diuturnitatem. Magorum mos est,non humare corpora suorũ,niũ à feris antea laniata. In Hyrcania plebs publicos alit canes:optimates, domesticos:& pro sua quisque facultate parat,à quibus lanietur,eámque optimam illi censent esse sepulturam. Ex Cicerone in Tusc. Parthorũ,inquit Iustinus, sepultura aut auium aut canum laniatus est, nuda demum ossa terra obruunt. Megarenses in sepeliẽdo mortuos ad orientẽ conuertunt: Athenienses versus occidentẽ. Aethiopes in fluuiũ abiiciunt, aut circũfuso nitro domi condunt. aut in fictilibus alueolis circum templa defodiunt. Babylonij in melle,præter Thrausos. Cæliæ etiam natos deflent,defunctos gaudio prosequũtur. Aegyptij,vbi domesticus aliquis moritur,omnis muliebris sexus,familia,caput sibi & vultum luto oblinit: deinde relicto cadauere domi,ipsæ succinctæ nudatis mammillis, per vrbem vagantes,se plangunt: itémque & homines idẽ faciunt. Cadaueri verò incuruo ferro cerebrũ per nares educunt, medicamentisq; farciunt: post ea ilia incidentes acutissimo lapide Athiopico aluũ protrahunt, quam repurgatam odoribus refarciunt, atque iterum conditum cadauer consuunt,sinũtq; capitis comam crescere,barbam radẽtes. Apud Massagetas genus mortis optimum iudicatur, vt senio confecti, in frusta cædantur,& cùm ouillis carnibus promiscuè edantur. Eos qui morbo occumbunt, vt impios abiiciunt & dignos qui à feris deuorentur.

Apud Aegyptios,antequam mortuus in arcam condatur, siue in illam ligneam imaginem,volenti mortuũ accusare permittitur. si quis male vixisse comprobatur, Iudices censent corpus sepulchro priuandum: qui deprehenditur iniustè crimẽ obiecisse, magna mulctatur pœna. Iidem dant creditori in pignus parentum defunctorum corpora. Populi quidam insulæ Aegypti quæ Abalos dicitur vicini,suorum cadauera ad alteram regionem trãsferunt. qui verò in fluuio mersus fuerit,nec eius cadauer inuenietur, post centum annos funus persoluitur. Troglooditæ mortui corpus ceruicémque paliuri viminibus ligant, deinde cadauer in loco editiori positũ lapidibus ridentes obruunt: impositóque super saxorum aceruum capræ cornu, abeunt. ex Diodoro.

Scythæ regum sepulchra apud Gerros faciunt. ibi,quum rex eorum decesserit,aluo eulsa, thymiamate apiique semine expleto, in aliam gentem transferunt: quem excipientes, aurem decidunt, crines circum tondent, brachia circumcidunt, frontem nasumque consauciant, sinistram manum sagittis traiiciunt. quem etiam ad alias gentes deferunt, lustratisque omnibus deponunt apud eos qui in extremis habitãt, atq; in loculo aliquam è pallacis strangulant & imponunt, item eum qui vina miscebat,& coquum,& equi agasonem, ministrúmque,& qui erat à nunciis. phialas præterea aureas, terrámque iniiciunt, vt maximum extollant tumulum. Circumacto anno quinquagintata è ministris nobilibus (nam serui regi non ministrant) strangulant, atque singulis equis transfixis, singulos traiectos à spina ad ceruicem stipite imponunt, atque iis impositis abeunt, ait Herodotus. Essedones cadauera parentum dentibus laniant, capitum etiam ossa auro intecta in poculorum tradunt ministerium.

Apud Rom. tunc institutum est homines cremari, quum obrutos erui longinquis bellis cognouerunt. In Cornelia domo nemo ante Syllam crematus dicitur. Id tum eum voluisse, veritum talionem, eruto C. Marij cadauere, atq; in Anienem dispersо. Apud Rom. primum Romæ sepeliebantur. cautum postea à Duillo consule, vt extra sepelirentur, cùm constet solos imperatores, qui legibus non continentur intra sepultos,& virgines vestales. Apud Hom. cadauera cremabantur. Persæ non vrebant, quia nefas esse deo putabant depasci cadauera hominum. Neque Aegyptij, quia omnia putabant consumi igne deo animato. Heraclitus, qui dicebat omnia ex igne constare, dicebat in ignem debere corpora resolui. Thales, qui ex humore, dicit obruenda, vt humore resoluerentur.

Lugendi modum Numa ita præfiniuit: Non lugeri trimo minorem, neque etiam natu grandiorem, plures menses quàm vixisset annos, ad decem vsque. Et prolixiore fletu ætatem lugere nullam. vxores viri lugere non compelluntur: sponsæ enim nullus luctus est. ait Paul. lib. 3. Digest. Lugendi mos patris filiique 10. menses erat. Fabius Maximus luctum triginta diebus compescuit.

Achilles mortuo Patroclo, cinere caput, mundámque tunicam fœdauit. Eius corpus primùm feruenti aqua lauerunt, ac pòst oleo vnxerunt, impositóque in rogum flauas comas ibi Achilles sibi dissecuit, imposuitque: ac multas bidentes bouésque excoriatas circumposuit. Dein addidit mellis oleíq; guttas: quatuor item equos pyræ adiecit, duósque canes, duodecímq; Troianos occisos, postea nigro mero fauillam extinguit. ex Hom. Apud veteres ante rogum aut captiuorum sanguis effundebatur: aut si eorum copia nõ fuisset, laniantes fœminæ genas suum effundebant cruorem, vt rogis illa imago restitueretur. In Hectoris funere cantores flebile carmen cecinerunt.

Helena verò in matris rogo capillos non dissecuit. Vnde à poëta dictum est: Mulier est, quæ semper fuit pristinum ingenium seruans, pristinámque naturam. Neoptolemus in patris rogo vnà cum Phœnice comas deponit, in locóque pernoctat.

Hominem mortuum feriis publicis sepelire non licebat. ex Colu-

mella libro secundo:In mortuorum domibus pro signo cupressus apponebatur. Notandum,si quando cadauera necatorum fluctibus euehuntur,virorum supina,prona fluitare fœminarum. Efferebátur olim ad tubas,quod Ver.ostendit lib.10.

Perdiccas Macedoniæ rex,Argæo filio monstrauit locum quo condi vellet,ibique etiam succedentium in regnum ossa poni iussit: creduntque hac superstitione extinctam in Alexandro stirpem,quia locum sepulturæ mutauerit.

Annibal Marcelli occisi corpus honorificétissimè cremauit,posteà reliquias argentea in vrna positas corona aurea addita mittendas filio curauit:sed aggressi Numidæ qui ferebant vt vas coronámq; arriperent,pugnam commiserunt:atq; ita Marcelli cineres ossáq; dispersa sunt.Alexander Darij corpus regiis ornatum insignibus,ad matrem deferri iussit.

Socrates & Anaxagoras crediderunt sepulturas esse superuacuas, Verg.Facilis iactura sepulchri.Lucan.Cœlo tegitur qui non habet vrnam.Sepeliuntur inter se viuentium solæ formicæ,præter hominem.

Alexandro apud Babylonem ægrotante, amici in Serapionis fano peruigilantes sciscitati sunt,vtrum præstaret in eius fanum Alexander vt curaretur importari: tum Serapionem admonuisse,non oportere, Vbi enim ægrotaret manentem habiturum melius,atq; tanquam melius fuerit decessisse,mortuum paucis post diebus.

Philomenes,quum asellum ficos comedentem aspiceret,ad puerum vt asellum abigeret inclamauit.qui quum post assumptas ficos venisset:quia nunc,inquit,tam serò venisti,da merum asino.vrbanitatémq; dicti crebris cachinnis prosequutus,senile guttur salebris spiritus prægrauauit.

Homerum literarum principem,ait Plin.quum Ioniam in insulam nauigasset, in piscatores incidisse, qui pediculis se purgabant,rogassáque nunquid haberét:illi verò,se perdidisse quod ceperant,responderunt:quod verò non cepissent(ad pediculos alludentes)habent,ænigmatis difficultate concussum animam exhalasse.

Attalus rex,quum T.Flaminius Thebas esset ingressus,atque eius milites non libenter à Thebanis susciperentur hospitio,orans super ea re Thebanos, vsus dicendi potentia,senectutis vires subita vertigine correptus,aut humoris descensu percitus cõcidit:relatúsque ad Asiam, nauibus mortem oppetit.

Nullis euidentibus causis obiere ,dum calceantur matutino duo Cæsares,prætor & prætura pop. Rom.functus,dictatoris Cæsaris pater L.Cæsar.hic Pisis exanimatus,ille Romæ. Q. Aemilius Lepidus egrediens incusso pollice limini cubiculi C. Ausidius,quum in senatum iret,offenso pede in comitio:sed de his qui mortibus repentinis occubuerunt.apud Plin.in 7.legito.

Secundo bello Punico accepta à Romanis maxima clade ad lacum Thrasi

Thrasimenum,mulierum duarum , altera sospiti filio ad ipsam portam facta obuia,in complexu eius expirauit:altera ad primum cõspectum redeuntis,quem mortuũ audierat,exanimata est. Chilon etiam præ gaudio,Sophocles & Dionysius tyrannus occubuere , hi tragicæ victoriæ nuncio.

Diognitus Erithreorum imperator, Polycretam Naxiam quæ in præda capta fuerat,non vt captiua,sed vt vxore vtebatur:interea quum in solenni sacrorum die mero se Milesij ingurgitallent,Polycreta rogauit Diognitum,vt sacrorum libaminum partem fratribus Naxum mitti permitteret.eo exorato,mittit plumbeam laminã placentæ infertam,in qua fratres hortabatur,vt Milesios temulentos inuaderẽt. venerunt illi,castrisque hostium potiti sunt:Polycretáque erepta est: sed dum ad patriam redit,ab omnibúsque salutaretur,laudaretúrque, inter ipsam lætitiam expirauit.

Drusus Pompeius Claudij imperatoris filius pubes , pyro per lusum in sublime iactato,& hiatu oris excepto,strangulatus est.Pindarũ posuisse caput in pueri genibus,ac nunquam experrectum,tradunt.

Tiriton Spartiata,potito rerum Antigono , mortem sibi conscíuit. Item socij omnes Cleomenis , qui in carcerem à Ptolemæo coniecti fuerant.Philocrates C.Gracchi seruus,occiso ex iussu Graccho.M.Brutus Cæsaris occisor.Item Fimbria,desperans posse cum Sylla in gratiam redire.Spargapises Tomiris reginæ filius,quòd ebrius in manum Cyri peruenerat,solutus ebrietate mortem sibi conscíuit.ex Herod. lib.1. nam Iustinus aliter.Item Cleanthes, Chrysippus , Democritus, Zeno.Empedocles nocte intempesta in ardentis Aetnæ specum se dedecit.Cleombrotus lecto Platonis libro de Anima,se præcipitem dedit in mare.Cato se confodit.Indi mortem voluntariam sibi asciscunt. Plancus in Parthica Crassi expeditione mortem sibi conscíuit.Marcianus:Qui rei postulati,vel qui in scelere deprensi,metu criminis imminentis mortem sibi conscíuerunt,hæredem non habent: qui verò non sunt postulati,bona eorum fisco non vendicentur.ex Papiniano,libro 48.digest.

Philarchus in media pugna,quum clamore pectus rupisset,expirasse traditur.quidam verò post victoriam lætitia elatus,quum ingenti voce exclamasset,O lætum pulchrúmque diem : repentina febre correptus,diruptis venis interiit.

Homo non semper ictus fulmine extinguitur,cætera illico.homo nisi conuertatur percussus,non expirat.superne icti considunt,vigilans ictus conniuentibus oculis,dormiens patentibus reperitur.Hominem ita exanimatum cremari fas non est:condi terra religio tradidit. Nullum animal nisi exanimatum fulmine accenditur. Vulnera fulminatorum reliquo corpore frigidiora sunt.

Mortis signa in ægro,furoris morbo risus:sapientiæ verò simbriarum cura, & stragulæ vestis plicatura : à somno mouentium neglectum,

ctum,supino assiduo cubitu, manibus expansis. Si ricinum ferenti,à pedibúsque stanti ac interroganti de morbo æger respondit: certam spem vitæ esse,moriturum nihil respondere.addúntque,vt euellatur ex aure læua canis omnino nigri.ex Plinio.Celsus ait mortis etiã esse signum,vbi residere vult ab ipso acuti morbi impetu:si nunquam somnus accedat,aut si semper vrgeat,crebro spirare, pus expuere,vix excreare,sine voluntate lachrymare,habere humorem glutinosum dentibus inhærentem.

In Albania,araneæ quædam cogunt ridendo mori,quædam flendo desiderio suorum.

In fortunatis insulis apud Aethiopes gemina herba est,supra quam si quis iacet,in suauem adductus soporem moritur.

Animas esse immortales ex contraria argumentatione, Socrates apud Plat.in Phædone probat.ait enim,quemadmodum ex somno vigilia fiat,somníque ratione dicatur vigilia,atque ex vita mors,& è viuente mortuus,ita è mortuo viuus,ac proinde animam esse viuentem immortalémque.

Idem Socrates eodem libro ait,cygnos morituros,ceu lætabundos, quod quum Phœbo sacri sint,præsagiant futura post mortem bona, nec esse verum quod præ dolore concinant.Nulla enim,ait,auis quæ aliquo afficiatur incommodo,concinit. Considerandum est igitur,an rectè Ouid.dixerit:Sic vbi fata vocant,&c.nisi errantem Didonem posuerit.

DE MALITIA, MALIS, ac improbis. XII.

Dionysius senior quibusdam accusantibus hominẽ, quòd improbum,ciuibúsque odiosum honoraret atque prouueberet: At volo,inquit,aliquem esse,quem maiori quàm me odio prosequantur.

Philippus Macedo potentibus in ciuitate opus esse & bonos & malos sibi conciliare,vt bonis quidem vteretur,malis verò abuteretur,dicebat.

Spadone quodam scelerato inscribente domui suæ,Nihil ingrediatur mali:facetè Diogenes Cynicus,Dominus autem domus:quánam, ait,ingredietur?

Idem adolescentem lapides in cœlum iactantem quum deprehendisset,Euge,inquit,scopo enim potieris.

Aristophanes in Pace, ὅτι ποτὲ ποιοῖς τὸν πατρῷον ὀρθοβαδίζειν, id est,nunquam facies cancrum rectè ambulare.

Prouerbium in malos homines,Mali commatis esse.est enim comma,monetæ malæ genus. Cyrus apud Xenoph. Chrysantæ ait:Viros bonos ac præclaros putandos esse indubitato felicissimos, malos autem & famosos omnium miserrimos duci oportere.

Chius

Chius negociator vina optima venditabat, ipse acido vappáve vtebatur.eius seruus,quum fortè aliquando fugisset,rogatus qua ratione dominum reliquisset:quia,inquit,cùm in manibus bona illi essent,mala conquirebat.

DE MINIS. XIII.

Agathocles figuli filius, Siciliæ dominus factus, quum vrbem quandam obsidione cingeret, atque oppidani à muris cõiiciarentur,dicentes,Vnde ô figule stipendium militibus solues:blandè & subridens,Siquando hãc cepero,inquit.

Miltiade à Lampsacenis capto,Crœsus ad eos literas misit:pérque nuncium comminatus est, vt Miltiadem missum faciant: alioqui in morem pini extriturum.interpretatus est, radicitus:Pinus enim cæsa,nunquam repullulat.

Polydorus Alcamenis filius,quum quidam assiduè inimicis minitaretur: Non vides,inquit, maximam vltionis partem abs te consumi?

Diogenes Cynicus,dicente sibi quodam valde iactuoso,vno ictu caput tibi perfringam:At ego,inquit,à sinistris astans te tremere faciam.

Brutus Ciceronem taxat,quòd minas multas M.Antonio intendisset,nec quicquam profecisset.

Prouerbialiter in vanos minacésq; fulgur ex pelui dicitur aut thria. sunt enim thria ficulna folia,quæ crepitant. Galatæ minaces dicuntur à Diod.lib.8.Idémque detractores,opinionéque inflati.

DE MARITIS. XIIII.

Themistocles, quum ex iis qui filiam suam vxorem petebant,diuiti probum prætulisset:Virum dicebat se malle pecuniarum indigentem,quàm pecunias viri.

Tyberius Gracchus P. filius, duobus anguibus domi comprensis, aruspices conuocauit.à quibus didicit,si marem emisisset,vxori breui tempore esse moriendum: si feminam,ipsi. æquius esse censuit se maturam oppetere mortem, quàm P. Africani filiam adolescentem.feminam emisit: ipse paucis pòst diebus moritur.

M. Plaucius vir ordinis senatorij, ob mortem Horestillæ coniugis gladio incubuit.quod etiam fecit & C. Plancius.ex Val.apud alios Q. Legi. M. Lepidus Apuleiæ vxoris desiderio post repudium obiit.

Lysimachus Demiphoni amicus,vt illi officium præstaret,amicam domi hospitatus erat,absente ruri Dorippa cõiuge.sed ea rediens amicam domi reperit.indolens: Ve miseræ,inquit,mihi.Lysimachus veaò vxoris iram extimescens: Immo,inquit,mihi. Ex Plauto in Mercatore. Saturnus quum coiret cum Phyllira amica, vxoris aduenientis

præsentiam veritus,in equum se transformauit.

Idem Lysim, quum eiusdem gratia coquum in ædibus haberet, vt erat lepido coquus ingenio,Dorippam redeuntem vt conspexit:Nempe,inquit,vxor ruri est tua,quam dudum dixeras te odisse æque atque anguem:negans Lysimachus, vxori ait:Ita me amabit Iuppiter, vxor, vt ego illud nunquam dixi.iterum coquus excipiens,Etiam,ait,negas? Non te odisse aiebat:vxorem verum suam.

Crassus orator obiectanti Domitio,quod murenam mortuã,quam in piscina aluerat defleſſet: At tu, inquit, tribus elatis vxoribus, ne lachrymatus quidem es.

Val.Martialis in Candidum:

Prædia solus habes,& solus candide nummos.
Aurea solus habes,myrrhina solus habes.
Massica solus habes,& opimi Cæcuba solus,
Et cor solus habes,solus & ingenium:
Omnia solus habes,hoc me puto velle negare:
Vxorem sed habes candide cum populo.

Drusus Germanicus,cùm vxore tantum venerem exercuit.Aristoteles in Oecon.monet, maritos futuros castos, nec alterius appetentes, congressúrósque cum vxoribus omni cum modestia & pudore,ne titillationibus actæ in venerem efferantur.Lycurgus sanxit,vt ad congressum vxoris vir tacitus accederet,à neminéque videretur.ita enim auidius sese appeterent.

Celtæ,quoniam seditiones ciuiles à mulieribus sedatæ sunt, in consilio pacis atque belli eas adhibent:atque si qua cum sociis controuersia oriatur,ex mulierum sententia componunt.

Magi aiunt, inquit Plin. arundine transfixa ranæ natura per os,si furculus in mestruis deligatur à marito adulterorũ vxoribus tædium fieri,quæ si vera sunt,multo vtiliores vitæ æstimantur ranæ quã leges.

Maritus apud Varcellas crimen adulterij falso detulit consuli,capitur vxor atque adulter.is tortus,impatiens doloris fatetur:mulier constanter abnegat, quamuis mille modis excruciata esset. ense carnifex collum percutit,nullum ictum adigit:quin prolapsam fibulam ridens puella tortorem commonefacit vt capiat.aptabat ille gladium iugulo, manúmque premebat vt conderet. ad capulum gladius reflectitur, confitente tortore ferire non posse. sed is ad quem damnatorum cura attinebat,in medium æstuantis populi euolat;precatur verti in se ferrum pro innocente,mouet misericordiam.Secundus carnifex puellæ, nouúsque ensis apponitur: tertio vulnere prosternitur, visáque mori est.linteo cadauer inuoluitur, paratur tumulus. & ecce aduenientenocte, pectus palpitat :iam spirat, videt, subleuatur, loquitur,in vitam redditur. Ex diuo Hieronimo. Marito adulterum domi comprensum cum vxore datur occidere,non alibi: ait Martianus libro 48 Digest.

DE

DE MOENIIS. XIIII.

MOenia vrbibus parum proficere, Theopompus ostendit. Qui dicenti cuidam, num muri vrbis, quos ostentabat, essent pulchri: minimè,inquit si mulierum sunt.

Panthyde legato in Asiam ostentantibus mœnia, per deos, ille ait, ô hospites pulchra hæc est mulierum habitatio.

Agis Archidami filius muros Corinthiorum præteriens, altos benéque munitos,quæ nam, inquit, sunt hunc locum habitantes mulieres,Ioniæ vrbes muris carere,ait Thucydides.

Diogenes Cynicus, Mindum profectus,quum vidisset vrbem modicam, magnáſque portas, facetissimè:viri, inquit, Mindij portas claudite,ne vrbs vestra egrediatur.

Mœnia à Thrasone inuenta, ait Plin. Romæ condidit post Romulum Seruius Tullius. Celebrantur Thebana ab Amphione condita, Pergama à Neptuno Phœbóque, Babylonica à Semiramide: & Nini vrbis à Nino condita, alta pedibus centum, adeò lata vt tres currus simul caperentur, turres mille ac quingentæ,altitudine pedum 200. Celebrantur ab Homero, si memini, Hermonies & Gortinæ vrbium mœnia. mœniorum partem vrbis triumphantes deiiciebant, vt ostenderent, viris, non mœnibus vinci, confisúrámque vrbem imperatoris fortitudini. Cæterum omnium vrbium antiquissima Ioppe dicitur:in eáque est saxum, vbi Andromedæ vestigia religatæ apparent.

Agesilaus Lacedæmoniorum dux hospiti Athenienſi patriæ muros excelsos ostendenti:si mulieribus istos comparastis, rectè: si viris, turpiter, ait.

Alexander Magnus, quum petram quæ Aornos dicebatur, captã difficilem cerneret: sed eum qui custodiret,timidum:Nunc,inquit,locus ad capiendum est perfacilis.

DE MILITIA AC BELLO. XV.

PHocion, quum militem è suis relicto ordine in hostem prodire conspexisset, eundémque conspecto Macedone pedem retrahere, Te, inquit, hominum ignauissime, num bini iam deserti ordinis pudet? nam quem imperator tibi decreuerat, & quem tute tibi locum delegeras, reliquisti.

Cleomenes, quum quispiam daturum sibi polliceretur Gallos, qui pugnando interirent: vrbanè,Minimè, inquit, ego istis, sed iis potius qui pugnando conficiunt.

Idem Phocion, quum ducenti copias contra Macedonas, aliqui è militibus proximum hostibus esse tumulum quendam occupandum, alij Macedonas equites circumueniẽdos, alius aliunde hostem impe-

tendum dicerent: stomachatus tandem, ô Hercules, inquit, vt multos hic imperatores hodie video, at paucos milites.

Epaminundas Thebanus, quum accepisset scutiferum multas à captiuo pecunias sumpsisse: Redde, inquit, mihi quidem scutum, tibi verò ipsi patrique cauponam redime, in qua reliquum temporis viuas.

Itamus miles apud Antigonum militabat: qui corporis aduersa laborabat valetudine. rogatus à rege palloris causam, ægritudinem incognitam causatus est. Rex verò animi magnificentia ductus, iubet remedia adhiberi ad eum sanandum: restitutusigitur sanitati miles, pericula contrà morem vitabat. rogatus à rege mutationis causam, ait: O rex, tu me minus audacem fecisti, quòd iis malis me vindicasti, quibus vita à me mea contemptui habebatur.

Cneus Vatienus sinistræ manus digitos sibi præcidit, ne in bello Italico militaret: sed ex senatusconsulto bonis publicatis, perpetuo carceri addictus est.

Laconem quendam claudum ad bella exeuntem, admirante quodam: ignoras, inquit, non fugientibus, sed permanentibus in bello opus esse?

Tetricus factus in Gallia imperator, pugnans cũ Victorino, ab illo victus, quum militum suorum procaciam ferre non posset, Victorino spõte se dedit: scripserat tamen in epistola: Eripe me his inuicte malis.

C. Cassius, quum militem sine gladio decurrentem vidisset: Heus commilito, pugno bene vteris, inquit.

L. Papyrius, qui ob audaciam velocitatémque in bello Cursoris nomen accepit, quum plurimis bellis Samnites profligasset: essétque ad corporis laborem semper promptiss. rogantibus aliquando militibus, vt sibi pro re bene gesta aliquid laboris remitteretur, respondit: Ne nihil remissum dicatis, remitto, ne vtique dorsum mulceatis, quum ex equo descenderitis.

Pescennius Niger, militibus vinũ ab eo petentibus, Nilum habetis, inquit, & vinum quæritis? Eisdémq; à Saracenis victis, dicentibúsq;, vinum non accepimus, pugnare non possumus: Erubescite, ille inquit: qui vos vincunt, aquam bibunt. Carthaginẽses, dum militant, aquã bibũt.

Aurelianus imperator, vicario suo ita scripsit: Si vis tribunus esse, immo si vis viuere, manus militum contine: nemo pullum alienum rapiat, ouem nemo contingat, vuam nullus auferat. In India militiæ tempore nihil mali agricolis infertur, sed eos intactos relinquunt.

Auidius Cassius imperator prohibuit milites portare, præter laridum bucellatũ, & acetum. Iustinianus libro secundo Cod. repetita, ait, consuetudo monstrauit expeditionis tempore bucellatum ac panem, vinum quoque atque acetũ: sed & lardum, carnem veruecinam etiam milites nostros ita solere percipere duobus diebus bucellatum, tertio die panem, vno die vinum, alio die acetum: vno die lardum, biduo carnem veruecinam. Marcellus libro 48. Digest. Si miles, ait, artem ludicram

cram fecerit, vel in seruitutem se venire passus est, capite puniendum Menãder scripsit. qui in bello arma amisit, vel alienauit: & qui vallum transcendit, aut per murum castra ingreditur: & qui profugit ad hostes, aut in acie primus fugam fecit: & qui cõmilitonem ense vulnerauit & qui excubias palatij deseruisset, aut manũ centurioni intulit, capite puniebatur: qui fossam transierit, aut saxo commilitonem percusserit, à militia reiiciebatur. ex Modestino & Arriano lib. 48. Digest.

Apud Carthaginenses milites ornatu annulorum donabantur, pro expeditionum numero in quibus militabãt. apud Macedonas lex fuit: vt qui nullum hostem occidisset, capistro cingeretur. Apud Scythas, qui nullum hostem occidisset, non licebat solennibus epulis pateram circumlatam accipere. apud Iberos tot obelisci circa sepulchrum erigebantur, quot hostes confecisset. ex Arist. libro 7. Polit.

Spartiatæ procedebant ad bella, ad tibiæ sonum, nec vlla erat adhortatio sine anapæstis pedibus.

Milites dicti, quia Romulus mille pugnatores elegit. Ex iis aliqui tyrones, id est militiæ initiati. Classici, qui erant in prima classe, Accensi, qui legioni completæ adhibebantur: Antesignani, signorum defensores, & reliqui notissimi. Exercebantur non modo ad palum scuta, grauémque armaturam ferentes: sed ad cursum, saltum, gradúmque militarem, in quo 20. millia passuum conficiebant horis quinque, in pleno vero 24. inque eo gradu pondus librorum 60. portabant. item pileos in capite è pellibas, quo minus grauis galea videretur. Ad quod alluisse puto Iuuenalem: Disce ab hirsuta iaculum torquere capella. licet interpretes aliud, quod non placet, sentiant. Grauis armaturæ dicebantur principes, hastarij, triarij antesignani: leuis ferentarij, sagittarij, funditores, balistarij, quod illi cataphracti cum armatura armati thoracéque erant, hi verò sine armatura militum nomina in scutis scripta ferebant: item zonas, in quibus aurei affigebantur. Milites primi apud mortaleis qui mercede militarunt, Cares fuerunt, apud Romanos Celtiberi. In leuibus bellis, vna legio 10. millium peditum, & duorum millium equitum, mixtis auxiliis, satis erat duce prætore. Contra maiora bella duplum adhibebat consul, 24. millia, Lex definiebat 10. annos ad necessitatem militare. ait Plutar. Macrobius ait, post sextum septimanatum non cogi milites. Iosephus ait, ordinem fuisse, vt milites ad centuriones, illi ad tribunos mane salutatum conuenirent. Seruius militiæ tria ait esse genera: legitimum, in quo singuli iurabant non deserturos militiam nisi re peracta: Tumultuarium, in quo, quia singulos interrogare non vacabat, qui ducturus erat exercitum, ascendebat Capitolium, indéque duo vexilla rapiebat: vnum roseum, quo pedites euocabantur: alterum cæruleum, quo equites. Et qui conuenissent, simul omnes vnà iurabant, quod genus coniuratio dicebatur. Tertium euocatio, quum ex proximis vrbibus aut prouinciis euocabantur auxilia: sed de iis lege

Vegetium ac Celsum in capite de Exercitu, aliqua de Militia diximus. Milites qui loco cessissent imperatores decimabant, vt pœna non esset nisi paucorum, timor verò omnium. Macrinus imperator decimauit, centesimauitque. Apud veteres militibus venæ solue bantur ad ignominiam, sanguisque mittebatur. Item tunicis interioribus solutis, fossam fodere coram exercitu cogebantur, qua ignominia Luculius suos affecit. Augustus discinctos ac tunicatos fecit per diem stare. Titus militem, qui vinctus Iudæos euaserat, ad eúmque confugerat, neque occidit, neque in exercitu futurum esse permisit. Indignum iudicans militem Romanum esse, qui viuus captus fuerat. Vide in Pœnis.

Aristoteles libro 2. politicorum ait, Omnes militares belicosósque homines, præter eos qui masculis abutuntur, mulierosos esse, ac proinde fabulatos poëtas, Martem Venerem adamasse. Petrus Grauina cùm totius Columnensis familiæ tum tui longe studiosissimus, vir mehercule optimus, disciplinis humanis sine controuersia eminentiss. de me optimè meritus, admirantibus nobis aliquando Hispanos milites, esse mulierarios, & in rebus bellicis strenuissimos, vt est vigilanti ingenio, prompta eruditione, & natiuo lepore, eam quam philosophorum summus Aristoteles attulit rationem: adérat nobiscum Hieronimus Britonius Tuscus, numeris & latinis literis eruditus, ingenio iuuenis acerrimo.

DE MACRIS. XVI.

CAesar dictator admonitus, vt ab Antonio Dolabella caueret: Non hos, inquit, pingues & victos timendos esse, sed illos pallidos & macilentos: Brutum & Cassium indicans.

Megadorus Plautinus in Aulular. Euclionis soceri domum miserat agnum. quum dixisset etiam, Agnum misi: excipiens Euclio, agno sat scio magis curiosam nusquam vllam esse bestiam. quum verò subdidisset Megadorus, volo ex te scire qui sit agnus curio: qui ossa, inquit Euclio, atque pellis totus est, ita cura macret. quin in sole exta inspicere etiam viuo licet. Is ita pellucet, quasi laterna pumica.

Sarmentus, seu P. Blesus, Iunium, hominem nigrum, macrum & pandum, fibulam ferream facetè nuncupabat.

Chærephon Tragœdiarum scriptor, assiduis nocturnisque lucubrationibus adeò attenuatus est, vt in prouerbium cesserit macilentiæ.

Liberorum peculiare est macilentiæ studere, quisquis verò ex iis inuenis zonæ mensuram excedat, mulctari. Sunt præterea macilentia cantati Iliophagi, atq; Acridophagi Aethiopum populi. Illi ex arbore in arborem auium more prosilientes.

DE

DE MVSICIS MVSICAQVE. XVII.

MVsica, quam Timagenes ait omnium in literis studiorum fuisse antiquissimam, inter ingenuas erat apud veteres, præsertim Græcos disciplinas: vnde ortum prouerbium, indoctos à musis & gratiis abesse.

Themistocles, quòd in conuiuio musicam nescierit, habitus est indoctior. Socrates iam senior instituì lyra non erubescebat. Architas atque Aristoxenus grammaticem etiam musicæ subiectam, putauerunt. Maricus Hyperbolus, nihil se ex musicis scire, nisi literas, confitetur. Præceptor Socratis in fidibus Conon fuit, authore Platone.

Pythagoras concitatos ad vim pudicæ domui inferendam, iuuenes iussa inutare, in spondeum modos tibicina composuit.

Martialis:

Romam vade liber. si veneris vnde, requiret:
Aemiliæ dices de regione viæ.
Si quibus in terris, qua simus in vrbe, rogabit:
Corneli referas me licet esse foro.
Cur absim quæret. breuiter tu multa fatere:
Non poterat vanæ tedia ferre togæ.
Quando venit, dicet. tu respondeto, poëta
Exierat, veniet quum citharædus erit.

In Iasso insula mare piscosissimum est, in qua quum citharædus quidam artem ostentaret, audirentque eum Iasij omnes, quum primùm tintinnabulum increpuit, vendendorum piscium signum id erat) illico omnes relicto illo ad pisces confugiunt, præter vnum surdastrum. Citharædus itaque propius accedens, ô homo, inquit, gratias tibi ingentis habeo cum propter musicæ studium, tum propter honorem in me præstitum. nam cæteri quum primum tintinnabulum increpuit, omnes abierunt. Ille, quid ais, inquit, nun tintinnabulum sonuit? qui quum affirmaret: At tibi benè sit, inquit. & surgens ipse etiam digreditur.

Timothæus vt artem Alexandro ostenderet, modulari cœpit, non molle carmen aut remissum modum, sed citatiorem, vtpotè orchium Palladis Alexándrumque numine correptum ad arma prosiluisse aiunt: adeò tibiæ numerus musicæque cantus illum incitarunt.

Citharædus quidam, quum apud quempiam caneret, pollicitusque esset is apud quem cantabat, quanto melius cantaret, tanto se plura daturum, quum promissa postridie reposceret. Voluptatem tibi reddo, inquit, pro voluptate. ex Arist. libro. 9. Ethic. hunc fuisse Dionysium asserunt enim, authore Plutarcho in libro. 2. de fortuna Alexandri, quum citharædum optimum audiret, inquit talentum ei daturum spopondit. postridie sponsionem reposcenti: Heri, inquit, quum me delectasses, te quoque spe volui delectare.

Antigenidas tybicen, discipulo nimis frigenti ad populum, mihi, inquit,

inquit,cane & musis.

Musicem à Mercurio inuentã ait Dion.Ioseph.à Thubal, Macrob. à Pythagora:qui contemplatus cœlestem musicam,diúq; inquisitione fatigatus,casus obtulit, quod contemplatio non poterat. nam fabros ferrum molienteis præteriens,ex ponderibus malleorum diuersis cõstare concordantiã quum inuenisset,seruatis ponderibus disparibus in fidibus,musicam septem chordarum inuenit.Plin.ait Amphionem inuenisse eundem etiam citharam,alij Orpheum,alij Linum.septẽ chordas addidit Terpander,octauã Simonides.Timotheus nonam. Solinus ait,musicã Cretenses inuenisse.Cithara sine voce primus cecinit Thamyras,cum cantu Amphion:vt alij,Linus.Fistulã inuenit Pan:tibiam obliquã Midas in Phrygia,geminas tibias Marsias, monaulum Mercurius.Celebrati apud Homerũ,Phemius cum procis Penelopes, edoctus sine præceptore, & Demodochus apud Alcinoum Phæacũ regem. apud Verg.Iopas Carthagine. Xanthus Athenienſis, & Epaminundæ magister Dionysius,Damõ,Lampus:Psaltes,& Thraces Ephorus, Orpheus,Musæus,Thamiris,Eumolpus,Thales Cretensis: Mimnermus, Polymnestus,Simon Magnesius: Eunomus, in cuius citharam cicada aduolauit,effractęq; fidis vicẽ in certamine præstitit.Strãtonicus,Thamiris apud Homerũ,priuatus à musis cantandi vsu, quia eas lacessere ausus esset:puto eũdem esse cum Thamyri,facili literarum lapsu. Aristonus,in Pythiis sexies victor.Ismenius, Dardanúsque Trœzenus,qui instituit canere voce cum tibiis:Chiron Achillis præceptor, Architas, Eupolis,Maricas,Phœronides:Nero imperator, qui in Olympiis musicum agonem instituit, atq; in eo ter victor fuit. Celebratur à Philostrato Caninius Rhodi tibicen.Oblectatus musica Mithridates:Dauid rex,qui Saul mœrentem demulcebat.Clarus Arion delphino celebris. Terpnus Neronis præceptor.Zenophãtus,quo canente Alexander manum ad arma misit:ex Seneca,Liber pater Musicæ certamen instituit: omnésq; qui in exercitu musicis exercerentur fecit immunes, quod & posteri seruarunt.Celebris artifex in componendis cantilenis Alemanes,ex Plutarcho in Syll. Olympus item celebris, Marsiæ discipulus, quorum harmonias diuinas Plato vocat.

Plato, & ante eum Pythagoras, musicam Philosophiam vocarunt, esseque deorum opus arbitrati sunt. Sic & deæ musæ, & Apollo musarum dux. Ischiadici tunc quum maximè dolent, si modulis leuibus tibicen incinat, minui dolores aiunt. Theophrastus ait, viperarum morsibus tibicinem mederi.Pindarus ait,lyra Martem vinci, bellisq; homines reuocari.

Alij damnarunt musicæ studium.Aristoteles ait, Iouẽ neq; canere, neq; citharam pulsare.Philippus quum accepisset Alexandrũ suauiter cecinisse,Nõ te pudet,inquit,quòd tam pulchrè canere scias? Idẽ Phil. quum psaltem quendam musicũ vellet emendare, psaltes grauiter ait: id abs te mali ò rex dij prohibeant, vt hæc melius me ipso calleas.

Eudæ

Eudæmonidas Archidami filius,rogatus à quodam decantatore approbato,qualis sibi videretur,Magnus,inquit,in re parua delinitor.

Lacon quidam oblata in conuiuio lyra:Nequaquam,inquit, nugari Laconicum est.

Demaratus quum cantorem audisset.Non malè, inquit, nugari videtur.Antisthenes cuidam dicenti in conuiuio,cane, Tu mihi, inquit, tibias infla.

Diogenes Cynicus,citharœdum qui ab auditoribus deserebatur,ita salutabat,Salue galle,illo autem dicente,Cur ita? Quia, canes, inquit excitas.Musicus ineptus frigidúsq; Ialemus fuit.

Aegyptij musicam non solum inutilem, sed nocuam dicunt, tanquam virorum animos effœminantem.

Linus,quum Hercules eius discipulus,in concione fidibus vteretur, in eum excanduit.sed in eum indignatus Hercules,in Linum plectrum impegit.

Antias quum Ismeniam optimum tibicinem inflare iussisset, quum alij laudarent atque admirarentur, iurauit se hinnientem equũ libentius auditurum.

Alexander Macedo,quum puer lyricen edoceretur, iubente præceptore,vt certam ex fidibus pulsaret:dicente Alexandro, quid interest si hanc pulsaro?si vti rex,ait,paulò mox futurus,nihil interest:si verò vti artifex,multum.

Aristoteles lib.8.Politic.ait:Musicam Lydiam mixtam fuisse, flebilem contractámque:Doricen magis compositam, plurimarúmq; harmoniarum. atque ad mores pertinere viriles: Phrygiam molliorem animámque rapientem:sed de musica apud eundem eodem lib. latius disputat.Indi præter cæteros mortales, cantus saltationisque studiosi sunt.Ex Arriano.

DE MENDACIO. XVIII.

Vbius Curtius, quum de annis ætatis suæ (vt fit) quamplurimum mentiretur,audiens Cicero, vrbanè mendacium retorsit: ergo, inquit, quum vnà declamabamus, non eras natus.

Fabiæ Dolabellæ dicenti,triginta se annos habere:verum est,inquit Cicero:nam hoc viginti annis audio.

Laconi quum quidam dixisset,mentiris: vrbanè Lacon, Quia, inquit,liberi sumus:sed alij siquando vera non dixerint,flebunt.

Aristoteles rogatus,quídnam mendaces lucrarentur: respondit, vt quum vera dixerint,non illis credatur.

Stratocles Athenienſis,superatis pugna nauali Athenienſibus, summa celeritate coronatus, per Ceramicum ingressus, faustum & victoriæ nuntium attulit:vnde supplicationes decretæ, epulúmq; per vnam

quamq;

quamque tribum constitutum, sed biduo pòst, quum verus nuncius calamitatis afferretur, vniuersus populus in Stratoclē exarsit. Tum ille: quid, inquit, viri Athenienses vobis molesti intuli, si duos dies summa estis ea causa in voluptate versati?

Galba dicente quodam Victoriato, se vno in Sicilia quinque pedes longam murenam emisse, quum incredibile videretur: Nihil, inquit, mirum. nam ibi tam longæ nascuntur, vt iis piscatores pro restibus vtantur. Quintil. 6. ex aliorum emendatione, aliter enim apud Quintiliani codices legitur.

Epaminundas Thebanus, adeò veritatis studiosus fuit, vt nec ioco quidem vnquam mentiretur.

Indorum philosophi, si ter in mendacio deprehendantur, per totam vitam illis silentium imponitur: qui vera dixerint, immunes & omni tributo exēptos esse censentur. Ex Strabone 15. Arrianus verò ait libro octauo: Apud Indos tantum fidem verúmq; pollere, vt nemo vnquam ex illis in iudicium vocatus sit, quòd esset emētitus. Persæ pueros vt vera dicant, in disciplinis erudiunt.

Mendacio famosi Cretenses, Cilices: Darius otani vbi expedit, ait mendaciū dicere, dicatur: Nam idem optamus quiq; mendaciū, quiq; veritatem dicimus: quippe quum ij qui mentiuntur, quum persuadendo sunt quippiam lucri facturi; & qui verum dicunt, ideo dicunt, vt verum dicendo, lucrum consequantur.

Cyrus verò apud Xenophontem lib. 2. Pædiæ, Armenio suadet ne mendacium dicat: Apertum enim, inquit, mendacium, vt scis, impedimento est hominibus, maximè ad veniam consequendam. Cyrum naso adunco fuisse constat, & ob id Persæ homines naso adunco vnicè amant, & pulchros reputant.

Plato in secundo de Republica: Verùm, ait, mendacium si verum modo dici potest, omnes homines pariter oderunt, atq; dij. In 3. de Repub. ait, mendacium concedendum esse medicis, aliis verò minimè.

Lucianus in mendaciorum libris, Ctesiam Gnidium & Herodotum inter scriptores mendaces ponit.

Magnæ erant inter Neronem Thraseámq; inimicitiæ: sed quū aliquando à quodam in Thraseam conuicia iactarentur, vt potè iniquo iudici in eius causa: Nero statim obstitit, atque exclamauit: vtinam me Thraseas tam amet, quàm iudex æquus rectúsque est.

DE MERETRICIBVS. XIX.

ARistippus ingressus aliquādo meretricis cellulam, erubescentes quosdam qui cum eo erāt ita admonuit: Non, inquit, ingredi, sed egredi non posse turpe est.

Quidam notus homo, quū exiret fornice: Macte virtute esto, inquit, sententia diua Catonis. Nam simulac venas

venas inflauit tetra l ibido, Hucæquum est descendere, non alienas per molere vxores: ait Horatius in Sermonibus.

Idēm Aristippus, arguenti quidam, quòd meretrici cohabitaret: Dic agè, inquit, num quid differat eam domum accipere, quam multi aliquando habitauerunt, aut quam nemo?

Moses legibus sanxit, ne ex mercede mulieris fornicariæ sacrificia celebrarentur.

Diogenes Cynicus, quum scorti filium in turbas iactantem lapides cerneret: Caue, inquit, ne patrem ferias.

Aristippo dicente scorto, Ex te cōcepi: Non, inquit, hoc magis nosti, quàm si per spinas densissimas pergens, dicere possis, ista me pupugit.

Thais quū apud Terentium dixisset Phędriæ, omnia sibi relicta quę haberet, à quodā hospite, quo cum venerē habuerat: vrbanè Parmeno: Vtrumque hoc falsum est, inquit, quia neq; tu vno eras contenta, neque solus dedit. nam hic quoque bonam magnámque partem ad te attulit.

Valerius Martialis in Gallam:

Millia viginti quondam me Galla proposcit,
Et fateor magni non erat illa nimis.
Annus abit, bis quina dabis sestertia dixit,
Poscere plus visa est quàm prius illa mihi.
Iam duo poscenti post sextum millia mensem,
Mille dabam, nummos noluit accipere.
Transierant binæ forsan, trínæve calendæ,
Aureolos vltro quattuor ipsa petit.
Non dedimus. centum iussit me mittere nummos,
Sed visa est nobis hæc quoq; summa grauis.
Sportula nos iunxit quadrantibus arida centum,
Hanc voluit, puero diximus esse datam.
Inferius nunquid potuit descendere? fecit,
Dat gratis, vltro dat mihi Galla, nego.

Solomon, qui trecentas habuit concubinas, dicebat in prouerbiis. Fauus distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius: nouissima autem illius amara, quasi absinthium.

Argyrippus adolescens in Plauti Asinaria, quum à matre amicæ domo exigeretur, quòd viginti minas non daret, fortéque Argyrippi seruus Leonidas illas inuenisset, amicáque blandita Leonidæ diceret: Da meus ocellus, mea rosa, mi anime, mea voluptas Leonida argentū mihi; ne nos seiungas amantes, Leonidas blandienti meretrici ait: Dic igitur me tuum passerculum, gallinam, coturnicem, agnellum, hedillum, me tuum dic esse vel vitellum.

Eadē meretricula ab alio seruo Libano petens minas, ô Libane (ait) ocellus aureus, donum decúsque amoris: Amabo faciam quod voles, da istuc argentum nobis. Facetè Libanus: Dic mihi te anaticulā, columbam, vel catellum: hirundinem, monedulam, putillum, passerculum,

fae

fac proserpentem bestiam me,duplicem vt habeam linguam.

Pistoclerus nimium reluctatus ne in meretricios laqueos incideret, penè victus,non minus facetè quàm grauiter ait: Rapidus fluuius est, non hac temerè transiri potest.ex Plaut.in Bacch.

Idem Pistoclerus, quum rogaretur à seruo Chrysalo, an Bacchidē inuenisset:idémque respondisset,Samium quidem: falsè Chrysalus ad meretricios amores alludens: Vide quæso,inquit,ne quis tractet illam indiligens:scis enim,vti confringi vas cito Samium solet.ex eodem.

Stratophanes miles in Plauti Truculento, Phronesium amabat meretricem.à qua quū abfuisset, illa asimulabat se ex eo esse grauidam. sed quum decimo mense is rediret,illáque subditicium puerum secum haberet,miles veniens Astaphium scorti ancillam rogauit his verbis: Peperitne obsecro Phronesium? Asta. peperit puerum nimium lepidum. Strato. Ecquid mihi similis est? Festiuè Astaphiū ait: Rogas? quia vbi natus est macheram & clypeum poscebat.

Celebres meretrices: Lais illa Corinthia,ad quam tot conuentus diuitum Græciæ conueniebant.item Pitonica,ab Harpalo amata.& Flora,quæ adeò dilexit Pompeium,vt diceret nunquam Pompeium ab illa sine morsu abscessisse.item Precia & venustate nobilissima, & apud Romanos gratiosissima,quæ Cæthegum Lucullo conciliauit. In Græcia Archidica celebris:ex Herodoto libro secundo.item Rhodopis genere Thrax,Aesopi fabulatoris conserua: Iadmonis Samij ancilla, in Aegyptum aduecta,à Xanteo Samio,ad quæstum faciendum: redempta à Caraxo viro Mitylenæo Scamandronymi filio, Sapphus poëtriæ fratre.de qua Sappho Ouidiana:

Arsit inops frater victus meretricis amore,
Mixtáque cum turpi damna pudore tulit.

Sed hæc tantas diuitias comparauit,vt pyramidē in Aegypto fecerit laudatissimam.Cyrene meretrix,in peragenda venere 12.figuris vsa dicitur:ob id Δωδεκαμυγάνα, id est duodecim artium dicta.celebris Fecenia apud Liuium,vide in cap.de Secretis.item Phymne, aut si mauis Phryne,quæ etiam senescens iactitabat se fecem pluris vendere.

Est & celebris Cytheris à Gallo poëta dilecta,quę Volumnij liberta fuerat:sed ea contempto Gallo, Antonium in Gallias euntē est sequuta:Fuit & celebris apud Athenienses, Musca appellata.de quo comicus ait,eum vsque ad cor à musca morderi.

Meretriciam artem Venus prima instituit Cypri, ob idque amoris dea,armorúmque mater dicta est.

DE MORBIS. XX.

Morborum generū,inquit Plin.lib.7.tam infinita est multitudo,vt Pherecydes Syrus copia serpentum ex corpore eius erumpentium expirauerit. Quibusdam perpetua febris est,vt C.Mecœnati.Eidem triennio supremo,nullo horæ momento contigit somnus.Antipater Sidonius poëta,

poëta,omnibus annis vno die natali tantum corripiebatur,& eo consumptus est,satis longa senecta.Morborum genera supra trecenta,idē Plin.ait esse.

C.Sicinius trib.plebis,quum C. Octauium consulem Curionémq; produxisset,Curióque ibi ex more multum iactasset corpore,C.Octauio collegæ,qui deunctus erat fasciis,multisque medicamentis propter artuum dolorem delibutus: Nunquam,ait,Octaui collegæ tuo gratias referes,qui nisi se suo more iactauisset,hodie te istic muscæ comedissent.in vtrumque scommate inuectus.

Patronus P.Syri,quum seruum hydropicum in arca iacentem vidisset,increpánsque quæsisset,quid in sole faceret? vrbanè P.Syrus respondit,aquam calefacit.

Molpadiæ Rheæ,Partheniæque sorori,Chersonenses honores templáque construxerunt,hæc per somnos curationem morborum docebat,multisque desperantibus salutem præbebat,mulieres parturientes à labore vitæque discrimine liberabat.

Phauorinus apud Gellium quartanam febrem ait esse biduo matrem,vno die nouercam.citátque Platonem,qui scribit:qui quartanam passus conualuerit,viréscq; integras recuperauerit,fidelius valiturum. quod etiam Cicero 1.Epist.ad Tyronem sæpè docet.

Maluæ succi dimidium cyathum qui sorbeat quotidie, omnibus aiunt morbis carituros.pane ordeaceo qui vescantur,morbo pedum tentari negantur.

Heliogabalus imperator,orto inter fabulas priuatas sermone,quot hernioси esse possent in vrbe: iussit omnes notari,eósque ad balneas suas exhiberi,quibus cum se lauit.

Homerus ait pestilentiam à pecudibus cœptam.Cicero libro secundo Tusculanarum quæstionum ait:Græcos satis hostem aspicere non posse,eosdem verò morbos toleranter atque humanè ferre.Cimbros in prælijs exultare,lamentari in morbo.

Capras constat semper febricitare. Quapropter, inquit Varro, in vendendo satis est dicere,Illas capras hodie rectè esse & bibere posse.

Pythagoras tradit,si qui morbi humano corpori acciderint, florente aproxi herba,quamuis sanatos admonitionem eorum sentire,quoties florere incipiat:& cicutam & frumentum & violam eiusdem esse naturæ.

Asperrimos cruciatus esse calculorum à stillicidio veficæ,proximū stomachi,tertium eorum qui in capite dolent,æui experimento iudicauere,ait Plin.Aegyptij ieiunio vomitúque morbos turant.

Mala oppressi valetudine apio indigere dicuntur.quoniam apij coronas in sepulchris imponere vsurpatum esset:ex Plutarcho.Plin.ait, apponi mensis funeralibus.

Acridophagi omnes morbo pediculari obeunt,propinquātéque senecta pediculi alati subnascuntur.

Illud est operæprecium addere ex Celso,ad morborum prognostica.Si hyems ficca septentrionales ventos habuit, ver autem austros & pluuias,subeunt lippitudines,tormina,febres,maximéque in molioribus corporibus:ideóq; præcipuè in mulieribus.si verò austri pluuiæque hyemem occupauerunt,ver autem frigidum & siccum est,grauidæ quidem fœminæ,quibus tum adest partus,abortu periclitantur. Hæ verò quæ gignunt,imbecillos,vixq; vitaleis edunt.Cæteros lippitudo arida,& si seniores sunt,grauedines atque destillationes malè habent.At si prima hyeme austri ad vltimum ver continuarint,laterum dolores & insania febricitantium: vbi calor à primo vere orsus,æstatem quoque similem exhibet,necesse est multum sudorem in febribus subsequi.At si ficca æstas aquilones habuit,autumno verò imbres atq; austri sunt,tota hyeme quæ proxima est,tussis,destillatio,raucitas,in quibusdam & tabes:sin autem autumnus quoque siccus,iisdem aquilonibus perflatus,molioribus corporibus,mulieribúsque secunda valetudo contigit: durioribus aridæ lippitudines,& febres partim acutæ, partim longæ. Quod verò ad ætates pertinet,pueri vere valent,æstate prima tutissimi sunt:senes æstate & autumni prima parte, iuuenes hyeme:inimicior senibus hyemis,æstas adolescentibus.

Bastetani,vetusto Aegyptiorum ritu,in plateis ægros exponunt,vt qui eo morbi genere tentati sint, admonere eos valeant.sunt autem Bastetani in Hispania,ex Strab.lib.4.Id apud Babylonem fieri,scribit Herod.lib.1.

Apud Indos aliquem ægrotum familiares conficiunt,ne diuturno morbo carnes corrumpantur: negantémque etiam necant, epulantúrque.Aegrotæ mulieri idem mulieres faciunt:senibus verò mactatis vescuntur.

Vatinius podagra oppressus, vt videretur vitium discussisse, mille passus ambulare se gloriabatur. Cui vrbanissimè Augustus:Non miror,inquit:dies enim aliquanto sunt longiores.Macrob. Quintilianus verò lib.6,ait,eundem dixisse Ciceroni,duo millia passuum se posse ambulare:atque Ciceronem ita respondisse,de die longiore.

Philotimus medicus Empyoni cuidam grauiter ex iecinore laboranti,atq; exulceratum digitum ostendenti dixit,ô bone vir,haudquaquam tantum tibi superest ocij,vt de vngularum vlcere sollicitus sis.

Ion dicebat,ægrotum impatientissimam rem esse:vxorem illi fastidio esse,medicos incusare,lectulo irasci,amicis visitatibus stomachari.

MALE OLERE. XXI.

Ynceraſtus seruus apud Plauti Pœnulum,cum Milphione conseruo loquens,dicit:Sine pennis volare posse haud facile est:meæ alæ pennas nõ habent. Excipiés Milphio, facetè ait:Noli te ædepol deuelliſſe: his duobus mensibus,Volucres tibi erunt hircinæ,ad alarum odorẽ hircinum

ãum alludens.Horat. Sed nimis arcta præmunt olidæ cõuiuia capræ.

Martialis in Mammeiam:

Os & labra tibi lingit Mammeia catellus,
Non miror,merdas si libet esse canis.

Idem in Posthumum malè olentem:

Basia dimidio quòd das mihi Posthume labro,
Laudo:licet demas hinc quoque dimidium.
Vis dare maius adhuc & inenarrabile munus,
Hoc tibi habe totum Posthume dimidium.

Idem in Sabidium malè olentem:

Circumlata diu mensis scriblita secundis,
Vrebat nimio sæua calore manus.
Sed magis ardebat Sabidi gula,protinus ergo
Suffauit buccis tèrque quatèrque suis.
Illa quidem tepuit,digitósque admittere visa est:
Sed nemo potuit tangere,merda fuit.

Idem in Thaidam:

Tam malè Thais olet,quàm non fullonis auari
Testa vetus,media sed modò fracta via.
Non ab amore recens hircus,non ora leonis,
Non detracta cani transtyberina cutis,
Pullus abortiuo nec quum putrescit ab ouo,
Amphora corrupto nec vitiata garo.
Virus vt hoc alio fallax permutet odore,
Depositа quoties balnea veste petit,
Psilothro nitet,aut arida latet oblita creta,
Aut tegitur pingui tèrque quatèrque faba.
Quum bene se tutam per fraudes mille putauit,
Omnia quum fecit,Thaidla Thais olet.

Philippus in eum,cuius anima malè oleret,facetè:Video me,ait,à tè circumueniri.

Parthos populos ferunt anima malè olere,& à iuuenta,propter indiscretos cibos.sed sibi proceres medentur grano Assyrij malo, cuius est suauitas præcipua,in esculenta additi.

Animæ leonis virus graue,vrsi pestilens.

Mulieres,ait Cicero ad Atticum,ideo bene olere,quia nihil olerent.quod Martialis emulatus ait:Posthume non bene olet,qui bene semper olet.

Euripides,quum obiecta esset illi oris maleolentia à Diceambicho,Archelai regis aulico,conquestus est apud regem.Datus est Diceambichus Euripidi, in quem quantum vellet sæuiret. Cæterùm Diceambichus in Archelaum conspirauit, causámque ei necis præbuit.

Hieron Siciliæ tyrannus,quum conuicio à quodam oris fœtor illi

datus esset,vxorem obiurgauit,quòd nihil de ea re illum monuisset. bona vxor:Putabam equidem,inquit,omnes viros ita olere.

DE MVTVIS, ET IIS QVI MVTVO dant & accipiunt. XXII.

SVidas prouerbium dicit in eos,qui solent mutuari: Semel rubri,deciésque pallidi: quia dum mutuum petunt,semel erubescunt:dum verò creditorem viderint,pallescunt,ne cogantur ad soluendum.

Galba ,quum penulam mutuam à quopiam rogaretur,festiuè respondit:Si non pluit,non est opus tibi:si pluit,ipse vtar.

In rebus commodatis talis diligentia præstanda est,qualem quisq; diligentiss.paterfamilias suis rebus adhiberet:vt ait Paulus lib.13.Dig.

Apud Indos fraudatus mutuo,aut deposito, tergiuersatorem conuictum aut manu mutilat,aut oculo orbat,morté mque deinde infert. Apud Bœotios verò in forum productum sedere iubent,atq; corbem in ipsum coniiciunt:quod maximam iudicant ignominiam.

DE NATVRA, ET EIVS VI. XXIII.

NAturam rerum dominam Plinius vocat.Cicero de Legibus,rerum omnium principem.Ouidius in Metam.Naturam Diis potentiorem: Sed non vult natura,potentior omnibus istis.

Aegyptius quidam simias ad saltationem instituerat.adductæ igitur quum in conspectum essent ad saltationem personatæ,è spectatoribus quispiam faceto ingenio saltãtibus simiis nuces obiicit. illæ relicta saltatione ad nuces conuersæ sunt,próque nucibus inter se depugnarunt.

Commodus Antoninus quamuis optimos graueisq; homines præceptores habuerit,à prima tamen pueritia turpis,improbus,crudelis, libidinosúsque fuit:pollutus,constupratúsque.Quid fœdius Nerone? quid officiosius Anneo Seneca præceptore?

Horat. Naturam expellas furca,tamen vsque recurret.

Cicero pro Aul.Licinio Archia:Etiam illud adiungo,sæpius ad laudem atque virtutem naturam sine doctrina,quàm sine natura valuisse doctrinam.

Niceus ,nõbilis poëta Byzantius , adulterio Aethiopis nata matre,nil à cæteris colore differente,ipse in auum degenerauit Aethiopem.

Apes regem fessum humeris subleuant,validius fatigatum extoto portant.

Equæ,orbum parente,pullum in grege armenti reliquæ educant.

DE NOVERCIS. XXIIII.

CAllimachus in quodam epigrammate ait,puerum serta voluisse nouercæ defunctæ sepulchro imponere: sed excussum lapidem,prouolutúmque supra puerum corruisse atque occidisse:vt planè liqueat,mortuas nouercas etiam à priuignis timendas esse.

Hippodamia Pelopis coniunx,Atreo Thiestíque filiis,quum non potuisset persuadere,atque inducere ad Chrysippum priuignum occidendum,ipsa opus peregit,sed Pelops,dato sepulturæ filio,Hippodamiam fecit extorrem.

Constantinus Heraclij filius,à Martina nouerca veneno extinctus est,quarto imperij assumpti mense.

Phineus Arcadiæ rex,quum liberis nouercam induxisset,eiúsq; instigatione oculos filiis eruisset,Dij in illũ irati,oculorum vsu & illum priuarunt:& Harpyas ad mensas addiderunt,à quibus ne dapes attingeret prohibitus,longo ieiunio cruciatus est.Vide in capite de Secretis,ex Apollonio.

Apuleius lib.10.refert,nouercam quandam priuigni amore ardentem,morbum assimulasse,iussisséque ad se iacentem in lectulum priuignum vocari.vt crimen dissimularet,filij nomine nuncupabat.Is vt in cõspectum venit,vnde illa inciperet,parum pro comperto habebat. priuignus verò nihil adhuc suspicans,ægritudinis causam scisciatur. Illa deposito pudore illachrymans,rẽ aperit:obstupefactus ille,spem dedit,si fortasse interea furori illa mederetur.Suadet igitur vt salutem curet:se enim eius votis satisfacturum,quum primum pater abierit:sed illa statim marito suadet,ad longinquas villas accedat.Quo facto,ad spem promissam iuuenem sollicitat.ille effectũ producit. Tum illa amorem in odium vertit.Assumpto igitur dotali seruo,imperat venenum parari,sed poculum,dum incautè custoditur, à filio minore arreptum est.Quo epoto,confestim cadit.Maritum illa statim euocat à villis,priuignúmque & cædis & incesti scelere arguit.Accusatur iuuenis,ad senatum res defertur:seruus contra illum adiurat omnia facinora:condemnatur.Sed medicus,qui pro veneno somniferam potionem seruo ementi dederat(noluerat enim venenum seruo vendere)in medium prodit:rem enunciat,serti scelus aperit,eant ad mortuum filium monet: viuum enim inuenient. Quæ quum omnia ita facta essent,cognito nouercæ seruíque scelere, illa in exilium mittitur,hic cruci suffigitur.

Charondas legem Thuriis constituit,vt ei qui nouercam liberis induxisset,non liceret accedere ad rempublicam.

Quidam,inquit Plutarch.de Tranquill.vitæ,lapidem in mordacem canem immisit:cúmque male librasset,atque nouercam pro cane percussisset:Nec hoc,inquit,quidem modo malè.

Lauinia,Ascanij nouerca,verita post mortem Aeneæ,ne quid mali

à priuigno pateretur, in siluis latuit, donec apud Tyrrhum pastorem puerum peperit: qui quia in siluis natus est, Aeneas Siluius dictus est.

Iuno Herculi priuigno infesta, duos angues in cunis agenti immisit. Cæterum Hercules manibus serpentes comprehensos retinere inuentus est: labores verò quos postea susc epit, susc ipere coactus est ab Eurystheo vitrico, ex Iunonis consilio.

DE NAVIGATIONE. XXV.

Siculus quidam, quum ficos vehens, procella correptus naufragium fecisset, ac mox sedens in litore, mare tranquillum videret, vrbanè ad mare: Noui quid velis, inquit: ficos vis.

Anacharsis interrogatus quænam foret securior nauis: Ea, inquit, quæ in portum venerit

Lacon quidam glorianti mercatori, quòd multas naues in omnem oram maritimam dimisisset: Num sanè optabilis ista est, inquit, rudentibus apta fortuna?

Bion nauigans cum pessimis hominibus, in piratas incidit. Dicentibus verò illis: peribimus, si agnoscamur: At ego, inquit Bion, nisi agnoscamur.

Anacharsis percunctanti cuidam, vtrum plures viui essent an mortui, facetè & grauiter: Nauiganteis, inquit, vtra in parte constituis?

Cicero in epist. ad Atticum: Negotium magnũ, inquit, est nauigare.

P. Syrus: Improbè, ait, Neptunum accusat, qui iterum naufragium facit. transfertur ad eum qui secundam duxit vxorem.

Catonem tribus de rebus pœnitudine affectum aiunt si mulieri quippiam credidisset: si quo die nihil egisset: & si quò pedibus posset accedere, nauigaret.

Seneca: Quid mihi, ait, persuaderi non potest, cui persuasum est vt nauigarem?

Plin. lib. 18. Audax vita, sceleris plena aliquid seri, vt ventos procellásque recipiat. Et parum esset fluctibus solis vehi. Iam verò vela nec satis esse maiora nauigij: Si sed quamuis amplitudini antennarum singulæ arbores efficiant, super eas tamen addi velorum alia vela, prætérque alia in proris, alia in puppibus pandi, ac tot modis prouocari mortem. Horatius: Audax omnia perpeti Gens humana, ruit per vetitum nefas.

Iuno Vergiliana dolet, Aeneam iam fidere terræ, & deseruisse rates.

Antigonus, sæua tẽpestate iactatus, quum omneis suos in eadem naui haberet, præcepisse dicitur liberis, vt & ipsi meminissent, & posteris proderent ne quis cum tota gente in rebus dubiis periclitari auderet.

Horatius:

Illi robur & æs triplex.

Circa

Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem.

Antipater Tarsensis moriens, quum bonorum, quæ in vita habuerat, rationem in digitos mitteret, secundam ex Cilicia Athenas nauigationem non reticuit.

Laodamas Homericus ait: Nihil puto miserius esse aliud, quàm virum fortem ponto exagitari. Plato monet fugiendum esse mare, perinde ac improbitatis magistrum.

Theseus Athenas nauigare noluit, etsi nauigatio tuta esset, itérque terrestre anceps periculosúmque potius subiit.

Charmides hospes, in Plauti Rudente, labraci Lenoni quum persuasisset, vt puellas meretriculas in Siciliam veheret, ex illis enim facturum magnum quæstum: idque fecisset, & ipse naufragium passus est, & puellas aliò delatas amisit. Quum verò expositus apud Charmidem quereretur, ac diceret, Mendicitatem mihi attulisti opera tua, dum tuis ausculto magnidicis mendaciis: facetè Charmides subiunxit, Bonum est quòd habeas gratiam merito mihi, Quòd te ex insulso falsum feci opera mea.

Pittacus Mitileneus roganti cuidam, quidnam esset gratificum, tempus: quid obscurum, futurorum euentum: quid fidum, terram: quid contrà infidum, mare respondit.

Callimachus dicebat, iucundissimum esse mare de terra prospectare. quod æmulatus Horat. Neptunum procul à terra spectare furentem, ait.

Quum piraticam nauem qua veheretur esse, accepisset Aristippus, acceptum aurum numerans, quasi imprudenti elapsum querebatur. secúmque ita ait, melius est vt hæc ob Aristippum, quàm vt Aristippus propter ista pereat.

Terentius Comicus, quum è Græcia rediret, naufragio periit, teste Donato.

Anacharsis, quam didicisset quatuor nauis esse digitos crassitudinem, Tantum, inquit, morti propinqui sunt qui nauigant. Quod Iuuenalis Saty. 12. mutuatus ait: I nunc, & ventis animum committe, dolato Confisus ligno, digitis à morte remotus Quatuor, aut septem, si sit latissima tæda.

Galerius à freto Siciliæ Alexandriam 7. die peruenit, Babilius 6. ambo præfectis æstate proxima. Valerius Marianus ex prætoriis senatoribus è Puteolis 9. leuissimo afflatu. C. Flaccus Vibij Crispi legatus, altero die Africam aduectus est. ex Hostia ait Plinius.

Nauis inuentio ab Erithra rege orta perhibetur, compertis lignis colligatis, fluitantibus in mari rubro, Diod. ait, nauigandi artem à Neptuno primùm inuentam classémque institutam, cuius præfectum à Saturno factum esse. Seneca ait, Romanis nauem conscendere primùm Candem persuasisse.

Phæacenſes celebres apud Hom. artis naualis. Apud Strab. Cretes & Phœnices. apud Cicer. Rhodij.

Nauem in victoria lauro adornabant: authore Appiano.

Labeo ait in Digeſt. Eudemoni Nicomedi dicenti Antonio imperatori, domine imperator naufragium facientes, in Italia direpti ſumus à Publicanis, Cyclades inſulas habitantibus. Antonius dixit: Ego quidem mũdi dominus, lex autẽ maris, lege Rhodiorũ iudicetur nautica.

Si leuandæ nauis gratia iactus mercium factus eſt, omnium contributione ſarciatur quod pro omnibus datum eſt, lege Rhodia cauetur, ait Papinian. libro 4 Digeſt.

Idomeneus Cretẽſium rex, quaſſus maris tempeſtatibus, quum rediret à Troiana expeditione, vouit ſe immolaturum quæ primo occurriſſent. occurrit igitur prior filius, quem immolare voluit: quamobrem pulſus à Cretenſibus, ad Salentinos venit.

DE NECESSITATE. XXVI.

STilpo Megarenſis loquens cum Crate, inter loquendum piſces emere feſtinauit, quem quum Crates retinere vellet, dicerétque, ſermonem relinquis? Minimè, inquit, ſed ſermonem habeo, & te relinquo.

Tradendum, inquit Plin. putauere memoriæ quidam, viſum coruum per ſitim lapides congerentem in ſitulam monumenti, in qua pluuia aqua durabat, ſed quæ attingi non poſſet. ita deſcendere pauentem expreſsiſſe tali congerie quæ poturo ſufficeret. Seneca in pro. Acerrima virtus eſt; quam vltima neceſsitas excutit.

Atys Cræſi filius natura mutus, captum Suſis patrem, quum Cyrus conficere vellet, vocem tum primum emiſit: Parce patri meo Cyre, & te hominem eſſe, vel caſibus diſce noſtris. Ex Sol. Valerius verò & Herodotus Perſæ cuidam dixiſſe aiunt, non Cyro, quibus magis credendum eſt.

Veſtius Meſsius Volſcus ſuos bellum detrectanteis increpans, quid igitur ait arma habetis? aut quid vltro bellum intuliſtis? in ocio tumultuoſi, in bello ſegnes, ferro via facienda eſt: hac, qua mẽ progreſſum videritis. Agite, qui viſuri domos, parentes, coniuges, liberos eſtis, ite mecum. non murus, nec vallum, ſed armati armatis obſtant. virtutẽ pares: neceſsitate, quæ vltimum ac maximum eſt telum, ſuperiores eſtis. Plato de Legibus: Neceſsitatem nec deus, vt dicitur, violabit.

Theſſali, quum à Græcis rogarentur, vt Olympiacum, quà iter erat facturus Xerxes, cuſtodirent: miſerunt legatos ad omnes Græcos, exposcentes copias auxiliares: aliter enim pactionẽm cum Perſis ſe eſſe accepturos. Neque enim, dixerunt, decet nos adeò ante cæteram Græciam poſitos, pro vobis ſolos occumbere. quibus ſi ferre opem ſi recuſatis, nullam poteſtis iniungere neceſsitatem: nulla namque fortior neceſsitas, quàm imbecillitatis.

Portius

Portius latro in declamatione cõtra Catilinam ait: Grauiſsimi quidem ſunt morſus irritatæ neceſsitatis. Q. Curtius: Ignauiam quoq; neceſsitas acuit, & ſæpe deſperatio eſt cauſa ſpei.

Thales fortiſsimam omnium rerum neceſsitatẽ appellabat: eáque omnia ſuperari. Pheraulas apud Xenophontem, Nullum ait eſſe præſtantiorem doctorem neceſsitate. Liuius libr. 9 ait, Neceſsitatem non vinci ab ipſis diis. Diod. primo, Neceſsitatem rerum magiſtram appellat. Liu. verò 4. ait: Etenim neceſsitas naturam inſtituit, quæ temporibus parens, ſe ad id quod vſui eſſe videtur accommodat. Neceſsitatem Parcarum matrem eſſe dicebant: vt potè inexpugnabilium, vt eſt neceſsitas. Hor. Si figit adamantinos ſummis verticibus dura neceſsitas clauos. Pall. ait, Neceſsitatem feriis carere.

Vetus eſt prouerbium, inquit Seneca libr. 3 epiſt. ad Luc. gladiatorem in harena capere conſilium. Aeneas à Latino veniam petit: quòd quæ fecerit, neceſsitate coactus fecerit. Dignum eſt, inquit, inuitũ omne venia. Veteri prouerbio iactatum eſt, nũquam dij cum neceſsitate pugnabunt. ex Plat.

Vlyſsis ſubulcus, apud Hom. panem carnéſque Vlyſsi in ſpeciem mendici acto ferens: Hæc, ait, tibi Telemachus dat, ac iubet procos omnes rogare: viro enim egenti pudor non vtilis.

DE NVNCIIS. XXVII.

QVum obſideretur præſidium Romanum à Ligurinis, hirundinem aiunt à pullis ad illud cum epiſtola allatam, vt lino ad pedes eius alligato, nodis ſignificaret, quoto die adueniente auxilio eruptio fieri deberet. ex Plin. lib. 10. & de columbis: Quin & internuntiæ in reb. magnis fuere, & epiſtolas annexas earum pedibus obſidione Mutinenſi in caſtra conſulum pertulere, D. Bruto mittente. Ab Homero Iouis nuncia fama nuncupatur, Iunonis Iris.

Cecinna Volaterranus equeſtris ordinis quadrigarũ dominus, cõprehenſas in vrbe ſecum hirundines afferens, victoriæ nuncias amicis mittebat, in eundem nidum remeantes, illito victoriæ colore.

Coruus, qui antea in Apollinis erat tutela, miſſus, ab ei ſacrificante, vt à fonte aquam puram adueheret: conſpecta ficorum arbore, expectauit, relicto officio, donec matureſcerent fici. Itaque ficis expletus, ad Apollinem diu properauit. Pro eo admiſſo Apollo voluit, vt quo tempore ficus matureſcerent, coruus bibere non poſsit. Ideóque illis diebus guttur habet obtuſum.

Victis à Romanis Tarquiniis Latiníſque, conſpecti ſunt paulopòſt ab exercitu venientes viri duo proceris venuſtíſq; corporibus, ea quæ in prælio geſta fuerant nunciantes. creditúmque eſt fuiſſe Polluceм Caſtorémq;. ac primus qui ipſis fuit in foro obuiam (equos enim mul-

to fluentes sudore siccabant) quum illa quæ de victoria nunciabantur non crederet, eos leniter arridẽtes illius barbam tractasse, éxque fusca in fulvam conuertisse, ac per hunc modum assertioni suæ fidem fecit, & Aenobarbi cognomentum factum. Prælium quo deleta Sybaris est, eo die quo gestum erat, auditum est Olympiæ. Persicam victoriam Castores Romanis ipso die quo cõtigit nunciauere, ait Plin. lib. 7. Plutarchus verò in Aemilio, Quarta post prælium die, ait profligatum esse Perseum auditum est: exorto rumore in pop. Rom. sedente in spectaculo equestrium ludorum. Cicero ait, Castores Vatieno è præfectura Reatina redeunti obuiam factos: apud Val. Vatinio corrupte pro Vatieno legitur. Mardonius Xerxis præfectus matutino tẽpore in Bœotia commisso prælio, à Græcis victus est: sed meridianis horis per tot maria & tantum spacij tam breui horarum momento de victoria nunciatum est. Eo ipso die, quo L. Antonius, qui à Domitiano defecerat, magnúmque à Germania bellum concitauerat, à Domitiani copiis victus interemptúsque est, nunciatum Romæ est nuncio incerto. Eo die quo à Mario ad Venetiam Cimbri victi sunt, visi pro æde Castoris & Pollucis iuuenes laureati prætori literas dare. frequénsque in spectaculo rumor, victoriæ Cimbricæ fœliciter dixit.

Persas nunciorum celeritatem inuenisse, Herod. libro 8 ait: nam ex quot diebus tota via constaret, totidem equos ac viros distinxere ad singulorum dierum iter faciendum: quos neq; vis niuium, neque hymber, neque æstus, neque nox distineret, quin propositum sibi cursum celerrimè conficerent: quorum primus mandata traderet secundo, secundus tertio, & deinceps.

Notandum obiter, consuesse tabellarios, qui læta nunciarent, iaculorum cuspides lauro coronare in fœlicitatis signum.

C. Pontius obsẽsso à Gallis Capitolio, suberibus latis se fidens, fluuium tranauit, pérque medios hostes clàm noctu per prærupta Capitolium ascendit.

DE OCIO. XXVIII.

CÆuola forensibus negociis ministeriísque defatigatus, alea & calculis, interdum pila ludebat. Cato minor & aleæ & potationibus indulgebat. Socrates more puerorum arundinem ascendebat: inuentúsque aliquando ab Alcibiade risus est. Merito igitur Plutarchus, condimentum laboris ocium vocat.

Amasis Aegypti rex, quum ab aurora forum ingrederetur, donec refertum esset negotia curabat, ab eo deinde compotationibus studebat: intérque compotores iocabatur, morionem agens & scurram. accusantibus ergo Aegyptiis rem regi non conuenientem, respondit: arcus si semper intenti sunt, ruptum iri: ita si homines assiduo labori, nec vlla parte ad lusum velint indulgere, fore vt pedetentim aut mente capti fiant, aut membris. Ouidius:

Quod

Quod caret alterna requie, durabile non est.

Apud Scythas ociosum esse, pro honestissimo habetur.

Lælius & Scipio, conchulas Caietæ & Laurenti collegerunt.

Vatia Seruilius dies prætorius, nulla alia re quam ocio notus, consenuit: quin ob id vnum fœlix habebatur. Nam quoties Asinij Galli amicitia, quoties Seiani odium, inde amore emersérat, exclamabant homines: O Vatia, solus scis viuere. Consenuit autem in villa, vt dictũ est.

Domitianus inter initia principatus, quotidie secretum sibi horarium sumere solebat, nec quicquam aliud quàm muscas captare, stilòque præacuto configere: vt cuidam interroganti, essétne quis intus cum Cæsare? vrbanè Vibius Crispus respondit: Ne musca quidem. Muscas depellere, prouerbij loco vsurpatum est, de ocij turpis castigatione.

P. Syrus exorta super cœnam aliquando ioculari quæstione, quid nam esset, molestum ocium, aliud alio opinante, perurbanè ille Podagricipedes, inquit.

Dionysius senior roganti cuidam an ociosus esset: Nunquam mihi hoc, inquit, eueniat. Hadrianus ante omnes enitebatur, ne quid ociosum vel emeret aliquando, vel pasceret.

Portius Cato scripsit in Originibus, non minus ocij quàm negotij rationem extare oportère. Columella libro. 11: Nam aliud verum est, Marci Catonis oraculum, Nihil agendo homines malè agere discunt. Ouidius de Ponto.

Cernis vt ignauum corrumpat in ertia corpus,
Et capiant vitium ni moueantur aquæ.

Celsus libro. 1. Neque, ait, ex nimio labore subitum ocium, neque ex nimio ocio subitus labor sine graui noxa est. Galenus ait, Maximum malum esse ad sanitatis custodiam, quietem corporis: sicut maximum bonum, moderata motio. Cic. libro. 3. Tusc. Quid est enim dulcius ocio literario, iis dico literis, quibus infinitatem rerum atque naturæ, & in hoc ipso mundo cœlum, terras, maria cognoscimus? Seneca libro. 11. Epistolarum: Ociũ sine literis mors est, & hominis viui sepultura.

Ennius: Ocio qui nescit vti, plus negocij habet, quàm quum est negocium in negotio. P. Scipio dicere solebat, se non minus esse solũ, quàm quum solus esset: neque minus ociosum, quàm quum ociosus esset.

Q. Metellus identidem dicebat, nescire se illa victoria boni plus an mali Reipub. attulisset. Vide titulum de Ignauia.

DE OMINIBVS. XXIX.

PVb. Scipio Africanus filiam minorem quum Tyberio Graccho in matrimonium copulasset, rediens domum, quum vxori Aemiliæ nouam affinitatem nunciasset: indignata illa, quòd se inscia id fecisset, dixit, non debuisse matre inconsulta filiam despondere: vel si Tyberio Graccho locare potuisset.

Petilius

Petilius consul Letum montē Liguriæ oppugnabat, inter militum itaque adhortationem dixit: Hodie ego Letum vtiq; capiam. sed præliando occiditur, oménque impleuit.

Fanaticus quidam in templo Syluani, tensis membris exclamauit: Tacita purpura: idque septimo. quod Tacito mortem portendit.

Cecilia Metella quum sororis suæ filiam matrimonio collocare vellet, & ob id in sacellum capiendi de more ominis causa exissent: stante puella, Ceciliáq; sedente, puellam defatigatam petisse aiunt à matertera, vt sibi concederet paulisper, vti in eius sella requiesceret. Illa quum dixisset, Verè mea puella, concedo tibi meas sedes: omen res consecuta est. ipsa enim breui mortua est, virgo autem nupsit, cui Cecilia nupta fuerat.

In ominibus confirmandis sternutamentum valere censebant. Eumæus apud Homerum quum dixisset, si Vlysses in patriam rediret, statimque cum filio vim procorum expelleret: Telemachus omē sternutamento confirmauit. nam auguria Iouis fulmen, tonitrúsve, rata esse faciebat.

Facetum est quod Plutarchus in Numa refert. ait enim, Iouem Numæ iratum imperasse: oportere lustrationes capitibus fieri, quum verò Numa subdidisset, cæparum, Iouem dixisse: hominum, quum verò Numa inuertens præcepti acerbitatem, capillis dixisset: respondisse Iouem, animatis.

Alexander Macedo quum Delphos ad oraculum venisset, atque si fortè dies nefastus esset, in quo non erat oraculo quidē fas fari: vatémque orasset, eam reluctantem inuitámq; in templum trahebat. Ea verò importunitatis hominis impatiens, dixit: inuictus es fili: Eo omine accepto, haud alio sibi opus oraculo Alexander dixit esse.

Signifer qui dixerat, hic optimè manebimus, omen dedit patribus deliberantibus Romā à Gallis dirutam deserere, Veiósque concedere, non discedendi.

Tertia Pauli Aemilij filia, patrem à senatu redeuntem, atque contra Persem destinatum, omine confirmauit, lachrymans enim ob catellam Persem extinctam, rogata à patre, Persa(ait) periit.

Neque solum, inquit Cicero, deorum voces Pythagorei obseruant: sed etiam hominum quæ vocant omina: quæ maiores nostri quia valere censebant, idcirco omnibus rebus agendis, quod bonum faustum fœlix fortunatúmque esset, præfabantur: rebúsque diuinis quæ publicè fierent, vt fauerent linguis imperabatur: inq; feriis imperandis, vt litibus & iurgiis se abstinerent.

Occentus soricis auditus, F. Max. dictaturam, C. Flaminio magistratum equitum deponendum præbuit.

DE OBEDIENTIA, ET inobedientia. XXX.

THeopompus Laconicus, dicente quodam, Spartam ideò seruari, quòd reges scirent imperare: Minimè, inquit, sed quia ciues parere.

Auidius Cassius, quum eius iniussu multitudo auxiliaria tria Sarmatarum millia negligentius agentium in ripis Danubij confodisset, ingentíq; præda ad eum comparata redirent, sperantibus præmia centurionibus, quòd parua manu tot hosteis fudisset: rapi omnes iussit in crucem, dicens, Euenire potuisse, vt essent insidiæ, & Rom. populi periret reuerentia.

P. Crassus, cui quinque bonarum rerū maxima & præcipua essent, quòd esset ditissimus, quòd nobilissimus, quòd eloquentissimus, quòd iureconsultiss. quòd Pont. max. quum in consulatu Asiam prouinciam obtineret, oppugnaréq; Leucas oppidum pararet: opúsque esset firma ac procera trabe, qua arietem faceret, scripsit ad architectum molis Athenienſium, sociorum amicorúmq; pop. Rom. vt ex malis duobus, quos apud eos vidisset, vter maior esset, eū mittendum curaret. Tum magister architectorum comperto quam ob rem malum desideraret, non vti iussus erat maiorem misit. sed quē magis idoneum arieti faciendo portatúq; facilē putabat, minorē misit. Crassus eū vocari, spoliari, virgísque cædi iussit. Laudantur Spartiatę à Xenophonte, quòd pareant magistratibus: Miles qui mandatum ducis non seruauit: & iam si rem bene gesserit, capite punitur: ait Modest. lib. 49. Digest.

L. Domitius in Sicilia Prætor ob latrocinia, quibus prouincia penè vastabatur, edictum pronunciauit, ne cui liceret telum habere. Ad eum quum quidam pastor aprum miræ magnitudinis attulisset, pastorem interrogauit, qua vi bestiam confecisset: postquam reperit venabulo vsum, crucifixit. Cambysis exemplum in capite de Crudelitate.

Epaminundas Thebanus, relicto in exercitu contra Lacedæmonas filio Stesimbroto, cui iusserat ne bellum iniret, quum ab illo pugnatū esset, victoriáque reportata, corona imposita, pater filio cerucem secari iussit, Id etiam quum Manlij filius fecisset, quamuis vicisset Samnites, à patre tamen securi percussus est. Plut. in Paral. Liuius aliter. vide infra in capite De parentum indul.

Periander Corinthiorum tyrannus, duos filios quum è Melita vxore Proclisque filia suscepisset, misisset; aliquando illos, alterum 22. annos natum, alterum 18. ad visitandum Proclem maternum auum, in digressu: Scitis, ait Procles, pueri qui matrem vestram occidit: confecerat enim vxorem Periander. quum verò rediissent, Lycophron minor natu, neque sponte, neque lacessitus verbum vnum patri facere voluit. Pater illum domo exigit; quatriduóque fame domitū cōmiseratus pater, ad eum accedit, docétque melius esse patri obtemperare, quàm istæc perpeti:

perpeti:satiúsque esse tyrannidem accipere atque opes,quàm irasci cui non liceret.Lycophron autem nihil respondit, nisi se sacram pœnam Deo debere,quod in eius colloquium venisset. Tum Periander illum in Corcyram relegauit, Procliq; bellum intulit: expugnatáque Epidauro,cepit.Interea quum iam consenesceret, mittit Corcyram accersitum Lycophronem:sed is ne respondere quidem dignatus est.Periander verò in adolescentis amorem inclinatus(nam in maiore non erat indoles) sororem mittit quæ præmia proponeret, placatum adduceret. Sed ille sorori respondit, se Corinthum non accessurum, donec pater viueret.Tum pater caduceatorem mittit,qui dicat,se velle Corcyram accedere, atque Lycophronem Corinthum. Id quum Lycophroni placuisset.Corcyrei,ne Periander ad se accederet,iuuenem confodiunt.

Aelianus adolescens, quum diu peregrinatus ad disciplinas concipiendas,Eretriam in patriam reuersus,à patre rogaretur,quid disciplinæ tanto temporis instertitio assecutus esset: se breui ostensurum esse pollicetur.sed verberibus à patre cæsus propter admissum.æquo animo perpessus, ait hoc edoctum, vt parentum indignationem patienter ferret.

Papyrius dictator in Q.Fabium Rutilianum magistrum equitum, quòd cõtra imperium ejus exercitũ adduxisset, secures expediri iussit: vixq; & senatu & populo Romano intercedente,pœnas exegit.

M.Curius consul,adolescentis qui in delectu non paruerat,bona primò hastæ subiecit,ipsumq; postea tribunos appellãtem vendidit:Non enim esse opus,inquit,eo ciue,qui parêre nesciret.

Daiphernes quidam moribus incultis,vocatus à Cyro, vt aliis liberior videretur,aliquantulum moratus est:sed venienti postea missit Cyrus quendam, qui diceret,non esse vlterius sibi opus Daipherne. ac deinceps non vocauit.

Saul rex,multas hostias deo immolandas parauerat: sed admonitus à Samuele propheta est, deum non sacrificiis delectari, sed bonis, iustisq;.Is enim contemnitur, quando inobedientiæ spiritus adhibetur. Vnde illud emanauit:Melius est obedire,quàm sacrificare. Vide in capite de Religione,Achilles.

Quidam quum per niuosas alpeis asinum duceret,ac frenis animal non pareret,per rupes egit præcipitem bestiam. meminit Horatius in epist.Qui male parentem in rupem detrusit asellum.

Crates Cynicus Hipparchiæ vxori scribit,curæ sibi fore, vt communem filium ciconiam pro cane remittat in senecta.ad ciconię pietatem alludens,quæ parentes fessos in senecta alit.

Bisalteorum rex,quum negasset Xerxi in Græcos eunti seruiturum, in edita montis Rhodopes abiit,filiisque mandauit, ne contra Græcos arma sumerent.at illi patris iussis non parentes, in militiam cũ Xerxe profecti sunt:sed pulso Xerxe,quum omnes domum incolumes essent reuersi,omnibus(erant enim sex)oculos pater effodit.

Musonius

Musonius verò rogatus,an in omnibus parentibus esset parendum: ita quidem,honestum iustúmq; imperantibus,ait.

DE ORATORIA. XXXI.

Fer, Manlium Suram videns multum in agendo discurrantem,salientem, manum iactantem, togam deiicientem & reponentem, festiuè ludens ait: Manlium non agere,sed satagere.

Antalcidas Spartanus rhetore Herculis laudationem lecturo,Quis nempe illi(inquit:Plutar.in Apoph.alibi verò ait id Androclidam dixisse:adeò sibi sæpe varius est.

Albutius declamator,quum in quadam controuersia dixisset:Quare si calix ceciderit frangitur:si spongia,non frangitur? mordaculè Cestius. Ite ad illum,eras declamabit nobis,quare turdi volant, cucurbitæ non volant.

Idem Albutius,quum dixisset, fratrem parricidio damnatum imposuit in culeum igneum:vrbanè Cestius excipiens, quidam ait fratrẽ damnatum imposuit in culeum ligneum.

Catulus cuidam malo oratori dicenti,an misericordiam se mouisse putaret:magnam,inquit.neminem enim puto esse tam durum,cui non oratio tua miseranda sit visa.

Alexander Pheræus mirum in modum in misericordiá versus, agente tragœdo,& Hecubæ Polyxenæque casum enarrante,lachrymasse etiam dicitur.cæterum Tragœdus profiliit ex theatro, atque abire cœpit,indignum reputans,qui tot ciues excarnificaret, Hecubæ infortuniis moueretur: & quia Tragœdus animum Pheræi mollire potuerit, malè mulctatus penè ab Alexandro est

Decernentibus Athenienſibus de diuinis honoribus Alexandro Magno exhibendis,Pythias orator iuuenis admodum acriter intercesit. Dicente verò quodam,In ista ætate tantis de rebus verbum facere publicè audes?respondit Atqui is,quem vos inter deos referre vultis, me iunior est.

Oscus nihil sine schemate dicebat.cui non inurbanus rhetor quum occurrisset mane Massiliæ,sic salutauit:Poteram quidem dicere, Aue Osci.

Diodoti rhetoris mortui, quum Metellus coruũ in sepulchro lapideum sculpi fecisset: Iusta, inquit Cicero, retributio est facta. istum enim volare,non orare docuit.

Testius Penarius in dicendo mentum intorquebat. in hunc Cæsar ita iocatus est:Dic si quid velis,ait,quum nucem fregeris. nam qui habet in ore nucem duram,in rumpendo mentum solet intorquere.

Curio pater orator,præterquàm quod in cogitando esset tardus, in instruendo dissipatus,parúmque rerum propositarum meminisset, in

vtranq

vtranq; etiam partem toto corpore vacillabat in oratione. In hunc vrbanè C.Iulius iocatus est:Quæsiuit enim, quis loqueretur è lintre. ex Cicer.de Clar.orat.Apud Quintilianum C.Iunius perperam, vt puto, legitur.exemplum vacillationis Curionianæ est in capite de Morbis.

Maxillus rhetor satis aridus homo,quum exilitatem suæ orationis imputaret controuersiæ,ac diceret: Necesse est me per spinosum locũ ambulantem suspensos pedes habere:suburbanè Portius Latro discipulus,Non mehercule tui pedes spinas,calcant,sed habent.

Sabinus Clodius,quum vna die & græcè & latinè declamasset, quibusdam querentibus quòd pusilas mercedes acciperet, quum duas res diceret, Catherius ait, Nunquam mercedes magnas accipere eos, qui breuia pneumata docent:Mecœnas dixit.

In eundem Clodium,rediens ab auditione Cassius Seuerus.interrogatus quomodo dixisset,respondit,Malè vicit.

Seuerus Cassius,quum multos accusasset, atque omnes absoluerentur,architectúsque fori Augusti expectationem diu traheret,vrbanè ad verbum Absolue alludens Augustus:Vtinam,inquit.Cassius meum forum accusasset.

Demosthenes subterraneum sibi locũ ædificauerat, in quem singulo quoq; die descendens,gestũ motũq; corporis fingebat, vocẽq; exercebat.sæpeq; etiã duobus tribúsve mẽsibus domi se cõtinẽs nõ prodibat,abraso etiam capite,vt exeundi facultatem sibi ipse præriperet.

Idem rogatus, quomodo orator factus esset, plus vino impendens oleum.respondit.ex Diomede.

Idem pulsus à patria ob accepti ab Harpago auri crimen, quòd vrbem in Alexandri bellum impelleret:quum Megaris exularet, secutus Hyperidem Athenienſium legatum sua eloquentia Argos, Corinthum cæteráſq; ciuitates Athenienſibus iunxit:ob quod factum ab exilio reuocatur,missa ab Athenienſibus obuiam etiam naui.

Idem, quum ineptum ac nullius bonæ frugis ex tempore dicere ac consultare accersitus ad consulendum esset.negauit:non enim, inquit, instructus sum.

Pericles ad perorandum à populo sæpe lacessitus,negauit,quia imparatus esset,dicere.

Phocion breui oratione vtebatur,cæterùm grauissima.de eo Demosthenes surgentem aspiciens:Ecce,inquit,meæ orationis culter surgit.

Diogenes ad cauponam quum diuertisset. transeuntem Demosthenem inuitauit.abneganti ait:Pudet tę ô Demosthenes cauponam subire?atqui dominus tuus quotidie in ea conuersatur. Scomma in rhetores fuit,qui populi serui dicuntur.

Gordianus imperator Misithei doctissimi viri duxit vxorem, quem eloquentiæ gratia,sua affinitate dignum putauit. Isocrates vnam orationem 20.talentis vendidisse dictus est.

Eleazarus in castello Mesada à Flauio Siluio Romanorũ præfecto obsessus,

obsessus,desperans de fuga,Iudæis qui secum erant habuit orationem, eósque adeò accendit,vt omnes viri cum coniugibus mortem sibi consciuerint,bonáque in vnum congesta igni consumpserint.

Hegesias Cyrenaicus philosophus,quum quæ ex vita mala,quæve ex morte bona orirentur in scholis disputaret,ita copiosè,vt multi iis auditis mortem sibi ipsi conscisserent:à Ptolemæo prohibitus est ea in scholis dicere.

Pyrrhus dicere solebat,plures vrbes imperio additas oratione Cyneæ oratoris,quàm suis armis.Euripides dicebat;omnia conficere posse orationem,quæ hostile ferrum conficere non posset.Cicero lib.2.de natura Deorum: Iam verò domina rerum,vt vos soletis dicere,eloquentia,quàm est præclara,quámq; diuina?Plato dicebat,oratoriam, animis hominum imperare.quod mutuatus Vergilius:

Ille regit dictis animos,& pectora mulcet,ait.

Antonius orator immissos à Mario in eum occisores,& à tribuno militum destinatos,dicẽdi copia adeò perfregit,vt nemo auderet rem perficere.Tardantibus illis,tribunus militum ingressus,illum adhuc orantem iugulauit,capútque ad Marium detulit.ex Appiano.Plutarchus Annium vocat tribunum.

Pisistratus tantum dicendo valuit,vt Athenienses oratione illius capti,vltrò imperium detulerint.

Pericles oratione Athenas suo arbitrio versauit. Marcum Cethegum Ennius Suadæ medullam vocabat.

Cæsar Ligarium esse damnaturum omnino decreuerat, in senatúmque etiam libellos condemnatorios attulerat.dicturo apud illum pro Ligario Cicerone,reum quidem damnari,inquit,certissimum est: nihil tamen prohibet Ciceronem audire.sed oratoris summi tantum permouit oratio Cæsarem,vt libellos in media oratione abiecerit, mutato sæpius colore.Ligariúmque absoluit.

Græci cùm Therſitæ vaniloquentia,tum Agamemnonis oratione permoti,obsidionem soluere destinauerant.sed eos Vlysses oratione confirmauit,& continuit:nec ante incensum Ilium absceſſerunt.

Apud Dyrrhachium,quum Pompeius cæteríque duces ad pugnam milites hortando parum profecissent:Cato orationem de virtute,contemnendáque morte,ita grauem apud illos habuit,& animos illorum ita accendit,vt summo studio pugnam deposcerent,omnésq; Cæsaris cohortes in fugam vertissent,nisi Cæsaris fortuna & Pompeij infœlicitas obstitisset.

Quintius consulem dissidentẽ à patribus,plebẽ oratione adeò permouit,vt depositis simultatibus,postridie bellũ in Aequos sit captum.

Socrates Eutyphrona,qui patri diem dixerat,de iustitia & pietate verba faciens,ab instituto reuocauit.

Tullus oratione militum animos adeò accendit,vt arma vltrò exposcerent:postridiéque Gallorum aciem ceciderint.

Quum Romani à Samnitibus concluſi penè eſſent, Decius militum Rom. tribunus oratione in animos militum ita inſinuauit, vt noctu caſtra hoſtium aggreſsi, & Samnites ceciderint, & caſtris potiti ſint. Pari ratione Samnites vicit, accendēdo militū animos, Fabius, & Marcellus eadē ratione animos militū pridie ab Annibale profligatorum ita inflammauit, vt poſtridie Annibalis copiæ ab illis fuſæ ſint.

Deucalion mortales ob diluuij inundationem in montibus viuentes, deſcenderéque ob timorem denegātes, miti oratione ad mitiorem cultum, elegantiorémque vitam planicieī redegit. vnde datus locus fabulæ, homines reparaſſe iactis poſt terga ſaxis.

Amphion Thebas lyræ canore condidiſſe dictus eſt. quippe quòd orationis ſuauitate homines rupium incolas, ad ciuilem pellexit diſciplinam.

Gorgias Leontinus Delphis auream ſtatuam & ſolidam in templo ſibi poſuit: tantus erat docendæ oratoriæ artis quæſtus. Agamemnon apud Hom. ait, difficile eſſe in magna concione dicere.

Caluus orator, qui diuiniquiſimam cum Cicerone litem de eloquentiæ principatu habuit, vſque eò concitatus actor fuit, vt in media oratione eius exclamarit Vatinius: Rogo vos iudices, nunquid, quia iſte diſertus eſt, ego damnandus ſum?

Cato princeps Portiæ gentis, ſenator optimus, optimus imperator, optimus orator, cauſam quadragies ac quater dixit, diuerſis odiorum ſimultatibus appetitus, ſemper abſolutus.

M. Antonius orator dicebat, ideo ſe nullam ſcribere orationem, vt ſiquid aliquādo non opus eſſet ab ſe eſſe dictū, poſſet ſe negare dixiſſe.

Agis dicente quodam oratore, orationem rerum omnium eſſe potentiſsimam: Igitur ſi tu taces, inquit, nullo precio dignus es.

Nigrus quidam declamator in Gallia ſpinam deglutierat. Declamante verò ibi quodam, qui nuperrimè aduenerat, ne ſilendo cedere videretur, declamauit. Secuta inflammatione, vulnus agi ſibi ſinit: ſpina verò ceſſante, vulnus adeò increduit, vt obierit.

Timon Athenienſis quum in concionē acceſsiſſet, factóque ſilentio, & magna expectatione, vtpotè ad rem inſolitam, quum hominum congreſſus ſemper (vt dictum eſt) fugeret, dixiſſe dicitur: Eſt mihi ô viri Athenienſes poſt domum puſillus hortus, & in eo ficus quædā coaluit, à qua permulti iam ciues ſe ſuſpenderunt. Ibi ego nunc ædificaturus ſum: quam ob rem conſtitui publice referre, vt ſi qui ſunt ex vobis, qui ſe velint ſuſpendere, antè id agant, quàm ficus ſuccidatur.

Appius quum Volumnio collegæ dixiſſet, deberi ſibi, quòd ex muto atque elingui ſua cauſa conſul factus, ſciret ſerere orationes popu-lares, alioqui illis menſibus hiſcere neſciente: quàm mallē, inquit Volumnius, tu à me ſtrenue facere, quàm ego à te ſcire loqui didiciſſem.

Hecateum rhetorem quodam culpante, quòd admiſſus ad conuiuium, nihil diſſiſſet: Archidamas, ignorare mihi videris, eum qui dicendi

endi peritus ſit, dicendi quoque tempus cognoſcere.

Aeſchines Athenienſis ſummus orator, quum accuſationem qua fuerat vſus, Rhodi legiſſet: legit & defenſionē Demoſthenis, ob quam in illud fuerat depulſus exilium: mirantibuſque, tum magis miratu-ros fuiſſe dixit, ſi ipſum orantem audiuiſſent.

Polemon Athenienſis perditæ luxuriæ, quum è conuiuio non poſt occaſum ſolis, ſed poſt ortum ſurrexiſſet coronatus, domúmq; accederet: Xenocratis philoſophi refertam doctorum hominum ſcholam ingreſſus eſt, inque ea conſedit. Xenocrates omiſſa ea re de qua diſputabat, cœpit ſermonem facere de modeſtia ac temperantia. Eius orationis grauitate affectus Polemon, coronam primò capiti detractam abiicit, paulo poſt brachium intra pallium obduxit, móxque oris conuiualis hilaritatem depoſuit: tandémque omni luxuria ſequeſtratus, maximus philoſophus euaſit.

Theodotus tragœdus nulli, etiam vilibus hiſtrionibus, ante ſe dicere permiſit: ne magis fauerent auditores illis, quos primo audierint.

Oratoriæ campos primus Socrates cū Aeſchine diſcipulo aperuit, authore Phauorino. Ariſtoteles verò & Quintilianus inuentorem oratoriæ fuiſſe Empedoclem aiunt. Cicero in Oratore ait, Rhetoricen artem inueniſſe Coracem & Cteſiam. Apud Græcos etiam negat quicquam ſcriptum de rhetoricis ante Periclem: apud Latinos primus ſcripſit M. Cato Cenſorius.

Declamationum inuentor qui fuerit, nō ſatis ſe habere compertum ait Quint. nam fictas, inquit, ad imitationem fori conſiliorúmque materias apud Grecos dicere, circa Demetrium Phalereum inſtitutū eſſe conſtat. Latinos verò dicēdi præceptores extremis L. Craſsi temporibus cœpiſſe, Cicero author eſt: quorum inſignis L. Plotius maximè fuit: Qui fuerint celebres in declamationibus, apud Senecam comperies.

Oratorum tria genera comperi fuiſſe: Atticos, qui emuncti elegantéſque eſſent: Aſianos, qui turgidi ventoſiq;, inanes, nulliúſq; erāt momenti, quos M. Antonius & Hortenſius ſequuti ſunt: Rhodios, qui erant inter hos medij. De iis diuus Hieronymus ad Ruſticum ait, vt vbertatem nitorémq; Gallici ſermonis grauitas Romana condiret, quòd in diſertiſsimis viris Græciæ legimus, qui Aſianum tumorē Attico ſiccabant ſale. Qui verò in oratoria claruerint, apud Ciceronem de Claris oratoribus & Fabium leguntur. Mulieres verò quæ celebres fuerint, hæ ſunt: Arneſia, quæ rea cauſam ſuam, L. Titio prætore & iudiciū cogente, egit, cunctis ſententiis liberata. Item Afrania, Licinij Brutionis vxor, quæ ſemper pro ſe apud prætorem verba fecit. Hortenſia, Hortenſij oratoris filia, quæ cùm ordo matronalis à triumuiris tributo oneratus eſſet, cauſam conſtanter apud illos egit. Sed de mulieribus doctrina claris, in capite de Mulieribus dictum eſt. Addendæ ſunt hæ: Phœmonoe Apollinis filia, cui carminis heroici inuentio tribuitur. Papinius lib. 2. Syluarum, Referétq; arcana pudico Phœmonoe fon-

te.In Italia verò Carmentis,Euandri mater,carmina docuit. Damophila Pamphili vxor,Sapphus amica,hymnos qui Dianæ Pergeæ cantabantur,cõposuit,Amalasunta Theodorici regis filia,Græcis Latinisque literis eruditissima,ab historicis celebrata.Aspasia Pythagoræ,vt dictum est,filia,magistra Socratis in oratoria,authore Platone. Eurydice iam grandæua,literas vt filios erudiret,didicit & profecit.

L. DOMITII BRVSONII LVCANI FACEtiarum Exemplorúmque Liber V. ad Mecœnatem.

DE PATIENTIA. I.

NGratus viderer Mecœnas, si Constantiæ sororem Patientiam,viris sapientibus satis supérque amicam, essem silentio præteriturus.Et quoniã sæpius læsam, in furorem conuerti,memoriæ prodidit Publius Syrus:faciendum fuit,vt exempla bonorum fortiúmque virorum in cõmune adducerem.quæ si qui imitabuntur,non modò non incident in illum hominum ingenio inimicum furorem:sed & meliores fortioréque, ac non sine immortali admiratione illustriores euadent.

Dion Alexandrinus philosophus,multis conuiciis probríq; à quopiam lacessitus,non respondit.Cæterùm vbi intra ædium suarum vestibulum venisset(nam eousque conuiciator fuerat insectatus)nihil se turbatum ostendens:hoc tantum insinuauit,ne gry quidem.conuiciator animi impotentia superatus,laqueo vitam finiuit.

Augusto perquàm similis Romam venerat quidam,& ita similis, vt omnium ora in se cõuerteret.produci Cæsar hominem iussit,visum interrogat:Dic,ait,adolescens,fuítne aliquando mater tua Romæ?Excepit adolescens,Mater mea non,sed pater sæpè.ex Macrob. Cæterùm Valerius ait,id dictum Romano Siciliæ prætori,à Siculo quodam.

Socrates à quodam calce percussus,admirantibus illius patientiam, dixit:Quid si me asinus calce impetisset,num illi diem dixissem?

In eundem Aristophanes tragœdiam ediderat,multis in illa lacessens conuiciis:quod is patienter tulit.

Idem colapho percussus,nihil aliud fertur dixisse,quàm,molestum esse,quòd nescirent homines,quando cum galea prodire deberent.

Pericles à quodam per diem conuiciis maledictísque laceratus, silens pertulit.Aduesperascente verò die,quum se domum reciperet, conuiciator domum vsque insecutus est,maioribus conuiciis vtens.vt autem

autem ad ianuam ventum est,expediri lumen iussit,domúmque adduci hominem:adductúmque,domi sistere imperat.

Lycurgus Spartanus,quum multas continentiæ leges edidisset,locupletes in illum facto impetu irruerunt.inter quos Alcander adolescens,oculum baculo eruit.Conuersus ad populum, faciem fœdatam ostendebat.Misertus populus, Alcandrum vinctum illi tradiderunt,comitantes illum magna cum indignatione domum.Lycurgus illos laudatos dimisit:Alcandrum verò domum introductum, nulla pœna affecit,sed ministrare sibi iussit.

Fabius Maximus,insimulatus à magistro equitum Minutio,quòd bellum cum Annibale detrectaret:pateretúrque socios coràm diripi, atque ab eius amicis res nunciata illi esset,persuadentibus vt omnia potius pericula,quàm timidi nomen subiret:formidosior,ait,nunc viderer,si,dum scommata conuiciáque timerem,à meorum ratione consiliorum discederem.

Sylla dictator potitus rerum,quum in medium accessisset,atq; vnicuique copiam eius accusandi faceret(volebat enim deponere dictaturam)nemo est inuentus qui illi diem diceret.Adolescens verò quispiam miræ audaciæ,conuiciis palam multis cœpit lacerare,tabulam obiiciens,tótque cædem ciuibus illatam:nec eo contentus,insecutus est etiam illum domum vsque.quem quum æquo animo hactenus tulisset Sylla,quum iam domum peruentum est,ad suos cõuersus:Hic, ait,non faciet alium deponere dictaturam.de Cæsare ominatus:quod vt præuiderat,euenit.

Augustus in villa quadam inquietas noctes patiebatur,rumpente somnum eius noctua crebro cantu.Præhendendam curauit noctuam. miles,aucupij peritus,& spe ingentis præmij, ad Augustum pertulit. Laudato,mille nummos imperator dari iussit. Ille ausus tamen est dicere,Malo viuat,auémque dimisit,patienter id ferente Augusto.

Veteranus ob diem sibi dictam periclitans,accessit in publico ad Augustum,rogauítq; vt sibi adesset.Ille aduocatum ex comitatu sine mora dedit,commendauítque ei litigatorem,exclamauit ingenti voce veteranus: at non ego Cæsar periclitante te in bello Actiaco,vicarium quæsiui,sed pro te ipse pugnaui.detexítque impressas cicatrices.erubuit Cæsar,venítque ipse in aduocationem.

Timoleoni quidam Lamestius,homo petulans & ingratus,vadimonium quum vellet imponere,quod ille se lege agere diceret,& complures concurrissent,qui procacitatem hominis manibus cohercere conarentur.Timoleon orauit omnes,ne id facerent.

Diogenes pinguem saliuam à Lentulo,in facie quum accepisset,nihil motus ait:affirmabo,ô Lentule,amodo falli omneis,qui negarent te os habere.

Phocion Athenienſis,semper nudo incedebat pede,nec illum nisi hyems atrox ad calceos impellebat:ita vt inter iocãtes milites nullum

fuisse significandi immensi frigoris certius argumentum, quàm affirmare calceatum Phocionem tunc fuisse, constaret.

Augustus Corinthiorum quum esset percupidus, essetq; rumor patrem eius argentarium fuisse, in eius statua inscriptum est: Pater argentarius, ego Corinthiarius, tulit.

Alcibiades apud Lacedæmonios, quorum virtus summa in patientia moribus ponebatur, sic duritiæ se dedit, vt parsimoniæ victus atque cultus omneis Lacedæmonios vinceret.

Tertia Aemilia, Africani superioris vxor, mater Corneliæ Gracchorum matris, quum sciret ex suis ancillam viro Africano in venere sui copiam facere, ne tantum virum deturparet, scire se dissimulauit. exemplum dubio procul in fœmina mirum. Ve tibi Africane, si vxorem meam duxisses.

M. Bibulus, milites Gabinianos, qui in Aegypto duos eius filios occiderant, missos à Cleopatra, vinctos remisit: potestatem huius vindictæ, non suam esse dicens, sed senatus.

Aethiopes, illos qui vltra sinum Arabicum sunt, si quis ense percusserit, non diffugiunt, & verbera & iniurias perferentes: neq; quisquam alterius vulnere vel dãno mouetur. sed sæpe filios aut vxores, sine vllo dolore interfectos aspiciunt. Deniq; omnia mala quieto animo perferunt, ad percussores tantũ prospectantes, ad singulaq; mouẽtes caput.

Fannij seruus Alexander, qui equitem occiderat, septies tortus, non confessus est: sed tamen damnatus, crucifixus est. Flacci seruus ob dominum accusatum octies tortus, non prodidit. Pompeius in legatione interceptus à Gentio Illyricorum rege, iussus vt legationis consilia aperiret, vt sciendi spem regi eriperet, digitum lucernæ cremandum præbuit: Mutius manum, & puer in sacris Alexandri. vide in cap. de Constantia.

Pittacus sapiens, quum conuiuio hospites excepisset, mulier superueniens mensam ob iracundiam euertit: turbatos hospites & ipse solatus est, & patientissimo animo pertulit.

DE PRAECEPTORIBVS. II.

ANtoninus Pius imperator Apollonium, quem à Chalcide acciuerat, quum vocari iussisset, vt ad se ad Tyberinam domũ, in qua habitabat, M. Antoninum generum adduceret: respondisset; Apollonius, nõ magister ad discipulũ, sed discipulus ad præceptorem debet accedere: vrbanè Antoninus, Facilius (ait) fuit Apollonio è Chalcide domum venire, quàm è domo in palatium.

Protagoras, quum docuisset quæ profiteretur, ex discipulorum extimatione quantum didicissent mercedem assequebatur. Theodorus Atheus dicere solebat, verba se dextra manu auditoribus porrigere, illos verò finistra accipere.

Tibicen

Tibicen quidam optimus, discipulos mittebat auditũ ineptissimos tibicines, vt ex eis quo pacto canendum esset addiscerent. De Timothéo tibicine exemplum lege in capite de Discipulis.

Apollonius Alabandensis summus doctor, quamuis mercede doceret, tamen non patiebatur eos quos iudicabat non posse oratores euadere, operam apud se perdere, dimittebatq;, & ad artem ad quam putabat esse aptos, ad eam impellere atque hortari solebat.

Corax primus apud Syracusas mortuo Hierone instituit mercede profiteri. Lysias adolescens pactus cum eo, vt tum esset soluturus, quũ optimè rhetoricen calleret. vbi cognita arte primùm cunctaretur, à præceptore in ius vocatur. sed quum quæreretur qui finis esset litis futurus, Lysias ait; si persuasero iudicibus non debere, non tradam: quia vici. sin minus, neq; dabo, quia artem persuadendi à te nõ sum edoctus. Tum Corax, immo, inquit, si persuaseris, dabis, quia artem calles: Sin minus, dabis, quia vici. Tum iudices. νικηθεὶς κόρακος πανὸν ὄφον, id est, mali corui malum ouum. sed idem fecisse Protagoram & Euathlum discipulum, ait Gell. & Apuleius.

Simonides poëta octogesimo anno carmina docuit.

Alcibiades, quum ad quempiam præceptorem accessisset vt erudiretur, rogasset; num Homeri opera haberet: atq; ille dixisset, se habere Homeri librum satis emendatum: & tu, inquit, grãmaticam doces, quum sis aptus ad poëtam tam egregium emendandum?

Diogenes Cynicus ingressus aliquãdo scholam, videns musas multas ibi depictas, paucos verò discipulos: cũ Dijs, inquit, magister multos habes discipulos.

Strato philosophus, quum audisset Menedemum plures discipulos quàm se, habere: haud magnopere mirandum est, ait, si plures sunt qui lauari quàm vngi volunt.

Augusti præceptor in rhetorica, Apollodorus Pergamenus Apolloniæ, Tyberij Rhodi Theodorus Gadareus, Homeri Prognopides. reperio etiam Phæmium Smyrnæum fuisse Homeri præceptorem. Vergilij Silon, Ciceronis Diodorus, Philo, Posidonius, Antiochus. Socratis, Prodicus.

Nullam artem sine præceptore disci, Fabius ostendit: Cic. in Topicorum epist. ad Treba. Num ius ciuile vestrum ex libris cognosci potest? qui quanquam plurimi sunt, doctorem tamen desiderant.

Socrates apud Platonem de Rep. Ergo, ait, non tanquam coactos pueros in disciplinis, ô vir optime, sed quasi ludentes enutrias, vt & magis ad quod quisque natura sit aptus, possis agnoscere.

Illud præterea monuerim, ne quis præceptor magnos viros discipulos audeat palam reprehẽdere, castigaréve. Aristomenes Ptolemæi Præceptor, quoniam præsentibus legatis dormientem Ptolemæum excitasset, quassatus rex ab adulatoribus, venenum bibendum Aristomeni misit.

DE PROCERIS PVMILIISQVE. III.

PRoceros homines Vespasianus vrbanè versu Homer. in Iliad. insimulauit, μακρὰ βιβὰς ἐφεσσάμενος ἀκοντίζοντα ἔγχος. id est, longè vadens vibránsque longioris vmbræ hastam.

Proculus quidam ob egregiam corporis amplitudinem, speciémque, colosseros nuncupatus est. Is ex spectaculis à C. Caligula detractus, repente in harenam tractus est: & mox hoplomacho comparatus, bis victor, constringi sine mora iussus est, & pannis obsitus vicatim circumduci, atque mulieribus ostendi, deinde iugulari.

Tlepolemum, qui cum nouem nauibus fortium Rhodiorum venit in Troianam expeditionem, auxilio Troianis, Hom. ait fuisse longo latóque corpore. Syriaci regem faciunt, qui procerior aliis sit.

Arthachæes genere Achemenides, magnæ staturæ in Xerxis exercitu faciendæ fossæ præfectus: huic quatuor omnino digiti deerant, à longitudine quinque regiorum cubitorum. Tigranes Xerxis dux, omnium Persarum specie staturáque fuit eminentissimus.

Memmius tantæ erat proceritatis, vt sit illi obiectum, descendentem in forum caput ad fornicem Fabij demittere. Germani proceritate à Columella laudatissimi. In Euboea & in Aegypto, ait Strabo, esse proceros.

Neuius Pollio pede fuit longior quàm quisquam longissimus. In India multos 5. cubitorum longitudinem excedere. In agro etiam Babylonio longitudine conspicua.

Insula in qua Io Epaphum peperit, Ocham vocauere, eodem quo mons nomine. qui ibi existunt, reliquos magnitudine superant. Suerboti Aethiopum populi, longi sunt ad pedes 12.

Artabanus Parthorum imperator, dum obsidem, mittit Tiberio Darium, addit munera, quibus cum Lazarum Iudæum quendam mittit septem cubitorum magnitudine. Arrianus, omneis penè Asiaticos grandes esse ait.

Maximinus imperator, quum octo pedum ac semis esset, calceamentum eius constat etiam fuisse maius hominis vestigio ac mensura. vnde prouerbialiter in longos homines, intertésque, caliga Maximini dicitur.

Zeno gracili fuit corpore ac procero: & ob id clematem Aegyptiam prouerbialiter vocatum aiunt.

Darius Persarum rex, qui Longimanus dictus est, omnium pulcherrimus fuit excepta brachiorum & vlnarum longitudine: quæ tanta erat, vt genua contingeret. ait Strabo.

Augusto imperante, Pusio & Secundilla denos pedes & amplius proceritatis habuerunt. Claudio imperatore, Gabarra nomine ex Arabia aduectus, 9. fuit pedum, totidémque vnciarum.

Porus

Porus, quocum Alexander bellum gesit, quatuor cubitis & palmo procerus fuisse dicitur.

Horestis ossa cubitorum septem reperta sunt in bello Cretico ex vi amnis terra dirupta, cadauer ostendit cubitorum triginta trium, visum à L. Flacco legato atque Metello. vide infrà Plinij eulogium.

Sertorius Tigranam expugnans, quum ab incolis accepisset ibi esse Antei sepulchrum, illud perfodit, reperítque cadauer 75. cubitorum. iterúm que instaurauit sepulchrum.

Gangem regem 10. cubitorum fuisse, Iarcas Apollonio apud Philostratum ait.

Cicero Lentulum generum exiguæ staturæ hominem, longo gladio accinctum quum aspexisset, perurbanè: Quis generum meum, inquit, ad gladium alligauit?

Idem, quum Q. Cic. fratris imaginem in ea prouincia in qua fuerat præfectus, clypeatam ingentibus lineamentis, vsque ad pectus ex more pictam cerneret: frater meus, ait: dimidio maior est quàm totus (erat enim Qu. Cicero staturæ paruæ.)

Philippus, quum in eum adductus esset testis perpusillus, iudéxque etiam quæstor esset perpusillus: festiuè ait, Licet rogare? Tum quæstor properans, modò breuiter, ait. Tum ille, non accusabis, perpusillum rogabo: ad iudicem alludens.

Leo Byzantius orator persuasurus populo dissidenti de concordia, vbi pusillus visus est, derisui habitus est. Quid, inquit, si vxorem meam tantillam videretis, quæ vix ad genua mea ascendit? maior risus subla tus est. At, inquit, inter nos adeò pusillos si discordiæ essent, vix oppidum Byzantium capere posset.

Augusto imperante, pumilio duos pedes & palmum, Scopas nomine, in deliciis neptis fuit. Molones duos Suidas scribit fuisse, multa corporis breuitate: quorum alter histrio, alter fur fuit.

In India extrema montium parte Spitamei Pygmei narrantur ternas spitamas longitudine, & ternos dodrantes, non excedentes, salubri cœlo semper vernante. Eos à gruibus infestari, Homerus tradit. Proinde insidentes arietum caprarúmque dorsis, armatos sagittis veris tempore vniuerso agmine ad mare descendere, & oua pullósque earum alitum consumere. Ternis eam expeditionem mensibus confici, aliter futuris gregibus non resisti: casas eorum luto pennísque & ouorum putaminibus construi: Aristoteles in cauernis viuere Pygmeos tradit. ex Plinio libro 7.

Senecio declamator grandia dicere cupiebat. seruos nolebat nisi grandes: argentea vasa non nisi grandia, quin calceos grandes pedéque maiores calceabat: ficúsque nolebat, nisi marisca: pellicémque habebat ingentis staturæ, óbque id Senecio Grandio dictus est, Mart. in Claudiam: Summa Palatini poteras æquare colossi, Si fieres brevior Claudia sexquipede.

In Creta, inquit Plin. terræmotu rupto monte, inuentum est corpus stans 46. cubitorum, quod alij Orionis, alij Eetionis fuisse tradunt. In plenum igitur cuncto mortalium generi minorem staturam in dies fieri, propemodum obseruatur: rarósque patribus proceriores, consumente vbertatem seminum exustione.

DE PARENTVM INDVLGENTIA, CRVdelitate, & amore erga filios. IIII.

ANtiochus Seleuci filius, quum Stratonicen nouercam deperiret, ob idque in lectulo moribundus iaceret: è tot medicis, Erasistratus (vel, vt alij dicunt, Leptinus mathematicus) solus rem animaduertit. Veniente enim ad visitandum Stratonice, amator rubore suffundebatur, & spiritus increbescebat: abeúte pallebat. Vocato igitur ad se Seleuco patre, & ob filij atque vnici ægritudinem nimium se afflictanti, refert filium amore mulieris deperire: póstque multum sermonem Erasistratus precibus regis defatigatus, ad enunciandum mulierem, inquit, ô rex, mea vxor est quam Antiochus ardet. Tum Seleucus multis cum lachrymis illum complexus, rogat, vt filij saluti prospiciat. Tum, ô rex, ait medicus, hæc facile nobis enarras: verùm fortè aliter sentires, si vxorem tuam ille amaret: Vtinam, inquit rex, pro filij enim salute omnia exponerem. Tum Erasistratus: ô rex, tui filij medicus es. Tuam ardet Antiochus Stratonicen. re accepta Seleucus, Stratonicen vxorem filio copulat, filius valet.

Ciceroni, quum vellet domum in palatio emere, pecuniáque ad præsens careret, à P. Sylla, qui tum reus erat, clàm sestertium vicies mutuatus est. ea res cum Ciceroni esset obiecta: negauit à reo accepisse, domúmque etiam se empturum negauit. sed eam quum emisset, mendaciúmque obiiceretur: inciuiles, inquit, homines estis, quod ignoratis, prudentis patrisfamilias esse quod velit emere, negare se empturum, propter emptionis competitores.

Q. Cicero, Ciceronis frater, deprænsus cum filio à percussoribus Antonij, summis precibus cœpit obtestari, vt eum antequam filium occiderent: filio è diuerso supplice, vt se prius neci traderent: percussores vtrique concessuros affirmarunt: atque ita ambobus interceptis, signo dato, ambos eodem tempore necauerunt.

Rutilia filium in exilium secuta, eò vsque fuit amore coacta, vt mallet exilium pati, quàm desiderium.

Euryali mater apud Vergilium libro 11. in lamentis ob filium occisum habitis, ait:

Figite me si qua est pietas, in me omnia tela
Coniicite ô Rutuli, me primam absumite ferro.

Mars apud Homerum, audita Ascalaphi filij morte, vtraque manu fœmo

fœmora cædens, se iturum ad castra deorum, vlciscendi filij studio, etiam si Iouis fulmine sit impetendus, minitatur.

Amantissimus filij quidam, quum eum à periculosis amoris facibus vellet inhibere, petiit, vt prius quàm ad eam quam diligebat accederet, vulgari & quasi permissa venere vteretur: eius precibus obsecutus filius, satietate licentis concubitus ab illicito animum compescuit. exemplum Agesilai est in cap. de Filiis.

Acherius orator, adeò filiorum amantissimus fuit, vt non recenti modò dolori cederet, sed veteri & obliterato. quum igitur diu post amissum filium controuersiam de eo qui à sepulchris trium filiorum abstractus fuerat, iniuriarum ageret, in fletum erupit, miserabiliúsque dixit.

Octauius Balbus à triumuiris proscriptus, à fuga reuocatur: quòd filium audierat occidi, occisoribúsque se tradidit: de C. Turanij amore in filium, dictum est in capite de Filiis.

Dædalion Luciferi filius, quum vehementer indoleret Chionem filiam à Diana sagittis confossam, ob idque ex Parnasii vertice se daret præcipitem: antequam caderet, ab Apolline, qui Chionem compresserat, in accipitrem est conuersus.

Cato Censorius, filios ipse edocuit: & Paulus Aemilius miro in illos amore affectus fuit. Plato: Non noui, inquit, profectò cui rei maiorem diligentiam quis debeat adhibere, quam vt filium optimum reddat. Papinius libro 5.

Talis Olympiaca iuuenem quum spectat harena
Qui genuit, plus ipse fecit, plus corde sublato
Cæditur.

Crassus in Mariana proscriptione cum filio fugiens. quum hostes illos insequeretur, filium prius occidere maluit, sed ipse à percussoribus occisus est. vide in cap. de Crudelitate, in dictione Herodes, & in dictione Icetes.

Blauus in Antoniana coniuratione, filium ad mare fugere iussit, ipse ex interuallo secuturus: Nunciante verò quodam filium interceptum, retro rediens percussores vt se occiderent, accersit.

Dauid pugnans contra Absalon filium rebellem, ingratúmque, milites rogabat, vt in victoria filio parcerent.

Agrippinæ super Nerone Chaldeos consulenti, responsum est, fore vt Nero imperaret, sed vt matrem occideret. tum illa: Occidat, inquit, dum imperet.

Lesbocli Potamonique declamatoribus, iisdem diebus filij obiêre. Lesbocles scholam soluit, Potamon à filij funere ad scholã se contulit.

Cesetius à Cæsare impulsus, vt vnum è filiis, qui in tribunatu plebis Cæsarem malè affecisset, abdicaret: Celerius tu mihi, inquit Cæsar, omneis filios eripies, quàm vnum nota pellam mea.

Hortensius orator scelestissimum filium, quamuis sæpè abdicatum bonis adiurasset, hæredem tamen reliquit.

Fuluius

Fuluius Flaccus filium de parricidio deprehensum, ac à senatu sibi iudicandum traditum, reliquit hæredem.

Pater quidam quum insidias sibi à filio construi accepisset, vocato in secretum filio, gladium quo in eum vteretur, tradidit: victus pietate filius, abstinuit.

Pericles affinibus multis, sororéque etiam orbatus, infractum animum semper retinuit. sed Paralo filio ex legitimis nuptiis orto orbatus, quamuis animi constantiam retinere enixissimè conaretur, nõ potuit: sed inuitus in lachrymas eiulatúmque profusus est: Di seruent mihi Camillum filium, puerum atque vnicum.

Demetrius quum graui obsidione Bœotios sæpe rebelles premeret, multiq; strenui milites caderent, Antigonus filius mortem miseratus militũ: Cur, inquit, pater hi viri strenuissimi, sine vlla vtilitate ad mortem manifestam compelluntur? Turbatus Demetrius, filiiq; imbelliam molestè ferens: Tu, inquit, quid doles, quum tot viris interiectis à te pericula distent?

Augustus quum audisset inter pueros, quos in Syria Herodes Iudæorum rex intra bimatum interficiiusserat, filium quoq; eius occisum: Melius est, inquit, Herodis porcum esse, quàm filium alludens ad Iudæorum morem, qui morbi vitandi gratia suillis carnibus exprætceptis Mosaicis parcunt. sed & is aliter etiam filios sustulit.

Cassius filium, qui legem Agrariam tulerat, domi verberibus affectum, necari iussit.

Brutus Titum & Tyberium filios in coniuratione cum Vitellijs deprensos compellans: Age Tite, age Tyberi, cur non accusationi respõdetis? Illis silentibus, ad lictores conuersus, Vestrum iam, inquit, est reliquum opus. cæteris auertentibus vultum à cædentibus lictoribus, Brutus filiorum supplicij se spectatorem præbuit.

Tyberius Drusum naturalem, Germanicúmq; legitimum filium, miro insectatus odio dicitur.

Herodes quum latrones, qui in speluncas se receperant, expugnaret, multósque ex illis occidisset: captiuósque multos cepisset. senex ex iis quidam petẽteis filios, vt sese hosti dederent, ex antro exeuntes, stãs supra ostium speluncæ, conficit septem filios, ac mox vxorẽ. & quum cadauera dedisset in præceps, se quoq; precipitem dedit, multa prius in Herodem vociferatus.

Colchis expetentibus regẽ Mithridatem, Mithridatis filium, obortа inter patrem filiúmq; de regno suspicione, filium reuocans Mithridates, cathenis primò vinxit aureis, nec multo pòst occidit.

Lysimachus Agathoclem filiũ, ministra Arsyrice nouerca, veneno occidit: sed is amissis antea 15. variis casibus filijs, ad postremũ à Seleuco victus, occiditur. vide in cap, de Obedientia Bisalteorum.

Phinees ob nouercæ preces, filios ex alia vxore susceptos occæcauit: cæterum dij ei oculos sustulerunt.

Fuluij

Fuluij senatoris filius, quia coniurasse cum Catilina putabatur, domum retractus, à patre necatur.

Manlius consul filium, qui parentis iniussu contra Genutiũ Latinorum præfectum pugnauerat, licet victorem, securi percuti iussit. ex Liuio. Plutarchus aliter in cap. de Obedientia dicit: sed magis Liuium sequimur in historia nostra, atq; puto Plutarchũ in nostris sæpe falsum.

Macedonum legati, quum Romam quæstum venissent de Iunio Syllano, T. Manlij Torquati filio, quòd prætor prouinciam spoliasset, vellétq; senatus de eorum querelis vindicare, Manlius impetrauit, vti hæc cognitio sibi mandaretur. Domi igitur causa cognita, filium condemnauit, nec funeri quidem eius, quum laqueo vitã finisset, interfuit.

Philippus Macedo Demetrium filium veneno sustulit, ob Persei alterius filij crimina. vide in cap. de Dolis Prusias.

Matres in bello Cantabrico, priusquam filij in hostium venirent potestatem, necauerunt.

Puer quidam è Cantabris, quum parentes germananíque captiui in vincula coniecti essent, eos omneis èx iussu patris confodit. Deiotarus rex generum filiámque iugulauit.

Patri datur ius occidendi filiam, quam in potestate habet, atq; adulterum. deprehensos siquidem domi suæ, vel generi tantum, ita tamen vt is pater non sit filius familias. ex Pomponio lib. 48. Digest.

Moabitarum rex à tribus regibus obsessus, filium seniorem deo immolauit, vt deum placaret.

P. Ebutius, mortuo patre, sub matris Duroniæ tutela & vitrici T. Sempronij educatur. sed vitricus, qui bonorum rationem reddere non posset, aut tolli pupillum, aut obnoxium sibi reddere cupiebat. commentúsq; tandem cum Duronia vxore est, vt ad bacchanalia, vbi omnia corruptelarum genera fiebant, initiaretur (ita enim illam vouisse) Ebutius rem detulit ad Fesceniam Hispalam nobile scortum, quæ illũ ardebat: ea ne accederet admonuit, atq; meretricis ope periculũ & matris & turpitudinis euasit. vide in capite de Secretis, de Bacchanalibus memoratu digna.

Tenedi rex quidam lege sanxit, vt adulteri tam vir quàm fœmina, securi percuterentur, deprehensumq; filium occidit.

M. Scaurus, filio fugienti, Cimbrorum impetum cum multis Romanis consule relicto: misit qui diceret, se libentius in acie eius occisi ossibus occursurum, quàm reum deformis fugæ visurum, his acceptis, filius gladio incubuit.

Pontius Aufidianus, filiam à pædagogo stupratam necauit: filiam item Attilius Philiscus, Q. Fabius Seruilianus filium, quòd eius pudicitiam suspectam haberet.

Macheus Carthaginensium dux, quum post multas victorias infelicíter in Sicilia, Sardiniaq; pugnasset, à Carthaginensibus exilio damnatus, vrbem obsidione cinxit: Carthalo verò eius filius, quum è Tyro reuertens,

uertens,quò missus fuerat, ad decimas Herculi ex præda Sicilienſi ſoluendas,præter caſtra iter faciens,vocatus à patre,publicè ſe prius religionis, ait, officia, quàm priuatæ pietatis executurum reſpondit: interiectis diebus ad patrem,purpura ornatus reuerſus eſt, nõ paſſus pater tam fœdum ſpectaculum, raptum illum in vrbis conſpectu cum ornatu cruci altiſsimæ ſuffixit.

Laodice Ariaratis Cappadociæ regis vxor, mortuo viro, verita ne adulti filij regni adminiſtrationẽ ſibi eriperent,quinque filios veneno ſuſtulit, vnum paruulum (nam ſex fuerant) cognatorum cuſtodia eripuit:qui poſt occiſam matrem, regno potitus eſt.vide exẽplum in cap. de Crudelitate Hyberniæ.

Ptolemæus Cleopatræ frater, maximum filium à Cyrenis accerſitum,ne Alexandrini contra eum regem facerent, occidit:quamobrem quum populus indignatus,ſtatuas imaginéſq; eius detraxiſſet,reputans factum ſororis cui regnum adiudicauerant ſtudio:filium etiam quem ex ea ſuſceperat,interfecit,corpúſq; in membra diuiſum,& in ciſta impoſitum,matri die natali eius inter epulas afferri curat.ex Iuſtino.Florus ait, Euergetem nuncupatũ & in Cyprum fugiſſe, Cleopatrámque vxorem & ſororem eius fuiſſe.

Aruncij vxor, in Antoniana proſcriptione, quum accepiſſet filium mortuum,gladio incubuit:apud Homerum, Vlyſsis mater apud inferos ait:eam non occubuiſſe,niſi ob filij curam,deſideriumque.

Alexis poëta comicus Græcus, Athenienſes dicebat ideo oportere laudari,quòd omnium Græcorum leges cogunt parentes ali à liberis: Athenienſium verò non omnes,niſi eos qui liberis artibus eruditi ſſent.

Cæſar peregrinis quibuſdam locupletibus,canum ſimiarumq; catulos gremio circumferentibus Romæ, quum eos ad id omnino deditos cognouiſſet,interrogauit: Nunquid apud illos mulieres liberos parerent:ſapiens & digna principe admonitio in eos,qui pietatem indulgentiamq;,quam in filios præſtare debeant,in feras impenderent.

In inſulis Fortunatis, cœtus magnarum auium nutriunt Athiopes, ſupra eas imponunt infanteis,quos ſi volantes per aëra immoti nõ expaueſcant,educant,Sin verò timore ignauiáq; deficiunt,abiiciuntur.

Plato 34.de Legibus,ait:Oedipus contemptus à filiis,ea eſt illis imprecatus,quæ exaudita effectáq; à diis omnes feruntur.Amyntora quoque Phœnicio filio iratum,maledixiſſe ferunt:& Hippolito Theſeum, plurimosque alios aliis,quibus apertiſsimum ſecundum eſt à dijs preces parentum aduerſus filios exaudiri:Nihil non imprecatione parentis,nõ iniuria,perniciosius filio. Nemo verò quum pater aut mater ab eo contemnitur,tunc ſolum à deo putat orationes eorum exaudiri, ſed etiam quum honoratur.

DE PATRIAE-AMORE. V.

CAio Fabricio P.Cornelius, homo exiſtimatus auarus & furax,ſed egregiè fortis,& bonus imperator,quum gratias ageret,quòd ſe homo inimicus conſulem fecerit, bello præſertim magno & graui: Nihil eſt quò magis gratias agas, inquit,malui enim cõpilare quàm venire. ex Cic.de Oratore lib.1.Gellius ait Fabricium curaſſe,vt cõſulatus deferretur P.Cornelio Rufino:quia vtilis patriæ videretur.

M.Aemilius Lepidus,creatus cenſor cũ Fuluio Flacco,quo cum omnes interceſſerant illi inimicitiæ, in gratiam Reipublicæ cauſa rediit.

Cretinus Magnes,& Hermias,inter ſe magnopere inſtante Mithridatico bello diſſidebant.Cretinus Hermiæ vrbem tutandam relinquere ait ſe interea aliò conceſſurum.quòd ſi alteras vellet partes ſuſcipere,ciuitate ipſe decederet.accepit conditionẽ Hermias.& Cretino tanquã patriæ vtiliori bellicoſioriq; ceſſit,& cum vxore liberiſque abiit.

Salinator factus collega in conſulatu cum Nerone, quamuis illius odio in exiliũ actus fuerit,Reipublicæ tamẽ cauſa ſimultates depoſuit.

Staſippus Tegeates,æmulum, ſed bonum virum hortantibus amicis,vt Reipublicæ ſubmoueret,negauit:ne ipſius quiſpiam patriæ aduocatus accederet.

Cremutius ſæpe illam Ciceronis ſententiã dicebat:proprias ſimultates deponendas interdum,publicas verò nunquam.

Tuberonis prætoris vrbani in capite,in foro iura reddentis,ſedit picus ita placidè,vt manu apprehenderetur.reſpondêre vates,exitiũ imperio portendi,ſi dimitteretur:at ſi exanimaretur,prætori.& ille auem protinus conſcerpſit,& non multò poſt prodigium impleuit.

Genutio Cippo prætori,quum paludatus porta egrederetur, in capite ceu cornua ſubitò emerſerunt,reſponſum eſt,eum regem fore, ſi in vrbẽ reuertiſſet.id ne accideret, voluntarium perpetuúmq; ſibi indixit exilium.

Theopompus, quum quiſpiam diceret,à ciuibus ſuis philolaconẽ eum appellari,id eſt,laconum ſtudioſum:pulchrum,inquit,fuerit philopoliten,id eſt,ciuitatis amatorem vocari.

Seruio Hala,L.q; Genutio cõſſ.in medio foro ſpecus factus,qui nulla terræ cõgerie poterat expleri.vates cecinere è reſpõſis, dicandũ eo in loco,id quo maximæ populus Rom.polleret. tũ M.Curtius reſpõſum ad arma pertinere credens,ornatus armatúſq; equum conſcendit,ſeq; cum equo in ſpecum immittit,protinúſque hiatus terræ clauſus eſt.

Quum in Celeno Phrigiæ oppido terra hiaſſet, domóſque plures cum ipſis mortalibus abſorpſiſſet, exq; oraculo rem precioſam peti diceretur:Anchurus Midæ regis filius, quum nihil precioſius anima ſecum eſſe reputaret,datis patri cõplexibus & Cimotheæ vxori, equum aſcendit,inque hiatum ſeſe iniecit,terrámque coiiſſe traditur.

Carthæ

Carthaginenſes,Cyrenenſesque, de agri finibus diu diſceptauerant, tandem conuenere,vt ad certam diem legati vtrinq; diſcederēt, & quo in loco ſibi obuiam irent,is communis vtriuſque populi finis haberetur.Priores fuere Carthaginenſes.Phileni dicti, duo fratres (nam iter maturauere)ſumuntur pœnæ de Cyrenenſibus.ſed inſimulatis Carthaginenſibus,quod ante tempus digreſsi eſſent,conturbata re,tandē Græci optionem Carthaginenſibus faciunt, vt vel illi vbi fines populo ſuo quærerent,viui obruerentur,vel eadem conditione ſeſe,quem in locum vellent proceſſuros dimitterent.Phileni conditione probata,vitam patriæ condonantes.viui ibi obruti ſunt.

Horatij Coclitis virtus in ponte,& Cloeliæ natantis,& trium Deciorum qui pro patria ſe deuouerunt,à nemine ignoratur.

Menœchus,vel Menecheus,edoctus à vate Tyreſia, Thebas ſaluas fore,ſi ipſe occumberet eo in loco,vbi cauerna draconisq; eſſet cubile: clàm patre,gladio,vt patriam ſaluam redderet.incubuit: Creonis hic, filius fuit,&,vt ait Statius,nouiſsimus generis viperei poſcebatur. meminit Cicero,& Lactantius.

Sylla quum Prenetum oppidum vi expugnaſſet,occidi omnes illius oppidi ciues iuſsit,præter vnum hoſpitem.ſed ille:Nolo,inquit,patriæ meæ occiſori ſalutis acceptæ gratias debere. accum turba ciuiū ſe immiſcuit,ibique occiſus eſt.

Codrus Athenienſis,quum accepiſſet hoſtibus Peloponnenſibus datum oraculum,Athenas capi poſſe ni regem occiderent : pannoſus vilique cultu hoſtium vallum aggreſſus,ſponte pro patria morti ſe obtulit.ibi enim confoſſus eſt:eóque agnito,ſpe ſublata potiundi Athenarum,Peloponnenſes abierunt.

Metellus Numid.Saturnino legem Reipublicè ærumnoſam ferente,in exilium potius quàm in legem ire,vt dictū eſt,maluit.Timoleon Corinthius fratrem pro patriæ ſalute paſſus eſt interimi.

Paus Aemilius.victo Perſe rege,à dijs petiit, vt ſi quid ob ingentem victoriam inuidiæ dandum eſſet , id ſuo potius quàm publico damno ſolueretur:circáq; illos nobiliſsimi triumphi dies , duos filios extulit.

Camillus victis Veientibus,quum idem quod Paulus à diis experiſſet,corruit in terram,circumáctu conſternatus:intráque paucos dies in exilium agitur.

Portius Latro,in declamatione in Catilinā:Quid enim , ait , poteſt indignius dici,quàm vitam à patria ſuſceptam,ad illius perniciem calamitatémque conferre?Cic.in ſomnio Scipionis:Omnibus qui patriā conſeruauerint,adiuuerint,auxerint , certum eſſe in cœlo diffinitum locum,vbi æuo ſempiterno fruantur.Vlyſſes apud Homerum ait regi Alcynoo,nihil eſſe patria parentibúſque dulcius.meminit Cic.in Oratore:Hector hortatur ſuos ad bellum,dicens , non eſſe indignum pro patria mori.ex Homero.

Horatiorum,qui cum Curiatiis Albanis decertarūt , ſoror Horatia, grauiter in fratrem inſultans,imprecánſque,quòd virum è Curiatiis vnum,cui nupta erat,cecidiſſet,occiſa ab illo eſt.cæterùm pater non modo non ægrè rem tulit:ſed ne filiæ quidem corpus domum inferri paſſus nec paternis monumentis,nec funere etiam dignatus eſt.

Thraſybulus,quum vellet parua manu triginta Athenienſium tyrannos confodere,dicente cuidam,quantas Athenæ libertatem aſſecutæ gratias illi eſſent habituræ:dij,inquit,faciant,vt quantas ipſe illis debeo,videar retuliſſe.

Themiſtocles ab ingrata patria factus exul,omni Græcia pulſus,ad Xerxem profugit.illíque pollicitus eſt,totam Græciam illius imperio ſubditurum,poſt annum ad linguam ediſcendam impetratum.extimulatus poſtea à Xerxe,vt fidem ſolueret : inſtituto ſacrificio,pateram taurini ſanguinis hauſit,ne patriæ proditorem ſe præſtaret,atque illico expirauit.

DE PRODITORIBVS. VI.

PRoditorum,quibus nihil eſt , non hominibus tantum,ſed Diis ipſis magis hoſtile,finis ſolet meritis ſemper reſpondere.Id qui non credet,exemplis ſequentibus liquido cognoſcet.

Aman,quum Mardocheum accuſaturus , ſummo manè ad Artaxerxem regem acceſsiſſet:réxque noctu cogitaſſet,ob præſtitam ſeruitutem Mardocheum muneribus dignum,iuſsit vt quem viderent ex amicis ante aulam nunciarent.viſus Aman,vocatus atque intrò receptus.quum rex ab illo ſciſcitaretur,vtpotè fido amico,quemadmodum honorare deberet quendā ſibi longè chariſsimum:Aman putans ſibi illos honores deferri,Fac,inquit,eum equo vectum procedere,tua veſte indutum,torquem aureum habentē:quem præcedat è tuis amicis aliquis,qui dicat,Tale beneficium merebitur,quem rex honorari voluerit.Delectatus rex his monitis : Vade,ait,habens equum & torquem,require Mardocheum Iudæum:& quum iis illum indueris,antecede eum equo vectum.Parauerat fortè crucē Amā,pro Mardocheo ſuffigendo:quum id reginæ innotuiſſet,cuius auunculus erat Mardocheus,Heſter nuncupatæ,ægrè rem ferebat,occaſionē rei vindicandæ opperiens.Diſcumbens fortè rex,reginam laceſsit,vt quam vellet donationem impetraret.regem poſcit,Aman ad ſupplicium dedi.turbatus rex,è conuiuio ad hortos egreditur.Aman verò reginæ ſupplicans, quum ſupra lectum procidiſſet,ſuperuenit rex,& hoc viſu irritatus & ipſe:Peſsime,inquit,num vxori meæ vim inferre conaris ? Audiens ergo rex ex Sabuchade accuſatore,crucem domi Aman Mardocheo paraſſe,iubet authorem in ipſam retorqueri,ſuffigíque.

Altinius Arporum Apuliæ vrbis princeps , poſt cladem Gannenſem,ſtatim ad Annibalem cum vrbe defecit.reparantibus bellum Romanis,transfuga cum tribus ſeruis ad Rom.venit,Arpos proditurum pollicitus.Eam rem quum Fabius ad conſilium retuliſſet : vix abfuit,

quin verberaretur,necaretúrque. Ea res non latuit Annibalem,qui & virum,etiam ipse dubiæ fidei,odio insectabatur,bona vendidit. Dein vocata ad se coniuge liberísque,cognitóque satis quantum relictum esset auri,coniugem proditorísque filios viuos comburi iussit.

Perfugæ Romanorum,quum noctu ad Salapiam cum Annibale accessissent,latinéq; locuti essent Salapiis,vt reciperētur,consulē adesse dicentes:sunt ad sexcentos penè recepti.sed re postea cognita,demissa cataracta,portam occluserunt,Salapiníque perfugas negligēter arma exitinere suspensa humeris tractantes inuadunt: alij è turri saxis,piliísque Annibalem extrudunt:perfugæ omnes ad vnum cæsi.

Sylla fugato Mario,Sulpitium reum mortis decernit.is seruo prodente cæsus est:sed seruum prius Sylla ob proditionem libertate donauit,mox præcipitauit è saxo.

Maximinus imperator,quum vnumquemque ferarum more occideret,sagittarij Osdroëni in illum factionem commouēr,Ticúmque quendam sibi imperatorem deligunt.qui à Macedonio nomine quodam,quo sibi præferretur,occiditur,capútque ab occisore ad Maximinum defertur,sed Maximinus illi primò gratias egit: ac mox odio,vt proditorem,habuit,& occidit.

Pausanias Lacedæmonius , quum Argilio adolescenti literas ad Arthabanum dedisset,Xerxis amicum,essétque adolescens de literis suspicatus,quoniā nemo ex iis qui attulerant,super ea rediisset,sigillo detracto,epistolæ dolos cognouit,quas præfectis vrbis statim tradidit.Lacedæmonij non prius Pausaniā cōpræhenderunt,quàm se ipsum iudicasset.itaque quum in fano Neptuni,quod violare nefas putabant, in locum subterraneum plures boni viri descendissent auscultaturi, Argiliúsque ad Neptuni aram supplex consedisset,vt primùm venit Pausanias ad aram,cœpit rogare Argilium,ne proderet quippiam.ille rem pollicetur.Pausanias igitur Lacedæmonem reuertitur,sed in itinere paratis insidiis,quum de fuga desperaret,in templum Mineruæ se recepit atque ibi occiditur,obstructa porta ne exiret.aiúntque matrem Pausaniæ,cōperta filij proditione,primum ipsam lapidem ad occludendum filium attulisse.ex Probo Aemil.Iustinus verò ait:Pausanias dux Lacedæmoniorum in Persas missus,de proditione agit cum Xerxe.Cæterùm Aristides belli socius,de proditione Lacedæmonios facit certiores. Accusatus igitur Pausanias , damnatus est.Plutarchus verò in Paral.ait:Pausanias Lacedæmoniorum imperator,quinquaginta auri talenta vt Spartam proderet à Xerxe accepit.quod vbi deprehensum est,pater Agesilaus est insecutus filium in templum vsque Palladis auxiliariæ,coctóque latere ita templi fores obstruxit,vt eum inedia consumpserit,mater insepultum abiecerit.

Crassus,Brutus nomine,in bello Latino pacta cū Latinis mercede portas aperire pollicitus,deprensus in Palladis auxiliariæ tēplum cōfugit.eius pater Cassius occlusis foribus necatum fame,insepultū abiecit.

Vitigite

Vitigite Romam obsidente,duo plebei de proditione cum illo pacti sunt.parauerat igitur omnia Vitiges opportunè,quum alter ex illis pœnitens aperit rem Belisario.alteri capto nasus auriculæque,amputatæ sunt:asinóque impositus,ad Gothorum castra mittitur.

Brennus Gallorum rex Ephesi plebeiam virginem adamauit,quæ & concubitus & patriæ proditionem pollicita est,si muliebrem mundum & manuum ornamēta traderet.parta vrbe,omnes milites in virginem aurum iaculantes,obruerunt.

Tarpeia,Tarpeij Capitolinæ arcis præfecti filia,capta armillarum specie,quas Sabini in sinistris habebant,ob illas promissas arcem prodidit,Tatium edocēs occultam viam,sed Sabini arcis potiti,quæ gerebant in læuis scutā(fuerat enim pactum,se daturos quicquid in sinistris haberent) Tarpeiæ obiicientes iniicientésque illam suffocant: pœnámque auaritiæ proditionísque eodem tempore pependit.ex Plutarch.sed Liuius ait,à Tatio pecunia corruptam : ac esse de armillis fabulosum.

Romilda Gisulphi ducis vxor,oppugnante Eorum Iulij.Cacauno Bauarorum rege,illum visum ardere adeò cœpit,vt miserit nuncios, qui pacto cum rege matrimonio , proditionem oppidi pollicerentur. Spopondit rex,& ingressus oppidum,Romildam vnica nocte in torum admisit: sed eam postea contemptam,Bauaris militibus in concubitum prostitutam,ad lasitudinem agitari iussit.

Diomedes ab expeditione Troiana rediens,in Libyam vi tempestatis eiectus est,vbi Lycus rex hospites immolabat,Calluce regis filia Diomedis amore capta,patrem prodidit, Diomedémque vinculis emisit.at ille spreta Calluce nauigat:illa verò laqueo vitam finiuit.

Calphurnius Crassus in Massilios bellum gerens,vt castellum Gatecium diriperet:captus ab hostibus,Saturno immolandus destinatur, Balsacla regis filia Calphurnij amore capta,patris à se proditi victorem facit:eo autem abeunte,puella ferro iugulum transegit.

Sithonis quædam,quum Arnem patriam precio prodidisset,in monedulam conuersa est.

Cymætho Pterelæ filia,Cephali amore capta,qui apud Amphitryonem stipendium faciebat,patrem patriámque hostibus prodidit.

Scylla Nisi Megarensium regis filia,Minois regis Megaram obsidentis amore correpta,patrem patriámque prodidit.nam dormienti patri,capillum purpureum,à quo & illius & patriæ salus pendebat, abscidit.sed à victore Minoe contempta,in auem cirim est conuersa.

Attilius quidam senatorij ordinis , relicta ob mulctam patria,ad Mithridatem,cui antè familiaris fuerat,accesit.qui quum insidias regi etiam pararet,ab eo interceptus confossúsque est.

Rimotalces Thrax ab Antonio ad Augustum transierat:solitus inter pocula transitionem sæpius exprobrare,mouit Augustum,qui propinans ex accumbentibus cuidam : proditionem ego,inquit,amo,proditorem

ditorem verò non laudo. Hunc Rhumitalcum Plutarchus in Romulo vocat. mutuatus Aurelianus idem dixit, vt est in sequenti exemplo.

Heraclemon quidam, quum Thyanam eius patriã Aureliano imperatori prodidisset, ab eo occisus est: dicente, proditorem se amare non posse.

Curio viginti septem millibus aureorum à Cæsare ad prodendam Romam corruptus est.

Darius Persarum rex cum Alexandro bellum gerebat. Ariobarzanes eius filius Alexandri misericordia commotus, patrem interimere pollicetur. comperta re, Darius indignatus, filium securi percutit.

Barzanetes princeps in Zarangris, quum Darium ab Alexandro victum ac fugientem confeciſſet, cum aliis complicibus ab Alexandro ob perfidiam occiditur.

Bessus eiusdem in Darium proditionis conuictus, virgis cæsus, in Bactriámque missus est, ibique occisus. Ptolemæus, qui Pompeium iugulauerat, à Cæsare necatus est.

Papyrius Cursor Aquiloniam oppugnans, à pullario falso prohibitus est bellum suscipere. sed vt euentum rei expectaret, pullarium in pugnam produxit: qui (mirabile dictu) primus hostili telo cecidit.

Camillo Phalerios obsidente, Græcus ludimagister, pueros Phaleriorum paulatim ad illius castra adduxit, vt illis captis, Camillus vrbe facile potiri posset. sed neque proditio, neque proditor magnanimo duci placuit. quin iusſit homini vestimenta nephario scindi, & manibus post terga vinctis, pueros Græcum virgis ad vrbem vsque vt proditorem cædere.

Lasthenes Olynthum Philippo quum tradidisset, à Philippi amicis proditor vocabatur. illi apud regem super ea re querenti, Macedones, inquit, natura rusticiores ac rudes sunt, scaphámq; te vocãt. scomma est in verbo scapha. σκαφεύς enim vulpes dicitur.

Darius ab Alexandro victus, compedibus aureis à suis in victoris gratiam conuinctus est, ac mox à Berso confossus: sed Bersus captus paulo pòst ab Alexandro in vltionem perfidiæ datus est, Darij fratri excruciandus. ex Iustino. supra diximus ex Arriano, à Barzanete occisum. vide historicorum discrepãtiam in morte Darij. Ab Arriano præterea Bessus vocatur.

Perpenna ob inuidiam laudis virtutísque Sertorij, eum cõficit cum quibusdam aliis proditoribus, sed is à Pompeio est occisus, ob perfidiam: déque aliis Sertorianæ necis conscíis supplicium sumptum. nec quisquam euasit præter Ausidium: qui latens in villa quadam, inops inuisúsque consenuit.

Melanthius Vlyssis caprarius, non contentus capras hædósque dissipasse Vlyssis: & vt ait Ouid. author edendi esse, arma etiam contra dominum sumpsit, sed capto mox nares auréq; obtruncatæ sunt, genitaliáq; incisa canibus deuorãda data, amputatis etiã pedibus manibúsq;

Palamedes

Palamedes princeps ad deligẽdos Græcos ad Troianam expeditionem venturos constitutus: quum multos inuitos coëgisset, & cum primis Vlyssem, eséque in exercitu nulli secundus, inuidentes Diomedes & Vlysses aurum in puteo repertum asimulant, cum Palamede partiri velle pollicentur: remotísque arbitris, vt descenderet suadent. per funémque deorsum ponunt, depositum saxis obruunt. ex Dycte. fabulæ tamen habent, illum lapidatum ob literas Priami simulatas, aurúmque ab illo acceptum, quod Vlysses corrupto seruo apposuerat, repertum in tentorio.

Turnus Herdonius cum Tarquinio dissidens propter negatas filiæ nuptias, quocunque posset modo Tarquinium insimulabat. sed versutus ille de perdendo eo, præsertim quòd ad imperium aspiraret, cogitat. subornat igitur quosdam è Turni seruis, qui arma domi occultent. quo facto. Tarquinius ad iudicum conspectum conuolans: proponit, & sibi & omnibus à Turno insidias constructas, quòd arma domi occuluisset, quibus pro tẽpore vti posset. Negat, vtpotè insçius, Turnus, inquisitionémque fieri facilè permittit. Repertis igitur armis, Turnum defensionem dicere parantem in barathrum deiiciunt, viuúmque terra operiunt. Pari modo confossus Petro Antistius per Tarquinij proditionem, vt est in Calliditate.

Philotas Parmenionis filius, conuictus proditionis crimine contra Alexandrum, à Macedonibus iaculis confossus est.

Metius Suffetius Albanorum dux, qui auxilio Tullio Romaníq; aduersus Fidenates Veientésque venerat, instructa ad pugnã acie, neq; cum Rom. permanere ausus, neque ad hosteis transire, sensim ad montes succedit, secuturus victoris fortunam. sed victis Veientibus Fidenatibúsque, Metius descendit, Tullio congratulatur. contrà Tullius Metium benignè alloquitur. Albanis igitur castris cum Rom, iunctis, sacrificium lustrale in posterum diem parat. vocati Albani, ne daretur effugium, à legione Rom. circundati sunt: culpatisque quibusdã, Metium capi iubet. quẽ, quia in fide anceps fuerat, duabus quadrigis alligatum, à concitatis in diuersum equis distrahi iubet. distrahitur, laceratúrque. atque eo die Alba euertitur. Hercules Pyrrhechmen Eubœæ regem Bœotiis bellum inferentem vicit, victúmque equis alligat, qui agitati discerpunt in parteis duas.

Nico & Philomenes Tarentum Annibali noctu prodiderant: sed recepto postea à Fabio Nico, conficitur. Philomenes nusquam inuentus est: vacuus enim paulo pòst, vagánsque per vrbem equus repertus est. Creditum vulgo est, in puteum ex equo præcipitatum.

Dion Syracusanus ob mortem Heraclidis filij, tantum doloris sibi comparauit, qui quum fermè pubescceret, ex parua tristitia puerilique iracundia se præcipitem tecto dederat: vt vltrò iugulum cuicunq; percutere volenti, polliceretur daturum. in hac igitur calamitate constituto, Callipus insidias tendit. eæ, quum notæ essent Dionis mulie-

ribus ad eas clàm venit,& lacrymis proditionem primo tegit,mox postulantibus illis vt magnum præstet iusiurandum, pollicetur. id erat huiusmodi. qui fidem præstat,in Themosphorum descendit templum, & quibusdam peractis sacrificiis,deæ purpuram induit,tum ardentem capiens facem iurat. iis confectis, quum fidem mulieribus fecisset,opportunitatem opperiens,Dionem nihil tale timentem aggreditur,obtruncátque.sed is à nulla Siciliæ ciuitate exceptus, Rhegium occupat: deficientibúsque stipendiis,à Leptino & Polyperconte occiditur.

Xerxes, quum in Thermopylas venisset,atque non inueniretur aditus,Epialtes Græcus Eurydami filius trámitem ostendit,quo iter fecit, atque Græcos qui erant euertit, sed is postea Lacedæmoniorum metu in Thessaliam profugit, qui interemptus est Anticyræ ab Athenade viro Thrachinio.

Stratonice,vna ex Mithridatis pellicibus,siue vxoribus cui arcis curam & notitiam thesauri occulti impenderat,circumeunte adhuc Pontum Mithridate, Pompeio arcem tradidit: thesaurósque prodidit, ea lege, vt si Pompeius filium eius Siphacem cepisset,saluum faceret. Assensit Pompeius. Vt verò Mithridates rem comperit,Siphacem occidit supra portum, matre alio ex littore inspectante necem filij. insepultum quoque abiecit: vtque mulierem torqueret, ita affecit.

Cœlius apud Albanos vir primarius, magistratúsque, quum nesciret quo pacto soluere posset fœdus cum Rom. antea percussum,iubet latrocinia in agro Rom.per Albanos fieri (illo enim putabat modo irritatos reddere Rom.) id quum pro opinione euenisset, atque ipse copias contra Rom. adduxisset, mirabile dictu, circa primam lucem in prætorio inuentus est mortuus:nullis apparentibus causis, non laqueo, non veneno.

Neoptolemus,quum insidias cum Gelone & Myrtilo,Pyrrho Epirotarum regi struxisset,statuisséque veneno illum è medio tollere,apud sororem Cadmiam hilariter de ea coniuratione locutus, auditus est à Phanerete muliere: quæ postridie ad Antigonam Pyrrhi vxorem omnia quum narrasset, vocatum ad cœnam Neoptolemum occidit.

Alexander Protarchi negociatoris filius,ab Antiocho ad Syriam occupandam missus,quum eam deuastasset,cœpit & Antiochum contemnere.sed à copiis quas in illum misit Antiochus, victus occisúsque est.

Artaxerxes, quum Artabacen Medum, qui in prælio ad Cyrum defecerat, ac rursus eo mortuo rebellarat, nactus esset, non proditionis, sed tanquam ignauiæ reum, iussit nudum scortum, impositum cerui-cibus, diem totum in foro circumferre.

Q. Max. Fabius,quot transfugas Romanos nactus est,manu mutilauit,vt metum defectionis aliis incuteret. Scipio deuicta Carthagine,fugitiuos Ro. cruci affixit. Africanus posterior externos transfugas in spectaculis feris obiecit,Paulus Aemilius elephãtis proterẽdos substrauit. Vlpianus lib. 48. Digest. Transfugæ, ait, hac pœna afficiuntur, vt viui exu-

exurantur. item & Paulus. hoc summum supplicium Calistus vocat.

Alcibiades victis Athenensib. fugit ad Pharnabazum, qui pecunia Ab Alexandro Lacedæ.principe accepta necari iussit,allato vt fidem faceret capite ad Alexandrum,reliquum cadauer insepultum iacebat.cui sola, minas crudelissimi hostis aspernata concubina, busta persoluit.

Antonius, quum contra Octauium iuxta Alexandriam strenuè pugnasset,& cum eo miles quidam sternuissimè,illum ad cœnam vocatum Cleopatra aureo thorace aureáque galea donauit.sed is tantis muneribus acceptis, noctu ad Cæsarem transfugit.

Agis iunior hortantibus militibus,vt proditori se committeret:Alieni,inquit,ei fidem habere non debent,qui suorum proditor fuerit.

Nicostratus Argiuorum imperator, quum ab Archidamo multis præmiis pollicitationibúsque ad proditionem tentaretur, respondit: Archidame, te ab Hercule genus non ducere apparet: Hercules enim circumiens malos pœna affecit. Archidamus verò eos qui sunt probi, malis afficit.

Pisistratus factiosus Athenis, illatis sibi ipsi vulneribus, curru delatus descendit in forum, dicens, ab inimicis se illa perpessum. sed ad eum profectus Solon: Non, inquit, ô fili Hippocratis, Homericum Vlyssem assimulas. Eis enim ad ciues decipiendos abuteris, quibus ille seipsum cædens, hostem deceperat. De eodem in capite de Simulatione dicemus.

Philippus Alexandrum filium accusauit, quòd largitionibus beneuolentiam Macedonum aucuparetur: quod te malum rationis,inquit, in istam spem induxit, vt eos tibi fideles putares fore, quos pecunia corrupisses?

Cillicon, quum patriam Miletum Prienensibus prodidisset, omnibius odio habitus est. sed huic carnes ementi, manúmque ad lanium extendenti, lanius detestatus manum præcidit, atque addidit, Abhinc ciuitatem prodes nullam. Proditionis damnatus cum aduocato exulet, lex ait: ex Quirunt.

Soranus transfuga oppugnantibus M. Petilio & C. Sulpitio coss. vrbem eius Soram,edocuit qua parte vrbs capi posset,eáque capta passus est sceleratus proditor in conspectu suo ciues occidi. Ausona, Minturnæ, & Vestina ciuibus prodentibus à Rom. captæ. Famosus Iaschenes,qui Olynthum Philippo Macedoni tradidit,Timolaus in Thebarum proditione, Eudicus & Simus in Thessalia. Aristratus in Sycione, Perilaus in Megara. item Daochus, Cyneas, Thrasilaus, Cereida, Hieronymus,Eucampida, Nitis,Telodaus, Niciasseus, Euxitheus. Cleotimus, Aristehimus, Neo & Trasilochus, Epicares, Dinarchus, Phiodorus, Elixus, Theogiton, Onometa, Hipparchus: item notati Brutij, quoniam Lucani rebelles fugitiuósque Brutios vocant, ait Strabo libro 6. item Antiphon Thucididis præceptor,& cum eo Arheptolemus, & Gnomacles: ex Marcellino,infamis Pullus Numitor

Fregellanus, apud Cicer. de Finib.

Parthi quum duce Surina Crasso essent in prælio superiores, veriti ne Romani montes noctu ascenderent, fugámque arriperent, dolis Crassum circumueniunt. Surinas enim quosdam dimittit, qui in Rom. exercitu dicerent, haberi sermones inter Parthorum principes de componendo cum Rom. fœdere, modò Crassus velit, Surinas interim proiecto ante pedes arcu, Crassum cepit vocitare, atque secum de pace agere velle. Crasso neganti, milites Rom. conuiciantur, quòd non auderet cum hoste inermi in colloquium venire, atque magis magísque vrgere. tum Crassus militum tumultum veritus, conuersus ad suos: Octaui, inquit, túque Petroni, cæteríque Rom. necessitatem prospicite, méque meorum militum vi ad hæc coactum esse mihi testes apud deos hominésque estote, dicitéque me non à meis ciuibus proditum, sed hostili fraude deceptum interiisse. atque cum his dictis ad Surinam accedit, comitatus Octauio. interea Parthi ex Græcis oriundi, illi obuiam venere: salutantésque Græcè, hortantur ad colloquia, tum Crassus, si vel minimam, inquit, meæ vitæ rationem duxissem, nunquam profectò me vestris manibus aut fidei credidissem. Duos deinde fratres Roscios præmittit renuntiaturos, quot secum comites Surinas ducat. sed ij capti, atque retenti à Surina sunt. aduentans igitur Surinas: Ecquid, inquit, patiar vt pedes Romanus gradiatur, ego verò equo vehar? atque equum ab Hyrode Crasso missum, adduci iubet infrenem, sed exposcentem Crassum dari sibi equum suum, Parthi vi comprensum equo imposuere, stimulísque equum cœperunt agitare. Octauius vero captis frenis, quoad potuit restitit, donec à Partho occisus est. Crassus verò à quodam Pomaxarte nomine conficitur.

DE PROMISSIS. VII.

PRomissa seruare, boni viri est: sunt tamen adhibendę cautiones. non enim, inquit Cicero, seruanda sunt iis quibus promiseris, inutilia si sint: nec si plus tibi noceant, quàm illi prosint, cui promiseris.

Agesilaus, quum quispiam ad eum sæpius diceret, ὀμωμόκεις, id est, promisisti. per Iouem, inquit, certè promisi, si id iustum est: sin autem iniustum, dixi, non promisi. & quum ille subdidisset, Veruntamen decet reges quicquid annuerint perficere: non magis, inquit, quàm illos qui reges adeunt, petere iusta decet.

Idem, quum inducias per tres menses pactas Tisaphernes non seruasset, oratores ad eum misit, qui agerent gratias illi, quòd vsus periurio deos sibi hosteis reddidisset.

Martialis in Caium.

Si donare vocas promittere, non dare Cai:
Vincam te donis muneribúsque tuis.
Accipe Callaicis quicquid fodit Astur in aruis.

Aurea

Aurea quicquid habet diuitis vnda Tagi.
Quicquid Erythræa niger inuenit Indus in alga,
Quicquid & in nidis vnica seruat auis.
Quicquid Agenoreo Tyros improba cogit aheno:
Quicquid habent omnes, accipe quomodo das.

Pompeius quum Gallum transfugam ciuitate Rom. donasset, non sine felle Cicero, ô bellum, inquit, hominem: Gallis ciuitatem promittit alienam, qui nobis nostram non potest reddere.

Scipio minor, quum C. Lælio consulatum petenti suffragaretur, Pompeiúsque qui tibicinis filius putabatur, suffragaturum se esset pollicitus, atque longa expectatione Scipionem frustraretur, (sua enim curabat) indignantibus cæteris quòd delusi essent, Scipio subridens Stultitia, inquit, est nostra, tanquam non homines simus rogaturi. Iamdiu tempus terimus, tibicinem expectantes. Vulgo cæptum dici, Tibicinem expectari in mora.

Chares Athenienſis multis multa promittebat, nihil tamen præstabat, ne quidem quod acceperat ab altero. vnde Charetis promissa vana dicta, Lacones, quum nollent promissis stare, lunæ rationes causabantur, quibus ex obseruatione prohibere simulabant. vnde prouerbium, Lacones lunas. Larus auis multa plumarum copia, carnibus exiguis, pariens vociferatur. quamobrem qui multa pollicentur verbis, re pauca exequuntur, laros parturientes vocamus.

Alcibiades apud Platonem in Sympoſio ait, se, quoties Socrati occurrat, verecundia affici, quia promissa non seruauerit. atque cupere Socratem ob id è vita excedere.

DE POENIS. VIII.

ARtaxerxes Longimanus Xerxis filius, ducibus delinquentibus, has pœnas statuit, vt pro flagellandis corporib. detractæ flagellarentur vestes, & pro depilando capillis capite, tiara deposita depilaretur.

Aurelianus imperator, quum veniens ad Thyanem vrbem, occlusam reperisset, iratus dixisse fertur: canem in hoc oppido non relinquam. sed tum militibus amore prædæ acrius incumbentibus, tum Heraclemone præ timore patriam prodente, vrbs capitur. Heraclemonem ceu proditorem occidi iussit. militibus verò vrbis euersionem pro pollicitis exposcentibus, respondens: canes, inquit, negaui in hac vrbe me relicturum, canes omnes occidite.

Xerxes Sestον Abidónque ponte 7. stadiorum coniunxerat, quo vi tempestatis dirupto, indignatus iussit trecenta Hellespontο verbera infligi, inq; eius pelagus compedum par dimitti, ceu ad vinciēdum fretum. dicitur etiam misisse, qui stygmata Hellespontο inurerent, colaphósque darent, ac dicerent barbara vesanáque verba: ô aqua, ô mare,

dominus tibi hanc irrogat pœnam, quem nihil de te malè meritum læsisti: te tamen Xerxes, velis nolis transmittet.

Agathocles, quum apud eum Ithacenses quererentur, quòd nautæ Siculi ad Ithacam appulsi, pecora aliquot abegissent: vrbanè, Atqui (ait) rex vester (de Vlysse intelligebat) non ouibus modò abactis, sed etiam pastore hic excæcato recessit.

In Plauti Rudente, quum Labrax leno dixisset, Quis viuit mè mortalis miserior? dixissétque Charmides hospes, Ego multo tantò miserior quàm tu Labrax: dicente Labrace, quî? vrbanè Charmides subdit: Quia ego indignus sum, tu dignus qui sies.

Cotys erat in Pœnis nimis asper. accepta igitur ab hospite fictilia eleganter polita, omnia confregit: ne in eum qui aliqua ex illis confregisset, asperius animaduerteret.

Magrij argentarij seruus insimulatus T. Fannij seruum occidisse, tortus asseuerauit. deditus igitur seruus supplicio est. paruo deinde tempore interiecto, seruus de cuius nece fuerat insimulatus, domũ rediit.

Seruus, cui cunctæ familiæ tutelam dominus permiserat, alterius mulierem liberam deperibat. vxor conserua re cognita, adeò excãduit, vt rationes, horrea, cæteráque viri igne consumpserit, séque in puteo cum infantulo ex laqueo pẽsilem fecerit. cæterum rem dominus ægerrimè ferens, seruum arripit, nudat, melléque oblitum arboris ficulneæ carioso stipiti alligat: ibique à formicarum multitudine post longum cruciatum moritur, atque vsque ad ossa expulpatur.

Tyberius imperator inter reliqua cruciatus genera illud etiam reperit, vt larga meri potione per fallaciam oneratos, repentè veratris deligatis, fidicularum simul vrinæque tormento distenderet.

Augustus cohortes si quæ cessissent loco decimauit, ordeóque pauit. centuriones item statione deserta, itidem vt manipulares capitali animaduersione puniuit: alios variis ignominiis affecit, vt nonnumquam decempedes cespitémque portare iuberet.

Modestinus Iureconsultus libro 49. Digest. ait: Pœna militum est castigatio, pecuniaria mulcta, munerum interdictio, militiæ mutatio, gradus deiectio, ignominiosa missio. nam in metallum aut opus metalli non dantur, nec torquentur.

Megabates in circũeundis nauium excubiis offendit, nauẽ Mindiã à nemine custodiri. quã rem indignè ferens, iussit vt satellites inuentũ nauis principem vincirent: Scylaces is dicebatur, qui per foramen, per quod remus extaret affixus est, vt corpus initus esset, caput foris.

Mezentius Ethruscorum rex, virorum corpora cadaueribus aduersis aduersa alligabat, vt singula membra singulis accommodarentur, atq; oribus ora, vt inquit Vergilius. Idẽ etiã faciebat Alboinus imperator.

Scythæ mactatarum pecudum intestinis, visceribus egestis, homines inserebant, vt capitibus tantum eminerent. quóque diutius pœnæ sufficerent, cibo potúque infelicem spiritum prorogabant: donec intus pu-

tus putrefactilania rentur à vermibus.

Persæ damnatos ex vinculis, in regis solio collocabant, regiam vestem indutos, ac sinebant vt biberent, in deliciis que essent cum regum pellicibus, atque per dies aliquot quæ vellent facerent: postea vincientes, flagellantésque suspendebant.

Draco legum lator apud Athenienses nimium tetricarum, rogatus, quamobrem iniurias plurimas ac leues alioqui, capite plectendas statuisset: se parua delicta, inquit, morte digna cẽsere, magnis maiorẽ pœnam inuenire non posse. Celsus libro 48. Digest. Vltimum, ait, supplicium mortem solam interpretamur. Honestiores, inquit in eodem lib. Calistus, fustibus non subiici.

Auidius Cassius primus stipitem grandem octoginta pedum posuit & centum, & summo ad imum damnatos ligauit, ab imoque focum apposuit. incẽsisque aliis, alij fumi cruciatu timoréque necati sunt: Idem etiam multis desertoribus crura incidit, ac poplites, dicens: maius exemplum esse viuentis miserabiliter criminosi, quàm occisi.

Ptolemæus nactus Cleomenem occisum, pelle nudatum iussit corpus appendi.

Leucadiis in Apollinis sacrificio mos est sontẽ quotannis, auertendæ deorũ iræ gratia, de montis specula deiicere. ei applicant pennas, auésque, quibus leuari possit: multique circunstantes, nauiculis cadẽtem excipere nituntur, cõsternatũque extra patrios fines emittũt superstitem.

Pausanias ceruicibus damnatorũ anchoram ferream alligabat, pérque totum diem ludibrio stare iubebat. Qui per audaciam regum placita risui haberet, viginti diebus in Archiuo vinctus cyphone, id est, forreo vinculo, nudus. melle lactéque litus. apibus muscisque pabulo futurus destinabatur.

Alexander Pheræus viuos homines quosdam sepeliebat, quosdamque alios aprorum vrsorumque coriis circundatos, telis ac canibus venaticis lacerandos laniandósque præbebat.

Diomedes Thrax, equis ferocibus ferinisque hospites deuorãdos exponebat: sed victus ab Hercule, deuorandus suis ipsius equis expositus est, vt Perilaus à Phalari tauro æneo inuento suo.

Artaxerxes duabus scaphis inter se congruentibus, hominem includebat, ita vt caput ac pedes duntaxat eminerent, cogebátque hominem ad cibos, stimulis fodiens oculos. vescenti pro potu lac mélq; dabatur, quibus etiam faciẽ conspergebat, vt dein insidentiũ muscarum multitudine obtegeretur, intus vermiculi generarẽtur, qui paulatim corpus corroderent, miserabiliter homo enecaretur. Hoc supplicio affectus est Metrodates, quòd iactarat se Cyrum occidisse, perque decem dies vitam pertulit infelicem.

Parricidæ inclusi in folliculo lupino cum simia, gallo & serpente, in profluentem vicinum vel, in mare abiiciebantur, vt omnibus elementis vel mortui carerent, inquit Cicero, pœnáque culei dicebatur.

Pœnam

Pœnam poëtę claudo pede fingunt. Horat. Raro antecedentem scelestum deserui pede pœna claudo. Plin. libro 2. Pœnásq; maleficiis ali quando seras, occupato deo in tanta mole, nunquam autem irritas esse. Vulcanus claudus Martem est assecutus velocissimum, ait Hom.

Apud Basteranos, extra montiũ confinia, vel vltra flumina eiectos, saxis opprimũt. Apud Aegyptios, articulatim præacutis calamis cæsos iubebant supra spinarum aceruos comburi, maximum inter mortales iudicantes scelus, ei mortem per vim inferre, à quo vitam accepissent.

Solon Rempublicam dicebat contineri præmio ac pœna, vt ait Cicero ad Brutum in Epist. Plato verò ait: Nemo prudens punit, quia peccatum est, sed ne peccetur. reuocari enim præterita non possunt: Ex Seneca, & Platone de Legibus.

Agesilaus in conspiratores contra Rempub. Lacedæmoniorum, sublatis legibus Lycurgi, quæ prohibebant de indemnatis sumi suppliciũ, animaduertit, eáque mox restituit.

Mosaicis legibus, in furto hominis pœna erat mortis. In auro & argento dupli, in boue quincupli, in reliquis iumentis quadrupli. cui non essent ad satis faciendum bona, per sex annos dabatur seruus, cui surripuerat. Draco vtcunq; capite puniuit. Solõ dupli damnauit furem. Ex duodecim tabulis fur nocturnus, aut qui se defendisset, occidebatur. Ex cæteris liber verberabatur, adducebatúrque cui factum esset furtum, seruus verò verberatus, è saxo præcipitabatur. Nunc pœna in quadruplum furti concepti, & ablati in triplum, in non manifestis duplum. apud Aegyptios olim furta erant impunita. Item & apud Lacedæmonios. Sabinus scribit, qui alienam rem attrectauit inuito domino, aut qui tacuerit, furto teneri.

Socrates apud Platonẽ lib. 2. de philosophia: Quinetiam ciuitates, ait, tunc optimè gubernantur, quum iniusti dant pœnas.

Nitocris in nouo supplicij genere commentum, est in cap. de Fratribus.

Facetum illud Luciani in 2. mendaciorum, Cyniram Scinthari filium, comprensum cum Helena quam furatus erat, adductúmque ad Rhadamantum, vinctum esse à verecundis: atq; malua flagellatum, ad impios detrusum.

DE PARASITIS ET scurris. IX.

Rgasilus parasitus in Captiuis Plautinis, quum nunciaturus rem lætam Egioni minitaretur, velle magnis se pœnis afficere eum qui obsistat suo itineri: dixisseréq; post multas minas, continete vos domi, prohibete à vobis vim meam: festiuè Egio, Mira ædepol sunt ni hic in ventrem sumpsit confidentiam. Ve misero illi, cuius cibo iste factus est impensior.

Idem Ergasilus, quum ob optimum nuncium iussisset apparari sibi porcinam, agninam, pullos gallinaceos, pernam, optalmiam, horeum, scombrum, erigonum, cetum, mollemq; caseum: facetè Egio, Nominã di ait istorũ tibi erit magis quàm edundi copia hic apud me Ergasile,

Idem, quum eidem nunciasset, filiũ esse saluum: illéque subdidisset, Abi in malam rem, ludis me? respõdit: Ita me amabit sancta saturitas Egio, itáque suo me condecoret cognomine, vt ego vidi.

Eundem Ergasilum, quum Egio visurus filium, cellarium fecisset, domíq; reliquisset: Dij immortales, ille inquit, vt ego callos detrũcabo tergoribus: quanta pernis pestis veniet, quanta labes larido, quanta sumini absumendo, quanta callo calamitas.

Curculio parasitus missus in Cariam à Phedromo amante, ad pecuniam mutuam ab amico accipiendam: eam quum accepisset, rediensq; lætabundus, quæreret Phedromum. Phedromúsq; anteuertẽs dixisset, Saluum gaudeo te Curculio aduenire, tuã mihi cedo dextram: vbi sunt spes meæ? eloquere obsecro: facetè parasitus ad dapes alludens: Eloquere, ait, te obsecro, vbi sunt meæ? Plautus in Curcul

Planusium, quam Phedromus pecunia à lenone redemerat, quum inuenta esset fortè militis soror, qui eius potiundæ gratia aduenerat, atque in mutua salutatione dixisset Planusium, Frater mi salue, Deos volo bene vortere istam rem nobis: vrbanè Curculio parasitus respondit, Et ego nobis omnibus, tu vt hodie aduenies cœnam des sororiam, hic nuptialem cras dabit. Plaut. ibidem: Parasitus, inquit, Eupolis circa prandii patinæq; tempus amicus est. ex Plaut. in Ad.

Toxillus seruus in Plauti Persa liberam quum deperiret, cuperétque sexcentis illam nummis redimere à Dardalo lenone, nec haberet: parasitum Saturnionem rogat, vt rei prospiceret. postridie factus ille obuiam parasito: Ecquid, inquit, meministi here, qua de re ego tecum mentionem fecerã? Facetè parasitus respondit: Memini, vt murena & congerne calefierent. nam nimio melius appetuntur frigidæ.

Idem eidem parasito, quũ dixisset, Hic leno neq; te nouit, neq; gnatã tuã: festiuè parasitus, Me vt quisquã norit, nisi ille qui præbet cibũ?

Gelasinus parasitus in Plauti Sticho ait, Famem fuisse suspicor matrem mihi. Nam postquam natus sum, satur nunquam fui. quam ego matri meæ refero inuitissimus, quam neq; retulit, ego refero meę matri fami gratiam. nam illa me in aluo menseis gestauit decem: at ego illam in aluo gesto plus annos decem.

Idem Gelasinus, quum domum verreret Panegyris & Dinacij sororum, quæ viros peregrè redeuntes expectabant, nunciasséq; quidam puer aduentare viros, ferréq; secum parasitos, Gelasinus ait: Perij (inquit) miser, atque ille ridiculosissimus, Non sine felle. Gelasinus, reuertam certè hoc quod conuerri modò.

Toxillus idem de quo suprà, quum Saturioni parasito dixisset: ô Saturio, opportunè venisti mihi. vrbanissimè parasitus ait: Mendacium ædepol dicis, & haud te decet: nam esurio venio, non venio saturio.

Alexander Macedo cum patre Philippo apud Dionem loquens: è regia, ait, ciuitate risus incontinentes, aut eorum authores cum dicacitate carpentes, expellere, siue metrici sint, siue non, saltus quoque lasciuos & meretricios in lasciuis saltationibus, decet.

Sarmentus Cæsaris scurra fuit, & Cicerrus Messius Campanus, quorum meminit Horatius libro 1. Sermonum:

Sarmenti pugnam scurræ, Messiq; Cicerri.

Iuuenalis Galbam etiam scurram addit:

Si potes illa pati, quæ nec Sarmentus iniquas
Cæsaris ad mensas, nec vilis Galba tulisset.

Sed de scurris alibi.

Melanthius Alexandri Pheræi parasitus, rogantibus quomodo Alexander occisus esset: Transfixis, inquit lateribus, vsq; ad meum vētrem.

Cypriæ adulatrices, quæ in Syriam quum transfretassent, regū vxoribus dum vehicula vellent conscendere, inclinatæ scalarum vicem exhibebant: ob id scalares cognominatæ.

Himerius adulator, Athenis quendam auarissimum, tanquam liberalissimum, citò vnà cum liberis fame periturum dicebat. T. verò Petronius in Neronem prodigum sordes obiiciebat.

Alexander Macedo Diogeni apud inferos ait, Aristotelem fuisse adulatorem maximum. Vide titulum de Adulatoribus.

DE PECVNIIS. X.

Dionysius senior, quum à Syracusanis pecunias sæpius exigeret, atque illi quererentur inopiam, alias exigi iussit. & bis tērve id fecit. sed quum post pecuniarum exactionem ludentes illos, cauillantésque in foro aspiceret, exactionem quiescere iussit. Nunc enim nihil, inquit, habent quando nos contemnant.

Callicratides nauarchus amicis Lysandri petentibus, vt aliquem ex inimicis concederet, accepturus quinquaginta talēta, quāuis esset pecuniarum egentissimus, noluit. Dicente verò Cleādro, à cōsiliis: At ego quidem accepissem, si tu fuissem: Et ego, inquit, si tu essem.

Diogenes Cynicus rogatus, cur pallens esset aurum: quia multos, inquit, habet insidiatores.

Philippus Macedo dicentibus exploratoribus, castellum quod expugnare nitebatur, esse natura munitiss. neq; adiri posse. An ita difficile accessu esset, interrogauit, vt ne asinus quidem auro onustus adire posset? Meminit Cic. in epistolis ad Atticum. Solomon: Pecuniæ, ait, obediunt omnia. Hesiodus, Aristotelésque pecuniam dicebant animam esse mortalium. Horatius: Et genus & formam regina pecunia donat. Et alibi: Quantum quisque sua nummorum seruat in arca, Tantum habet & fidei. Et alibi: Et ducentis ad se cuncta pecuniæ.

C. Cæsar

C. Cæsar L. Luceium ex competitoribus sibi adiunxit, quòd pecunia polleret, nummósq; suos communi nomine per centurias pronunciaret. Plinius: Aquæ quoque separantur, & ipsa naturæ elementa, pecuniæ vi discreta sunt. Hi niues, illi glaciem potant, pœnásque montium in voluptatem gulæ vertunt.

Aristippus rogatus à Dionysio, ad quid venisset? respondit: Quum sapientia egebam, ad Socratem: nunc pecuniarum egēs, ad te venio. Simonides rogatus, vtrum præstaret diuitias an sapientiam possidere: nescio equidem, inquit: cæterum video sapientes diuitum ianuas frequentare.

Alcamenes Lacedæmonius, rogante aliquo, cur à Messeniis munera non accepisset: quia si accepissem, inquit, cum legibus pacem facere nequirem.

T. Quintius Philopæmeni Achæorum duci multos equites & armatos habenti, pecuniis tamen indigenti, iocabundus dixit, Philopæmenē & manus & crura habere, sed ventrem non habere. alludit ad pecunias, quæ bellorum nerui sunt, quam vis talis esset.

Suadentibus Demadi Athenienſibus, ac iubentibus, vt deductas triremes nautis militibúsq; compleret, quum pecunias nullas haberent: Omnino, inquit Demades, primùm pecuniis opus est.

Anaxander Lacedæmonius Eurycratis filius, rogante quodā quamobrem Lacedæmonij pecunias in publicum non congererent: Ne qui, inquit, custodes illarum sint, corrumpantur.

Martialis in diuitem, qui nescibat fortuna vti:

Quum cathedralitios portet tibi rheda ministros,
Et Libys in longo puluere sudet equus:
Stratáq; non vnas cingant triclinia Baias,
Et Thetis vnguento palleat vncta tuo,
Callida Setini rumpant crystalla trientes,
Dormiat in pluma nec meliore Venus.
Ad nocturna iaces fastosæ limina mœchæ,
Et madet heu lachrymis ianua surda tuis.
Vrere nunc miserum cessant suspiria pectus:
Vis dicam male sit cur tibi Tucca? bene est.

Seruiliorum familia trientem habebat sacrum, cui summa cum cura magnificentiáq; sacra quotannis faciebant. quem ferunt aliàs decreuisse videri, & ex eo aut diminutionem, aut honorem familiæ significari. Ex Plinio 29. lib. verò 34. ait: Seruilia illustris in fastis trientem æreum pascit auro & argento, consumentémque vtrunque.

Idem ait: Vngues resecari nundinis Rom. tacenti, atque à digito indice, multorum pecuniæ religiosum est.

In Ithacensem insulam, quum piratarum nauis esset appulsa, Pyrrhias quidam captiuum senem commiseratus, à piratis redemit. Cæterùm senex Pyrrhiæ suasit, vt cados pice plenos emeret. Id quum fecisset,

cisset:profectis piratis,cados aperit:magnam pecuniam inuenit:quam obrem & seni illi gratias egit,& bouem etiam immolauit.

Antiochus,quum graui tributo à Romanis premeretur, seu inopia pecuniæ compulsus,seu extimulatus auaritia, adhibito exercitu noctu Dodonæi Iouis templum aggreditur,Qua re prodita,concursu incolarum cum omni militia occiditur. Diogenes diuitũ pecuniam arboribus vitibúsq; quæ in præruptis inaccessibilibúsq; locis enascuntur,cõparabat.Earum enim fructus à coruis auibúsque:sic diuitum pecunias ab adulatoribus,meretricibus,lenonibúsque deuorari.

Pecuniæ nullæ sunt apud Hessenios.In tigris alueo oppidum est Babytace,ibi mortalium soli aurum in odio contrahunt.Id defodiunt,ne quo cui sit in vsu. Heroicis temporibus non fuisse pecunias, ostendit Homerus in Iliade.vbi Græci vina permutabãt ære,ferro,coriis,bobus, cæteríq; rebus captiuis. meminit Plin. Omnia, inquit Quintilianus libro 3.Instit.quæ extra nos bona sunt,quæq; hominibus fortè obrigerunt,non ideo laudantur,quòd habuerit quis ea,sed quòd iis honestè sit vsus.nam diuitiæ,potentia & gratia quũ plurimũ viriũ dent in vtranq; partem, certissimum faciunt morum experimentum. aut enim meliores propter hæc,aut peiores sumus.

Traianus imperator exactiones improbans,fiscum dicebat esse veluit lienem,quum eo excrescente reliqui artus tabescerent.Timotheus pecunias sanguinem animámque mortalibus esse dicebat:quibus qui creat,mortuus inter viuos viuit.

Augustus relata ad se magnitudine æris alieni, qua quidam eques Rom.obrutus erat,culcitram emi cubiculare in eius auctione sibi iussit.admirantibus,hanc rationem reddidit:Habenda est adsomnum culcitra,qua ille quum tantum deberet,dormire potuit.

Pecunias olim,sicut hodie, in ædificiorum fundamentis iaci solitas legimus.Pecunias coaceruare aiunt Plutonem inuenisse:quo mihi subit suspicio, vt veteres illas fundamentorum pecunias Plutoni consecrarent. Alij tradunt,Cererem Iasonémq; puerum genuisse, appellatũ Plutonem,qui cultũ vitæ pecuniásque coaceruare, ac in vsus custodire primus monstrauit,quum ante congregandæ ac conseruandæ pecuniæ nulla fuisset cura.Herodotus libro primo ait:Nam Lydi primi,dunta xat eorum hominum quos scimus,nummum aureum argenteúmque ad vtendum percusserunt,ac primi caupones institoréq; fuere. Aleæ tesserarúmque ludum & pilæ inuenerunt. Plin. ait. Romanorum primum Seruium signasse æs:antea rudi vsos, signasseq; nota pecudum, vnde pecunia dicta.sed Columella libro 7.ait, peculium & pecuniam dictam à pecore,quod non solum veteres possederunt, sed adhuc apud quasdam genteis vnum hoc vsurpatur diuitiarum genus. In aliquibus vetustissimis,porci nota signata erat.Phedon Heliensis mensuras pondera & nummum cùm alium,tum argenteum signari docuit,ait Strabo libro 8.Argentum Romæ signatum quinque annis ante primum bellum

bellum Punicum, libræque pondus æri imminutum bello Punico primo,notáque assis dextãtarij æris fuit.Exque altera parte Ianus geminus,ex altera rostrum nauis,in triente & quadrante rates.Notæ argenti fuere bigæ & quadrigæ,inde bigati & quadrigati dicti. Liuius Drusus in tribunatu pleb.octauam partem argento miscuit,qui nunc Victoriatus dicitur,quia victoria signatus est. Aureus nummus percussus est post argentum Romæ annis 70.Numa Pompilius olim nummos scorteos ligneósque pro congiario populo dedit.Donatus suspicatur,pecuniam qua Dido solum ab Hiarba rege Numidarum, vbi Byrsa condita est,emit,fuisse è corio bubulo:atque ob id natus locus fabulæ de tergo taurino. Apud Athenienseis nummus noctua signabatur,cum facie Mineruæ.Apud historicos lego,nummum antiquum signatum ex altera parte Iano gemino,ex altera naui.nummus Persicus sagittarium habebat:nummis Germanorum serra erat nota.Thesei nummus cũ tauro,vel Marathonio,vel de duce,vel de Agricultura intelligẽs,vt homines ad agriculturã alliceret.Træzenorum nummus cum tridente Neptuni.Philippeos nummos à Philippo Macedonum rege dictos,facit vt suspicer Pollio,qui ait in Flauij Claud.vita:Philippeos nostri vultus annuos centum quinquaginta.erant ómnino parui.Anaxilas Rhegiensis victor in Olympicis,Rhegiensium numismatis currum insculpsit,& leporẽ:quòd is primus in Ithacam Siciliámq; leporem apportauit,quum antea ibi non essent.Lycurgus sublatis aureis argenteísque, Lacedæmone ferreos nummos constituit. Sed & consl.complures percusserunt apud Rom.vt in nummis facile est videre.L.Lucullo data est potestas signandi in Peloponneso,qui plurimum Mithridatico bello consumptus est.Imperatorum Rom.nummos omnium vidimus.Apud Peloponnẽses nummus testudine signatus est, ob id Chelo nuncupatus. Athenienſium in nummis fuisse bouem,à Theseo,vt arbitror,institutum,præter noctuam.Licet aliqui dicãt esse Deliorum potius.in diobolis verò illorum erat noctuæ signum,cum Iouis facie.Darici,qui aurei erant,sicut Philippei & Alexandrini dicti non à Dario Xerxis patre,sed ab alio antiquiore,funem habebãt ligno alligatum,& mulas currus trahentes. Corinthiorum nummus pegasum habebat insigne.Byzantiorũ ferreus,vt Spartæ. Dionysius è stanno etiam percussit.Tarentinorum in nummo Taras erat,Neptuni filius,super delphinum vectus.Mitylenæorum Sappho sculptam nummi habebant:Chij Homerum,Asi puerum delphino insidentem: Dardani Gallorum pugnam,Aspẽdij palæstras,Cephallenes equum,Thasij Persen,Argiui murem,

Crœsus Lydorum rex, apud Lucianum lateres aureos Apollini mittebat.Tum Solon rogabat Crœsum,num cœlicolæ auro indigeãt? ostenditque præterea auro esse ferrum melius.ait enim,si Cyrus Lydos aggrediatur,aureósne tu enses an ferreos militibus feceris?

Alcibiadem ob multas opes agrósque superbum,conspicatus ama-

tor eius Socrates,adduxit eum ad tabulam in qua orbis terrarum erat inscriptus.iussit igitur,in tabella Atticam regionem inueniret,quam quum reperisse dixisset, rogauit vt suos agros reperiret.sed dicente illo,nullibi esse: His igitur intumescis,inquit,ô Alcibiades,qui nusquam sunt?

PROSPERA. XI.

ADuersæ res vt homines timidos de gradu facilè deiiciunt,ita secundæ extollunt,inflant:sed concussi mox inconstantis fortunæ ictibus deturbantur, grauioréque longè casus sentiunt,quàm fæliciores successus. Proinde in secundis magis cauendum, quàm in aduersis timendum,ludente sæpe vices hominum fortuna.

Philiopus Macedo,quum multi successus vno sibi die nunciati essent,ô fortuna,inquit,pro tot tantisque bonis exiguo me aliquo malo affice.Idem victis Athenienſibus,non modò non insultauit,sed iussit,ob rerum humanarum conditionẽ,vt puer mane memoraret,Philippe homo es.de Paulo Aemilio & Camillo dictum est.

Epaminundas postridie eius diei quo Cleombrotum vicerat,squalidus,demisso ore tristi vultu,& turbata fronte è tabernaculo processit. Interrogantibus autem amicis nunquid aduersi sibi contigisset:nihil, inquit,verùm immoderatæ lætitiæ, qua heri quàm par erat maiore affectum me esse sentiebam,pœnas à me ipso exigere constitui.

Lucullus,quum ad Cyrenæos venisset,turbatámque Reip.tyrannidibus in optimam formam redegisset,rogatus vt leges cõscriberet, prætermisit:recordatus Platonicæ sententiæ,difficillimum esse Cyrenæos amplissima fortuna soluros legibus contineri.

Seleucus occiso Lysimacho,quem solum se ex Alexandri Magni cohorte,victorúmque victorẽ esse iactaret,diuinúmque non humanum opus egisse affirmaret:post septem menses à Ptolemæo,cuius sororem Lysimachus vxorẽ duxerat,insidiis circumuentus occiditur. Ouidius:

Luxuriant animi rebus plerunque secundis,
Nec facile est æqua commoda mente pati.

Seneca:Quum tibi alludit vitæ prosperitas,tunc te velut in lubrico continebis.Cleones in oratione apud Athenienses:Facilius est propulsare aduersa,quàm tutari secunda.ex Thucydide. Apelles sedentẽ fortunam pinxerat:rogatus causam,respondit:quia nunquam stet.

Asdrubalis oratione ad senatum Carthaginensem habita:Rarò,inquit,simul hominibus bonam fortunam,bonámque mentem dari.populum Rom.eo inuictum esse,quòd in secundis rebus sapere & consulere meminerit. Verg.10.

Nescia mens hominis fati,sortísque futuræ,
Et seruare modum rebus sublata secundis.

Alexander cum Philippo colloquens,ait quare maximum virtutis vel

vel vitij signum est,vel continenter prospera,vel aduersa incontinenter ferre. Seneca in Epist.Ita melius in malis sapimus,secunda rectum auferunt.Carneades aduersam fortunam in secunda admonebat.

Achilles apud Homerum:Sic vouerunt Dij miseris mortalibus,vt in mœrore viuendum sit.Duo enim dolia in Iouis limine sidunt,plena munerum,quæ nobis danda constituunt: malorum alterum,alterum bonorum ait.

Caractacus ab Ostorio victus,ductus ad triumphum,vbi tribunali astitit. Si quanta,ait,nobilitas & fortuna mihi fuit,tanta rerum prosperarum moderatio fuisset,amicus potius in hanc vrbem,quàm captus venissem.fuit autem regulus Sylurarum in Britannia.

Eudus & Ebleus amici Persei,ad gratiam in rebus secundis soliti semper loqui,victo à Romanis Perseo,cœperunt in illum insultare,& rerum negligentiam obiicere: quousque ira Perseus percitus,ambos pugione confodit.Plutarchus in libello de Tranquillitate animi ait, aduersa prouisa minus lædere:exemplo Vlysis,qui iuxta lachrymantem vxorem sedens,non lachrymauit:ita enim futurum præuiderat.in canis verò morte fleuisse dictus est.vide titulum de Felicitate.

DE PECCATORVM RATIONE. XII.

PEccatorum exitum infelicem esse,etsi possem pluribus exemplis ostendere,quæ veterum libris continentur:Addam tantum vnum,quod illustris M.Marcellus frater tuus,non minus humanitate & constantia quàm fide conspicuus, mihi retulit.Is enim in bello quod aduersus Gallos ad Lyrim gestum est,quum præfectus militum esset,quispiam è suis miles,quum vnam è suculis duo Antonio dedicatis,quamuis admonitus ne committeret,in Sinuessano suburbio duobus cum comitibus rapuisset,comedisséque,intra duas horas ignibus adeò videbatur cum comitibus vexari,vt re intellecta,quum ad illos accurrisset M.Marcellus,rogitarétq; quid mali paterentur:nihil aliud milites responderunt,quàm vt aquam afferret:rogitantes subinde aquam,atque intra duas horas miserabiliter animas efflasse.Scipio Africanus,quia pecuniâ à Tectosagibus è Delphis ereptam attigerat,putatus est tot pertulisse infortunia.

Martem cum Venere irretitum aspicientes Dij apud Homerum, malefacta(dicebãt)male pereunt.Non videtis vt Vulcanus,quanquam claudus,Martem deorum velocissimum irretiuit?

Agesipolis Cleombroti filius,quum quispiam ei dixisset,ipsum cũ æqualibus obsidem fuisse,filios verò eorúmque vxores minimè:Meritò,inquit.decet enim nostra peccata nos ferre.Lucret.Præteritísque malè peccata admissa remordent.Iosephus:impossibile est,ait,supplicium deuitare posse peccantem.

Claudius imperator,quum orantibus familiaribus dempsisset cui-

dam appositam notam:Litura tamen extet,inquit.

Lamachus quendam decimæ cohortis in errorẽ prolapsum, quum obiurgaret:atque ille dixisset se postea nunquam id esse admissurum, Atqui non est in bello,inquit,bis peccare.

Lacon quidam in dicentem quendam,qui pœnas dabat se inuitum peccasse: facetè,Plectitur(inquit)Lacon etiam inuitus. Omne peccatum est actio,inquit Seneca:omnis actio voluntaria:ergo omne peccatum est voluntarium.

Heminam puerum,quum vndosior fluctus Delphino insidentẽ necauisset,Delphin ad terram reuexit,& veluti fateretur reatum, pœnitentiam suam morte mulctauit.

Crœsi abauus,quum esset Heraclidarum satelles, muliebri dolo inductus,dominum interemit,illiúsque dignitate potitus est,nihil ad ipsum spectante,quamobrẽ Crœsus quintæ ætatis exactæ crimẽ luit.

Scipio Nasica,quum Paulum Aemilium ad prælium capessendum in Persen perurgeret:subridens Paulus,Si qualis,ait,tu es,iuuenis forem,capesserem,cæterùm multorum qui victi sunt errata docent,prohibéntque ex via contra phalangem instructam dimicare. Vnde prouerbio iactatum est,optimũ esse aliena frui insania.Iuuenalis: Omne animi vitium tanto conspectius in se Crimen habet,quanto maior qui peccat habetur.Plato quum aliena peccata perspiceret,Súmne ego huius similis dicere solebat.

Minutius facti pœnitens,quod Fabium insimulasset,à quo postea sit adiutus,ad commilitones:Boni,ait,sapientísque viri est,si erraueris, in reliquum tempus doctorem se sibi asciscere.mitior,inquit Fabius, solet irrogari pœna verecundiæ.Nam culpam,præsertim depræsam, pertinaciter tueri,culpa altera est.

Agesilaus commiseratus est hostium decem millium fortunã,quos ceciderat.Compulsis multis intra Corinthum,hortãtibúsque amicis vt vrbem oppugnaret,negauit id sibi conuenire: se eum esse dicens, qui ad officium peccantes cogeret,non qui vrbes vastaret.Seneca:Bis peccare,inquit,eum qui peccanti obsequium accommodat.

Alcibiades quum pugno percussisset Hipponicum nobilem,diuitémque Athenienſem,atq; postridie domum illius veniſſet,vbi in conspectum venit,deposita raptim veste,corpus nudum verberandũ obtulit,rogitans vt pro peccato meritas pœnas daret.sed Hipponicus pietate motus,non modò veniam Alcibiadi dedit,sed filiam etiam matrimonio copulauit.

Chremes Terentianus, Simoni in Pamphilum excandescenti,ait: Pro peccato magno paululum supplicij satis est patri.

Demeæ Mitio fratris filium Aeschinem adoptauerat.Is adolescens psaltriam indotatam duxerat,Demea quum Mitioni dixisset,num filij factum placeret?Non,ait,si queam mutare:nunc quum nequeo,æquo animo fero.Ita vita est hominum, quasi quum ludas tesseris,si illud maximè

maximè quod est opus iactu,non cadit:illud quod cecidit fortè id arte corrigas.ex Terent.in Adelph.

Annibal apud Liuium cum Scipione colloquens,optimum quidem ait fuerat patribus nostris,mentem datam à Diis esse,vt & vos Italiæ & nos Africæ imperio contenti essemus.Neq; enim ne nobis quidem Sicilia atq; Sardinia satis digna precia sunt,pro tot classibus,tot exercitibus,tot támque egregiis amissis ducibus:sed præterita magis reprehendi possunt,quàm corrigi.Epicurus dicebat: Qui peccare se nescit, corrigi non vult.

Hippocrates medicorũ princeps,videtur honestissimè fecisse,quòd quosdam errores suos,ne posteri errarent,confessus est.& M. Tullius non dubitauit aliquos libros suos iam editos,aliis postea scriptis ipse damnare,sicut Catullum atque Lucilium.

Thales interrogatus,num homo malè operans deos latêret:Ne cogitans quidem,inquit.Seneca in Epistolis: Nocens,inquit,habuit aliquando latendi fortunam, nunquam fiduciam. Pythagoras dicebat, maiores esse conscientiæ morsus,quàm pœnarum.

Crates impossibile esse dicebat,quenquam inueniri,qui lapsus non sit:sed veluti in malo punico,granum quoque aliquod putrescere.

Aesopus fabulator singulis mortalibus binas ait esse peras:alteram à pectore,in qua aliorum vitia sita essent,dependentem:alteram,in qua nostra ex humeris.Fit nescio quomodo,vt magis in aliis quàm nobis ipsis cernamus,si quid delinquitur,ait Cicero.

Stilphon quum obiectum esset à Metrodoro,quod filiã haberet impudicam:peccatum,inquit, meum est,an filiæ? Aegyptij quum malum quodpiam notare volebant,crocodilum pingebant.

DE POETIS. XIII.

POëticam ne quis putet rem nugatoriam inanémque(vt imperiti appellant)audiat Strabonem,qui ait:Primi poëticam philosophiam quandam esse perhibuêre,posteriores solũ poëtam ipsum sapientem esse asseruerũt. Ante omnes ipsa in medium processit,quam in rebus omnibus sequentes æmulati,metrum tãtum dissoluerunt: hæc ex illis passim.Socrates apud Platon.lib.6.per ænigmata loqui poëtas omnes fermè ait.

Philippus Macedo Alexandro filio ait: Vir præstans & generosus, meo consilio delectari,& animum adhibere poëti debet,non omni, sed optimæ & magnificentissimæ,qualem Homeri solum & Hesiodi scimus.

Idem Alexander in poëtas magna vtebatur liberalitate,vt quum post aliquot annos Archestratus poëta venustissimus,in multa inopia obscuritatéque senescerẽt,quidam ad eum dixisse fertur:At si Alexandri contemporaneus fuisses,in singulos ille tibi versus Cyprum aut Phœnicem daret.

Scapheus comœdus, quum in comœdia versum flagitatorium inseruisset ardens decem talenta dedit.

Idem Alexander ensem Homerúmque tantum capiti supponebat, atque vterque inter tot bella armáque strepentia, nullo non die poëmatis aliquid legebat.

Idem Alexander captis Thebis, Pindari vatis familiæ penatibúsque iussit parci: iussitq; inscribi, Pindari poëtæ domum ne incendite. Pompeius Theophanē Mitylenæum scriptorē rerū suarū, ciuitate donauit.

Gilippus victo Nicia, Athenienſium duce, multos è captiuis Euripidis poëtæ gratia dimisit.

Augustus exametris versibus librum scripsit, item epigrammatum. Domitianus eminentissimus fuit in poëtica, testibus Silio & Martiale: item Hadrianus. Africanus prior Q. Ennij statuam sepulchro suo imponi iussit.

Aegyptij reges Menandrum & classe & per legatos accersiuerunt.

Cratinus in Archilocho, Homerum & Hesiodum sophistas sapientésque vocat. Decius Brutus, templa suis victoriis constructa, Actij carminibus adornari voluit.

Apud Galatas tanti fiunt poëtæ, vt quum extructo exercitu, eductis ensibus, iactisque etiam iaculis, appropinquauerint poëtæ, non solum amici, sed hostes etiam eorum interuentu à pugna conquiescant.

Lysander in omnibus bellis Cherilum poëtam secum habuit. Antilochus mediocria carmina de illo ediderat: Lysander pileum implevit argento.

Diis curæ etiam esse, ostendit exemplum Archilochi poëtæ, cuius interfectores Apollo arguit Delphis. Sophoclem tragici cothurni principem, defunctum sepelire Liber pater iussit. Obsidentibus mœnia Lacedæmoniis, Lysandro eorum rege in quiete sæpius admonito, vt pateretur humari delicias suas, requisiuit rex qui supremum diem Athenis obiisset? nec difficulter ex iis quæ deus significasset, intellexit, pacémque funeri dedit. Pindarum poëtam, vt ait Solinus, Castor, & Pollux è cœnaculo euocarunt: sed Simonidem pro Pindaro reponendum arbitror. Cicero de Oratore: Quum cœnaret, inquit, Cranone in Thessalia, Simonides apud Scopam, fortunatum hominem & nobilem, caniſſétque id carmen quod in eum scripsisset, in quo multa ornandi causa poëtarum more in Castorem scripta & Pollucem fuissent: animis illum sordidè Simonidi dixisse, se dimidium eius ei quod pactus esset pro illo carmine daturum, reliquum à suis Tyndaridis, quos æquè laudasset, peteret, si ei videretur. Paulo pòst esse ferunt nunciatum Simonidi, vt prodiret, iuuenes stare ad ianuam duos quosdam, qui eum magnopere vocarent. surrexisse illum ipsum, prodiisse, vidisse neminem, hoc interim spacio conclaue illud, vbi epularetur Scopas, concidisse. Ea ruina ipsum oppressum, cum suis interijsse. De hoc Simonide in capite de Beneficiis est etiam dictum. Plato de Legibus: Diuinum enim, ait,

ait, poëtarum genus est: diis agitur, & sacros concinit hymnos.

Philosophi poëticæ studiosi, vt à principe illorum exordiar: Socrates, Plato, Aristoteles. Plato epigrammata, Aristoteles Xerxis transitum, Xenophanes elegias iambos Archilaus epigrammata: Anaxagoras librum edidit, primus Homeri poëma dixit de virtute & institia esse compositum. Menedemus, Timon Epicurus, Crantor.

Iulius apud Tacitum libro secundo de poëtica ait: deinde apud illos Diis genitos, sacrósque reges in terris neminem causidicorum, sed Orphea & Linum, & si introspicere altius velis, Apollinem. Testis ipse Populus, qui auditis Vergilij versibus in theatro surrexit vniuersus, & forte præsentem spectantémque Vergilium veneratus est.

Darij regis vnguentorum scrinio capto, quod erat auro gemmísque ac margaritis preciosum: Hercule, Alexander inquit, librorum Homeri custodiæ detur, vt preciosissimum humani animi opus quàm maximè diuiti ope seruaretur. Martius & Publius vates, futura cecinerunt. apud Græcos Melampus. Sed vide in cap. de Vatibus.

Archidamus Agesilai filius, Periandro medicinæ artis claro, malatamen poëmata scribenti: quidam, inquit, ô Periander, pro gratioso medico malus poëta vocari affectas? Mali poëtæ apud Verg. & Hor. Meuius & Bauius, apud Iuuenalem Codrus.

Martialis in Ligurinum malum poëtam:

Occurrit tibi nemo quòd libenter,
Quòd quacunque venis, fuga est, & ingens
Circa te Ligurine solitudo,
Quid sit, scire cupis? nimis poëta es.
Hoc valde vitium est periculosum.
Non tigris, catulis citata raptis,
Non dipsas medio perusta sole,
Nec sic scorpius improbus timetur.
Nam tantos rogo quis ferat labores?
Et stanti legis, & legis sedenti.
Currenti legis, & legis cacanti.
In thermas fugio, sonas ad aurem.
Piscinam peto, non licet natare.
Ad cœnam propero, tenes euntem:
Ad cœnam venio, fugas sedentem.
Lassus dormio, suscitas iacentem.
Vis quantum facias mali videre?
Vir iustus, probus, innocens, timeris.

Boëtius poëta carmen in laudem Antonij ob victoriam in Philippicis partam edidit. & quia extempore diceret, charus Antonio factus, & in gymnasiarchæ locum constitutus est, omnes gymnasij impensæ sibi creditæ sunt: sed is deprehensus, quòd præter cætera oleum surripuisset, accusatus est. qui quum dixisset apud Antonium, ita te ego ce-

lebraui, quemadmodum Homerus Achillem Vlissémque, quare iniquum est perpeti me calumniis agi: excipiens accusator, at Homerus, inquit, oleum Agamemnoni non furabatur, nec Achilli.

Martialis in Ponticum:

Quid censes, inquis, de nostris Marce libellis,
Sic me sollicitus Pontice sæpe rogas?
Admiror, stupeo, nihil est disertius illis
Ipse tuo cedet Regulus ingenio.
Hoc sentis, inquis, faciat tibi sic bene Cæsar:
Sic Capitolinus Iuppiter, immo tibi.

Idem in Fidentinum:

Quem recitas, meus est, ô Fidentine, libellus:
Sed malè quum recitas, incipit esse tuus.

Pacuuius Acteam tragœdiam, quam Actius ediderat, quum apud Tarentum pro sua legeret, dicerétque esse quæ scripserat grandia: sed dura paulum & acerbiora: ita est, inquit Actius, vti dicis, neque sanè me pœnitet: meliora enim spero quæ deinceps scribam. Nam quod in pomis est, itidem, inquit, aiunt esse in ingeniis: quæ dura & acerba nascuntur, pòstfiunt mitia & iucunda.

Sylla quum quispiam poëta majus libellum de populo subiecisset, quod epigramma in eum fecisset, tantum alternis versibus longiusculum: statim ex iis rebus, quas tunc vendebat, iussit ei præmium tribui: ea conditione, ne quid postea scriberet.

Philoxenus poëta, quum lateritios operarios, suos versus malè canentes reperisset, lateres illorum cœpit conculcare, ac dicere: Vos mea corrumpitis, ego vestra dissipabo.

Idem coniectus in latomias à Dionysio, quia tragœdiam iussus ab illo emendare, à principio vsque ad finem vna litura deleuit.

Lycambes quum filiam Neobolem Archilocho poëtę matrimonio copulaturum se promisisset, ac tandem denegasset, in illum inuectus poëta, iambica carmina inuenit, quibus adeò est insecutus, vt Lycambes vitam laqueo finierit.

Euripides tragicus, quum apud Alcestidem poëtam, eundémque tragicum conquereretur, quòd eo triduo non vltra tres versus maximo impenso labore producere potuisset: atque ille se centum perfacilè scripsisse gloriaretur: Hoc autem, inquit Euripides, interest, quod tui in triduum tantum, mei verò in omne tempus sufficient.

Poëtæ apud Rom. serius recepti sunt: annis enim ferè post Romam conditam 409. Liuius fabulam dedit, anno ante natum Ennium. Homerus fuit & Hesiodus ante Romam conditam. Archilochus, regnante Romulo. Versum heroicum Pythio oraculo debemus. De poematum origine magna quæstio est. Diod. Musas poëticen inuenisse, permittente Ioue patre, ait.

Socrates apud Platonem in Minoe: Si modò, ait sapitis, diligenter ca

ter cauere debetis, ne poëtam infensum habeatis: poëtæ quippe vim maximam in vtranque partem, & ad laudandum & ad vituperandum habent.

DE PEREGRINATIONE. XIIII.

DVo Arcades familiares, vnà iter facientes, Megaram venerunt: alter ad cauponem diuertit, ad hospitem alter. qui vt cœnati quieuerunt, concubia nocte visum est in somnis, ei qui erat in hospitio, illum alterũ orare, vt subueniret, quòd sibi à caupone interitus pararetur. eum primò perterritum somnio, surrexisse. Deinde quum se collegisset, idq; visum pro nihilo habendum esse duxisset, recubuisse: tum ei dormienti, eundem illum visum esse rogare, vt quoniã sibi viuo non subueniisset, mortem suam ne inultam esse pateretur: se interfectum, in plaustrum à caupone esse coniectum, & suprà stercus iniectum: petere, vt mane ad portam adesset, priusquam plaustrum exiret. id quum fecisset, manéque à bubulco quæsisset, quid esset in plaustro? illum perterritum fugisse, mortuum erutum, cauponem re patefacta pœnas dedisse.

Quum quispiam vitandorum gratia vitiorum peregrinatus esset, nihilque profecisset, post reditum Socratem rogauit, cur ita euenerit: quoniam, inquit Socrates, eadem causa te peremit, quæ expulit. Horat.

Cœlum non animum mutant qui trans mare currunt.

Pausanias Plistonactis filius, quum Lacedæmonios Tegeæ, vbi exulabat, laudaret, atque quidam dixisset, cur igitur Spartæ non manebas? Quia, inquit, non apud sanos, sed vbi sunt ægroti, medici versari consueuerunt.

In Syria angues, dormientes Syros ne lacesiti quidem attingunt: alios verò aduenas exanimantes: contrà in Aletenio Cariæ monte à scorpionibus hospites non lædi, indigenas interimi. Diomedeæ aues in Diomedæa sinus Adriatici insula, quam Tremetam vulgo hodie vocant, Græcis aduenientibus blanditæ, alios infestant.

Archita Tarentinus, dum peregrinus multa per loca literas discendi gratia peragraret, captus à pyratis est, ac tyranno venditus.

Marcus quidam Syrus apud Hieronymum ait, coactum se à patre ad nuptias, monachum esse maluisse, heremúmque petiisse: ibique multos quum annos degusisset, tandem quia matris suorúmque cupido incesserat, inuitus sociis, ac penè retinentibus abiit. sed captus à Saracenis, ad oues custodiendas seruus appositus, vxorem sibi traditam conseruam, pudicitia mira vsus, nunquam tetigit: amauit tamen vnicè ceu sororem. sed quum ad fugam se appararent, duobus hircis occisis, vtres secum & carnes vehunt, atque in transitu fluuij vtribus vento plenis vsi, ad ripam incolumes euaserunt. post tertium diem duos camelos sequentes aspexerunt, rati (id quod erat) dominum esse in speeum se abdiderunt. venit igitur dominus, & cum eo seruus: qui quum

ad spelunce ostium progressus esset, expectante foris domino cum ense stricto, ad necem que parato, vocitassétque illos, ecce leo seruum aggreditur, dilaniátque: venit dominus, à feráque repellitur. ac tandem decimo die ad castra Romanorum incolumes venerunt.

DE PAEDICATIONE. XV.

Paedicationis inuentorem Thamyram asserunt: dissimilem Thamiræ nostri temporis viro doctiss. bonóque, eam Græci diligentissimè excoluerunt: quos etiam aliquot è Latinis imitati sunt. sed ad fugiendum, non discendum detestabile vitium ponemus exempla.

Iulius Cæsar facetissimè vitium in Mumio taxauit, qui in campo Martio diuisoris ait nomen, vt Neoptolemus ad Troiam, es assecutus: id est, puerorũ corruptoris. Diuisores dicebãtur etiã curiarũ magistri.

Martialis vrbanè taxat Carisianum pathicum qui volebat videri pædico.

Multis iam Lupe posse se diebus Pædicare negat Carisianus. Causam quomodo quærerent sodales, Ventrem dixit habere se solutum.

Nero Sporum puerum, Augustarum ornamentis excultum, lectícáque vectum, & circa conuentus mercatúsque Græciæ, ac mox Romæ circa Sigillaria comitatus est, identidem exosculans: sed parem vitæ exitum habuit, nullo inuento, neque amico, mortem sibi consciscendo.

L. Quintius Flaminius, T. Quintij frater, Philippum Pœnum nobile scortum quem adamabat, Roma in Galliam secum adduxerat. Eum puerum per lasciuiam cauillatum aiunt exprobrasse consuli, quod sub ipsum gladiatorum spectaculum abductus Roma esset. At consul vt vino incaluit, vis tu inquit, quoniam gladiatorum spectaculum reliquisse questus es Gallũ hunc (nobilis enim illic aderat Boius) morientem aspicere? quum puer annuisset, consul statim arrepto gladio, loquenti Gallo caput percutit. Deinde fugienti, fidémque Romani populi imploranti, latus transfixit. ex Liuio. Florus Penium vocat. Valerius Antias mulierem fuisse ait: vt est in capite de Amore. Cæterum hic Flaminius à Catone censore taxatus eiectúsque est.

Hipparchus Pisistrati Atheniẽsium tyranni filius, quum Armodium quendam forma præcellentem, quem Aristogon amabat, habebátque in deliciis, de stupro sollicitasset: Armodius rem ad amatorem detulit. qui quum frustra Armodium ad conspirationem sæpe sollicitasset, illius sororem à pompa sacrorum tanquam indignum religione summouit. Atque ita sollicitatus conspirat, factóque impetu tyrannum occidunt: sed ipsi statim confodiuntur.

Pausanias Macedo primis pubertatis annis stuprum per iniuriam passus ab Attalo, cuius sororem Philippus duxerat, pulsa ob stupri suspicionem Olympiade, quum sæpe ad Philippum iniuriam detulisset, expos

poscerétque Attalum ad pœnas, variisque se frustrationibus lusum irrisúmque videret, Attalúmque insuper ducatu cerneret honoratum, iras in Philippũ conuertit. Eo igitur die, quo Cleopatræ Alexandri Epiri regis filiæ nuptias celebrat, occupatũ angustiis in transitu obtrũcat.

Demetrius, quum puerum famosissimum Democlem, qui ob venustatem Pulchri cognomentum tum comparauerat, neque precibus, neque minis potuisset vnquam in concubitum pellicere, intrantem in balneum conspicatus, illò accedit: vim parat. At ille iniuriam fugiens, in feruentem balnei aquam se iniicit, tyrannicámque libidinem voluntaria morte vitauit.

Cornelius Gallus prætorius, & T. Aetherius eques Rom. inter vsum puerilis veneris animam efflarunt, Pompeius Claudij gener in concubitu dilecti adolescentis obiit: Plinius ait, sua tempestate duos equestris ordinis obiisse in eodem Pantomimo mythico forma excellenti.

Alexander Macero Philoxeno classis præfecto, eximia facie pueros emere volenti vociferans, æquales rogauit, quidnam olim tam obscœnum de se Philoxenus animaduertisset, vt hæc illi probra compararet.

Diogenes Cynicus puero ostentanti sibi gladium quem ab amatore acceperat, facetissimè: Gladius, inquit, pulcher est, capulus verò fœdus.

Romanorum militum præfectus quidam, quum Damonem Cheronensem adolescentulum immodestius arderet, renuenti vim parat: Damon illum sacrificantem cum sedecim complicibus adortus conficit, cúmque eo omnes qui aderant Romanos. Lucullus verò copias illa dẽs, audita Rom. cęde signa firmauit. re intellecta, insõti vrbi pepercit.

Antigonus, quum Demetrium ægrotantem accessisset, formosum puerum propè illius ostium offendit. ingresso deinde thalamum, manúque venam tangente, febris, inquit Demetrius, vt mihi videtur paulo antè abiit certè inquit Antigonus. puerum enim prope ostium modò offendi.

Polemon Athenienſis philosophus ab vxore accusatus, quòd cum pueris congrederetur, iudicium fugit.

Orpheus, quum Thracibus suasisset, vt amorem in mares, spretis mulieribus conuerterent, à Ciconibus mulieribus impetu facto discerptus est.

C. Lucius Marij ex sorore nepos, constitutus in ordine principatus, Trebonium adolescentem, qui cum eo militabat, ardebat. diu reluctantem, tandem per ministrum noctu adolescentem accersit. is vt vim vidit inferri, Lucium confodit. sed accusatus apud Marium, quum constaret causæ turpitudo, & laudatus est, & ob fortitudinem corona donatus ex Plutar. Cicero pro Milone, Lucium tribunum militum appellat, Mariſque propinquum.

Capitolinus, quum in amorem Marcelli, Marcelli collegæ filij, incidisset: repulsus à puero, non destitit Marcellus, sed ex filij querelis rem lenatui nunciat. Capitolinus inficiatur: cuius rei quum nullus testis affuisset,

affuisset,acciri ad se puerum, visum est patribus.eius producti, quum ruborem simul & lachrymas,& perpetuæ iracundiæ pudorem immixtum animaduerterent,nullo alio indicio expectato, Capitolinum multa pecuniaria puniendum decernunt:qua vas argenteum comparatũ, Marcellus deorum ministerio dedicauit.Vlpianus lib. 47. Digest. ait: Siquis tam feminam quàm masculum, siue ingenuos, siue libertinos, impudicos facere attentauerit,iniuriarum tenebitur.

Vliaci & Thebæi impudentis coitus olim in masculos studiosissimi fuere:quod scelus tantum valuit aliquando apud Græcos,vt etiam Diis suis masculorum concubitum applicarent.

Albinus imperator semper mulierarius, auersæ Veneris semper ignarus & inimicus.Alcibiades amatorem quendam fustibus cecidit.

Heliogabalus imperator,per cũcta caua corporis libidinem expertus,emissarios habebat,qui bene nasatos,id est, mentulatiores exquireret.Lauacrum publicum in ædibus fecit, vt eos illo modo discerneret.diligentérq; cautum est, vt ex tota penitus vrbe atque ex nauticis monobolos quærerent(sic eos appellabat viriliores) In conuiuiis exoletos maximè iuxta se ponebat:eorúmq; attrectatione & tactu præcipuè gaudebat.sed is post tot scelera in latrina,ad quam confugerat, facto impetu occisus est,pœnásque sceleris consortes pertulit.

Tiberius imperator in sacrificando ministri facie captus, acerram præferentis,cohibere furorem nequiuit.itaq; penè vix re diuina peracta,ibidem statim seductum constuprauit.

Commodus imperator, non contentus tercentum habere concubinas,trecentos etiam exoletos puberes habuit, atq; in deliciis homines verendorum vtriusque sexus nomine appellatos.sed tandem à Q.Aelio Læto & Martia concubina strangulatur.

Sergius Galba imperator in mares pronior,& eos non nisi pręduros exoletósque volebat.Ferebant in Hispania Eticellum,è veteribus concubinis de Neronis exitu nunciantem, non modo arctissimis osculis palàm exceptum ab eo:sed,vt sine mora velleretur, ornatúmq; atque seductum.

Alexander quum venaretur aliquando,atque aper qui ad eum tendebat,ab Hemolao occisus esset,ita excanduit,vt adolescentulum spectantibus pueris verberari,eíq; adimi iusserit. Cęterum Hemolaus cõquestus apud Sostratum amatorem, in Alexandrum conspirat. Postridie Epimenes Charicli amatori rem nunciat, ac tandem ad Alexandrum res delata est,sumptæque de coniuratis pœnæ sunt.

Q.Catullus Roscium dilexit, in quem illud est eius: Constiteram exoriente aurora salutans,Quum subitò è læua Roscius exoritur.Pace mihi liceat cœlestes dicere vestra,Mortalis visus est pulchrior esse deo.

Hostius princeps quidam obscœnitatis vsque in scenam productæ, tam virorũ quàm fœminarũ auidus, speculáq; fecit in quibus imagines multo maiores veris reddebãtur, ita vt digitus brachij mensuram & crassitudinem & longitudinem excederet:vt quum virum ipse pateretur,falsa membri magnitudine tanquam vera gauderet,in omnibús que balneis delectũ agebat,apertáque mensura legebat viros, ingerebátq; etiam non in os tantum,sed in oculos quoque. hunc confossum à seruis constat.

Periander Ambraciæ tyrannus, quum in potu puero quem amabat dixisset,Num adhuc ex illo cõcepisset.ab indignato puero insidiis circumuentus est.

Adolescens è Messena Arcadiæ vrbe Romam studiendi gratia à patre missus,amanti Domitiano quum noluisset copiam facere,in carcerem est coniectus, vbi Apollonius Tyaneus erat. quem quum oppidò quàm tristem conspexisset,rogauit tristitiæ causam.atque ille.imperator,inquit me male vidit.excipiens facetè Apollonius:dic,inquit, num te ceruleis esse Domitianus putauit oculis,quum nigros habeas?aut naso obtorto,quum habeas rectum?

Cælius Plotius fœnerator,T.Veturium nexum ob graue æs sibi datum,stuprare voluit,negantem verberibus affecit: sed ipse rem ad senatum detulit,in carcerémq; Plotius coniectus est.

C.Cornelius quater primipilus,quum adolescentem stuprasset,à C. Fescennio triumuiro in carcere mori coactus est.M.Lectorius tribunus militaris accusatus à Comminio trib.pleb.quòd Cornicularium suum de stupro interpellasset,iudicium fugit.sed mox mortẽ sibi conscíuit.

Puellæ duæ in agris educatæ venustate non contemnenda, cùm sæpius inter se disceptassent vtra esset natibus præstantioribus, tandem placuit vrbano adolescenti iudicium deferre. is vtriúsq; natibus inspectis,formosiores esse in grandiore natu,quam ducit vxorem,iudicauit: altera fratri copulata,atque ibi templum Veneri constructum est, quę Callipygos,id est,insignium natium dicta est.

Hyacinthus puer ab Apolline Zephyróq; amatus;quum ad Apollinem inclinaret,iratus est Zephyrus.iaciente autem discum Apolline, Zephyrus nocendi occasionem nactus,discum in puerum flatu cõuertit.vnde occisus in hyacinthum florem ab Apolline conuertitur.

Pausanias Argilum puerum adamauit,potitúsq; est.sed à patre tandem occiditur,vt dictum est.

Celtæ,qui capta vrbe Græciam inuaserunt, Gallogræci postea nuncupati,quãuis venustas mulieres haberent, ad mares tamen erãt propensiores.Infamis est apud Verg.Cydon,amans Clytium puerum.

Famosi prædicatione Bœotij,à Xenoph.traduntur. Infames Cretenses,qui primi apud Græcos eam excoluerunt, à quo cæteri Græci sunt mutuati.

Adolescentes duo,quum mutuo amore inter se cõflagare cœpissent, atque inter sese dissuauiarentur,erepta potiundi occasione, ex iis alter inter oscula ait:ò vtinam. tunc vrbanior ex ijs:ò vtinam,inquit,nunc.

Zanabon quidam nuper, quum muliere potiretur, non videbatur suis

suis voluptatibus feciſſe ſatis, niſi præpoſtero mulieris concubitu etiã potiretur. ad quem quum inuitam ac penè reluctantem coëgiſſet: tum pudore, tum dolore concita mulier, arrepto clàm cultello conuerſis poſt terga manibus, virilia amatori præcidit. Hanc rem feſtiuiſsimus quidam hoc diſticho proſecutus eſt:

Infœlix Zanabon Veneris dum gaudia tentat,
Trunca ſibi gladio mentula tota fuit.

PAR PARI REFERRE. XVI.

MArcus Pinarius quum legem ferret Annalem, diſſuaſor interceſſorque M. Seruilius, Dic mihi, inquit, Pinari: num ſi contrà dixero, mihi maledicturus es, vt cæteris feciſti? facetè Pinarius: Vt ſementem feceris ita metes, inquit.

Naſica, quum ad poëtæ Ennij portam veniſſet, ei ab oſtio quærenti Ennium, ancillam, dixiſſe aiunt, domi non eſſe. Naſica ſentit illam domini iuſſu id dixiſſe: illúmque intus eſſe. Paucis verò pòſt diebus, quum ad Naſicam veniſſet Ennius, eúmque à ianua quæreret: exclamat Naſica, ſe domi non eſſe. tum Ennius: Quid ego non cognoſco vocem tuam? Hic Naſica, Homo es impudens. ego, quum te quærerem, ancillæ tuæ credidi te domi non eſſe: tu mihi non credis ipſi?

Demetrius, quum bello nauali Ptolemæum viciſſet, miſit ad patrẽ Antigonum, quendam Ariſtodemum Mileſium, ad nuncium referendum. qui relicta in anchoris naue, ſcapha in portum delatus, multis quid noui afferret rogantibus, ſemper non ſine magna Antigoni ſollicitudine conticuit. ingreſſus regiam, porrigens Antigono dextrã, alta voce inclamauit: Salue rex Antigone, Pugna nauali regem vicimus Ptolemæum, Cyprumq; tenemus. exhilaratus Antigonus, & tu per Iouem, inquit, ſalue: ſic enim nos torquere voluiſti Mileſie. Par profectò referam pari: ſero enim præmio donaberis.

Laberius Mimus in ſenatum à Cæſare aſcitus, quum à Cicerone ad conſeſſum non reciperetur, dicente, reciperem te niſi anguſtè ſederemus: nimis mordaciter reſpondit, Atqui ſolebas duabus ſellis ſedere. obiiciens Ciceroni lubricum fidei. Sed id quod Cicero dixit, niſi anguſtè ſederemus, ſcomma fuit in Cæſarẽ, qui in ſenatu paſsim tam multos admittebat vt 14. gradus non caperent.

Ptolemæo cœnãte, quum vnà cœnaret Hircanus, Ioſippi filius, miſſus à patre ad congratulandum Ptolemæo, ob filij natiuitatem, proiicientibus omnibus de induſtria conuiuis oſſa ante illius pedes, Trifon ſcurra, Rex, inquit, omnia Hircano antepoſita oſſa eſſe, ex his coniice, patrem eius omnem Syriam denudaſſe. Ridente rege, & interrogante Hircanum, cur tot oſſa ante ſe haberet? reſpondit: Nam canes ſemper oſſa cum carnibus deuorant: homines verò carnes comedunt, oſſa

oſſa iaciunt.

Philippo reſponſuro Alex. Aetolo, Phaneas violenter interfatus eſt. is Philippum orauerat, vt Græcia excederet, quia milites vaſtarent oppida. Nam non in verbis rem verti ait: aut bello vincendum, aut melioribus parendum eſſe: Apparet id quidem, inquit Philippus, etiam cæco. iocatus in oculorum valetudinem Phaneæ.

Veſpaſianus imperator orto iurgio inter ſenatorem equitémque Rom. pronunciauit non oportere maledici ſenatoribus, remaledici ciuile faſq; eſſe.

Cicero, quum ad Pompeium veniſſet, eſſetque ab illo interrogatus, vbinam Piſonem generum reliquiſſet: vrbaniſsimè, Apud tuum ſocerum, reſpondit.

C. Marius ciuili bello foſſa circundatus obſidebatur. Dicente illi Pompeio Silone: Magnus ſi es imperator ô Mari, deſcende in certamen. Tu igitur, inquit ſi magnus es imperator, coge me vel inuitũ decernere. Plut. Apophth. vbi corruptè Pompeium pro Popedium legitur. Popedij iſtius Silonis meminit idem Plut. in Mario, & Florus.

Plato intuitus Diogenem Cynicum olera lauantem, accedens ad illum tacitè dixit: Si Dionyſio obſecutus eſſes, olera profectò non lauares. Et tu, ait ille ſi lauares olera, Dionyſio non eſſe obſecutus.

Tracallus dicenti Suellio, ſi hoc ita eſt, in exilium is: feſtiuè ſubdit, Si non eſt ita, redis.

Diogenes grammaticus diſputare ſabbatis Rhodi ſolitus, Tyberiũ venientem vt ſe extra ordinem audiret, nõ admiſerat: ac per ſeruulum ſuum in ſeptimum diem diſtulerat. ſed hunc poſtea Romam profectum, ante fores ſalutandi eius cauſa aſtantem, nihil amplius quàm vt poſt ſeptimum annum rediret, admonuit.

Midia colaphis Diogenem Cynicum cædente, ac dicente, tria milia tibi in menſa poſita ſunt: poſtridie Diogenes ſumpto pugilum cæſtu, cædens Midiam, tria milia, dixit, tibi in menſa poſita ſunt.

Xenæneti ciuibus ſuis fugam in bello exprobrantibus, reſpondit: At vobiſcum lepidiſsima capita aufugi.

Demoſthenes dicenti cui lam illi, ſi odio me pari homines quò te inſectarentur, ſuſpendio me perimerem: At ego me, inquit, perimerem, ſi me quemadmodum te amarent.

In legibus Moſaicis, qui oculum alteri eruiſſet, illi & ſuus eruebatur, niſi pecuniam accipere vellet. item ſi bos bouem percuſſerat, & qui mortuus erat, & qui viuus, vendi iubebatur, amborúmque precium diſtribuebatur inter dominos.

Pœna talionis à Romanis damnata eſt, quia non poſſet ſeruari par modus in retribuendo vulnere, verbi cauſa, quiſpiam luſco oculũ eruit, talio oculum pro oculo erui iubebat. luſcus querebatur, omne lumen ademptum, alteri vſum videndi etiam relictum. Charondas ideo apud Thurios duos oculos erui iubebat illi, qui vnum oculũ luſco eruiſſet, quia

quia pariter ambo lumine priuarentur.

Tarquinienſes,quia in foro Romanos captiuos immolaſſent, victi à Rom. alij in victoria cæſi.miſsi 349. è nobiliſsimis Romam, vulgus aliud trucidatum:nec populus in eos qui miſsi Romam fuerant mitior fuit,medio in foro omnes virgis cæſi,ac ſecuri percuſsi ſunt.

Diogeni Cynico,quum inter cœnandum oſſa quidam vt cani iactarent,ille propius accedens,mingebat vt canis.

Medorũ rex,quũ ad Brachmanas philoſophos Indos acceſsiſſet, eſſetq; ibi Apollonius Tyaneus,præter cætera inepta quæ rex dixerat,dixit etiam Apollonio: De me verò quiſnam apud Græcos eſt ſermo? idem,inquit Apollonius,qui apud vos de Græcis habetur,Nulla igitur, inquit rex,apud Græcos mentione ſum dignus?At ego, inquit Apollonius,de te nuncium feram,vt in Olympiis te coronent.

Socrates,quum in quendã amicum vehemẽtius eſſet inuectus:nónne præſtabat,inquit Plato, ô Socrates priuatim ſeorſumq; te monuiſſe?& Soc.& tu non feciſſes melius,ſi priuatim ſeorſumq; monuiſſes?

DE PAVPERTATE. XVII.

Scipio minor,contendentibus Seruio Sulpitio & Valerio conſſ. vter eorum eſſet in Hiſpaniam contra Viriatum mittendus,qui de paſtore venator,de venatore latro, de latrone dux exercitus factus,totam Luſitaniam occupauerat.Laborante ex iis altero auaritia,altero paupertate,neutrum patribus cenſuit mittendum:quia alter nihil haberet, alteri nihil ſatis eſſet.Ariſton dicebat paupertatem eſſe lucernam, quæ omnia mala demonſtraret.

Martialis in Cheromontem:

Quid nimium laudas Cheromon Stoice mortem?
Vis animum mirer,ſuſpiciámque tuum?
Hanc tibi virtutem fracta facit vrceus anſa,
Et triſtis nullo qui tepet igne focus.
Et teges atque cimex,& nudi ſponda grabati,
Et breuis arq; eadem nocte diéque toga.
O quàm magnus homo es,qui fece rubentis aceti,
Et ſtipula,& nigro pane carere potes.
Lingonicis agedum tumeat tibi culcitra lanis,
Conſtringátque tuos purpura texta toros.
Dormiat & tecum,qui quum modò Cæcuba miſcet,
Conuiuas roſeo torſerat ore puer.
O quàm tu cupias ter viuere Neſtoris annos,
Et nihil ex illa perdere luce voles.
Rebus in anguſtis facile eſt contemnere vitam:
Fortiter ille facit,qui miſer eſſe poteſt.

Labrax

Labrax leno amiſsis puellis propter inuentos patres,quum dixiſſet Gryppo parentum illarum ſeruo,vt vales?reſpondiſsétque Gryppus, Quid tu medicus quæſo es?facetè Labrax,immo ædepol,ait,vna litera plus ſum quàm medicus.Grippus:Num,ait,mendicus es?reſpondit Labrax:tetigiſti acu.ex Plaut.

Valerius Publicola, Meneniúſque Agrippa,& Ariſtides,tanta paupertate fuerunt,vt impenſa publica funerari eos oportuerit.item Epaminundas,in cuius domo nihil præter veru compertum eſt.Pauper & Aemilius,& M. Manlius.

Catum Aelium,quum Aetolorum legati in conſulatu prandentem fictilibus adiiſſent,miſſa ab iis vaſa argentea non accepiſſe:neq; aliud habuiſſe argenti ad ſupremum vitæ diem,quàm duo pocula,quæ L. Paulus ſocer ob virtutem deuicto Perſeo rege donaſſet,memoriæ proditum eſt.

Anacreon poëta, poſtquam à Polycrate tyranno quinque talentorum acceperat munus,inſomnes duas egit noctes,in cogitatione ſollicitus.mox reddidit ea,dicens:Non tanti ea eſſe,vt tanta cura eſſet ſollicitandus.

Martialis in Neſtorem:

Nec toga,nec focus eſt,nec tritus cimice lectus,
Nec tibi de bibula ſarta palude teges.
Nec puer aut ſenior,nulla eſt ancilla,nec infans:
Nec ſera,nec clauis,nec canis atque calix.
Tu tamen affectas Neſtor dici,atque videri
Pauper,& in populo quæris habere locum.
Mentiris,vanóque tibi blandiris honore:
Non eſt paupertas Neſtor habere nihil.

Lacon mendico petenti,At ſi tibi,ait,dedero,magis mẽdicabis.Callimachus dicebat:inopibus parua etiam dij dant.

Ariſtippo multas opes aſſecuto, quum dixiſſet Socrates,vnde tibi tam multa?vrbanè ille,Et vnde,ait,tibi tam pauca?

Themiſtocles,quum Andrum petiiſſet inſulam cogendæ gratia pecuniæ:Duos,inquit,ad vos ô Andrij ago deos,vim ac ſuaſionem.at Andrij duos quoque dixerunt apud eos magnos eſſe deos,Paupertatem & Impoſsibilitatem,à quibus prohibeantur ſe pecunias illi dare.

Paupertas,inquit Apuleius,priſca apud ſæcula omnium ciuitatum conditrix,omnium artium repertrix,omnium pecorum inops,omnis gloriæ munifica,cunctis laudibus apud omnes nationes perfuncta.Eadem enim paupertas in Ariſtide iuſta,in Platone benigna,in Epaminunda ſtrenua,in Socrate ſapiens,in Homero diſerta.Eadem paupertas pop.Rom.imperium à primordio fundauit,próque eo in hodiernum diis immortalibus & catino factili ſacrificat.Lucan.O vitæ tuta facultas Pauperis, anguſtíque lares: ô munera nondum Intellecta deſum.Seneca ad Luc.Non eſt autem vel hoc ob vnum amanda paupertas,

pertas,quod à quibus ameris ostendit.Idémq; de Moribus: Qui paupertatem timet,timendus est.

Erisichthon Thessalus consumptis ópibus ad id inopiæ venit,vt sit coactus Metram filiam prostituere. Græcum est prouerbium, πανχρῆ φιλεῖ δὲ οἰ γνωτῆρες, id est inopi ne parẽtes quidem sunt amici.de hoc Erisichthone in capite de Sacrilegiis.

Tubero adeò tenui patrimonio fuit,vt sedecim viri ex Tuberonum familia omnes simul in vnis ædibus quidẽ modicis cum liberis & coniugibus habitarent,is lectos ligneos,hædinas pro stragulis pelles,& vasa fictilia habebat.Lamachus quoties ab Athenienſibus imperator creabatur,aliquantulum pecuniæ ad pallium crepidásque comparandas sibi opus esse dicebat.

Vitellius adeò pauper fuit,vt exituro viaticum defuerit.M.Portius Cato item.pauperrimus Irus apud Homerum,Codrus apud Iuuenalem,Furius apud Catullum,Leberis pauperrimus.

Pauperes verò, qui volunt diuites videri,Mortui pedentes dicuntur:item Phaniæ ianua.Locus est Martialis in Calpetianum:

Ponuntur semper chrysendeta Calpetiano,
Siue foris,seu quum cœnat in vrbe domi.
Sic etiam in stabulo semper,sic cœnat in agro:
Non habet ergo aliud?non habet immo suum.

Moses legibus sanxit,vt metentes manipulósque colligentes,neque omnem messem excuterent,neque omnes manipulos colligerent:sed relinquerent,vt à pauperibus colligerentur.Idem sanxit & in vitibus, & in oliuis.

Scipionis filiæ ex ærario dotem receperunt,& Aristidis filiæ.Eumæus apud Hom.Vlyssi ait:Non est fas hospitem contẽnere,nam prope Iouem sunt omnes hospites ac pauperes.Iuuen.verò ait:Haud facilè emergunt,quorum virtutibus obstat Res angusta domi.

Martialis:

Est tamen hoc vitium,sed non leue,sit licet vnum,
Quòd cõlit ingratas pauper amicitias.

Sophocles dicebat,nullum deteriorem inimicum paupertate: pauperem enim ad cuncta esse timidum dicebat.

Timon Echecratides Colytteus diuitiis affluẽs,multos habuit amicos,adulatoréſque: sed ob largitionem in inopiam lapso,Gnatonides adulator,de quo ante fuerat benemeritus,laqueum obtulit. Philiades alter adulator,qui duo talenta filiæ dotem antea acceperat, petentem verberauit.Demeas orator ab eo vt se redimeret,16.talenta acceperat, sed egenti postea,petentique,respondit:non nosse illum esse ciuem,sed quum Timon thesauros inuenisset,adulatores duo qui aurum olfecerant,venerũt ad Timonem,& laudibus cœperunt extollere,quos acriter cecidit.venit etiã & Demeas orator,qui præter cætera ait se filium etiam Timonis nomine ad eius gratiam vocauisse.quum verò dixisset Timon,illum vxorem non habere:ducam,inquit,& vocabo tuo de nomine filium Timonem:indignatus Timon,acrius illum cecidit.cæsus etiam & philosophus,qui venerat.

DE PATRONIS ET ADuocatis. XVIII.

GRanius quum patrono malo,qui vocem in dicẽdo obtuderat,suaderet vt mulsum frigidum biberet,simulac domum rediisset:Perdam vocem,id si fecero,quum patronus dixisset, vrbanissimè Granius: Melius est,inquit,quàm rem.

Phocion quum à suis reprehenderetur,quòd hominẽ improbũ in iudicio defendisset:at nemo bonus,inquit,huiusmodi patrocinio indiget.

Figulus iureconsultus,postridie eius diei quo consulatus repulsam acceperat,quum multi ad eum consulendi gratia venissent omnes inconsultos dimisit,dicẽs:Omnes consulere scitis,consulẽ facere nescitis.

Siculus,cui prætor Scipio patronum causæ dabat hospitem suum hominem nobilem,sed admodum stultum: quæso,inquit prætor,aduersario meo da istum patronum,deinde mihi neminem dederis.

Ad defendendos reos præmium duci proximum latrocinio est,ait Fabius.neque verò pudor obstet,quò minus susceptam,quum melior videretur,item,cognita inter discendũ iniquitate dimittat,quum prius litigatori dixerit verum.nam etiam in hoc maximum,si æqui iudices sumus,beneficium est,vt non fallamus vana spe litigantem.

Patronorum origo à Romulo est.Is enim quum patres à plebe diuisisset,ne plebs à patribus improbè afficeretur,sanciuit: vti singuli patronos eligerent qui patrum vicem in illos gererẽt,& illi filiorum in patres:neutri fas erat alterum accusare,nec testimonium aduersus dicere, aut suffragium ferre.quod si secus ab illis factum fuerit,lege proditionis eos teneri:deprensos siquis occiderit,pro pietate erat.Claudius imperator libertos,de quibus patroni quererentur,in seruitutem reuocabat.

Vrbes ac nationes patronos etiam Romanos habebant:vt Syracusani Marcellorum familiam,Puteolani Brutorum,Lacedæmonij Claudiorum,Allobroges Fabium Sangam,Bononienses Antonios,Neapolitani Licinios.Vide titulum de Causidicis.

DE POTENTIA. XIX.

PEnalis apud Aristophanem ab inferis remissus,vaticinatur monétque,non oportere ali leonem in vrbe,sed alto par esse obedire.

Canis aliquando partu grauida,locum à pastore precario in quo pareret,petiit.quo obtento, iterato petiit, vt sibi in eodem loco educare catulos liceret.ad extremum, adultis catulis, fultam dome-

stico præsidio proprietatem loci sibi vendicauit.

Pericles dum vestem manè indueret, semper dicere solebat: attende Pericles, liberi sunt quos regis, Græci sunt atque Athenienses.

Rufus domum ornatissimam iuxta Fuluiam Antonij vxorem possidebat. quam quum illa ab eo emere summopere tẽtasset, neutiquam mulieri morem gessit: in Antoniana verò proscriptione, Rufus quamuis domum dono exhiberet, inter proscriptos tamen delatus est. occiso igitur eo, eiúsque capite ad Antonium relato, id ad se spectare negauit, sed ad vxorem deferri monuit. illa feræ vice ante domum ei cõtiguam iussit appendi.

Amyntas Perdicæ filius, apud Athenienses ait, quippè regis vires supra homines sunt, & manus prælongas habent. quod mutuatus Ouid. ait:

An nescis longas regibus esse manus?

Theophrastus dicebat, idem esse periculum, furioso gladium, & iniquo potestatem tribuere.

Metiochus, quum esset Periclis Athenis tũc florentis amicus, omnia volebat amplecti, in eum igitur ita inuehebantur, Metiochus vias curat, Metiochus exercet pœnarium, Metiochus farinam tractat, Metiochus præest omnibus, Metiochus ergo lugebit. Est & meum in quempiam Metiochum distichon:

Totus, & in toto, per totum, totus, & omnis
Esse omnis dum vis, incipis esse nihil.

Tranesias Clazomenius, vir ad cætera frugi, sed qui volebat cuncta in vrbe per se curari, tacitum propterea contraxerat odium: quod ita deprehendit: quum pueri auiculæ carduelis caput ita confregissent, vt cerebrum excuteretur: vtinam, inquit quispiam, sic caput Tranesiæ affectum esset, audiit fortè Tranesias, ac putauit odium ciuium in se concitatum, quum pueri etiam inuiderẽt. itaque collectis sarcinis, ab vrbe cum vxore comite discesit.

DE PHILOSOPHIA. XX.

CArneades adeò philosophiæ cõtemplationiq; obnoxius erat, vt sæpè cum cibi gratia in mensa recumberet, cogitationibus inhærens, manus ad patinas porrigere obliuisceretur. sed Melissa, quam vxoris loco habebat, manum ei ad cibos aptabat.

Archimedes Syracusanus Geometra, quum Marcelli machinas, Syracusas obsidentis, diu frustratus esset, captis tandem Syracusis, intentus animo, oculis in terram defixis, formas in puluere describebat, interroganti, quisnam esset: militi non respondit, sed protractis manibus in puluere: Noli, inquit, circulum obsecro disturbare. atque ita incognitus à milite obtruncatur, non sine Marcelli mœrore.

Aristippus, Dionysio percontanti, cuius rei gratia philosophi diuitum

tum ad limina sæpe accederent, diuites autem ad philosophorum nunquam, quòd illi sciunt, inquit, quibus indigent: isti nesciunt. Idem per indignationem dicenti cuidam, philosophos diuitum limina semper terere: Et ægrorum, inquit, medici.

Idem Dionysio cur venisset roganti: vt quæ habeo, inquit, impertiar, quæ non habeo, accipiam.

Antisthenes rogatus, quid esset ex philosophia assecutus lucri: Mecum, inquit, colloqui posse.

Idem per forum obsonium calceamentíque aliquid deferebat. admiranti cuidam: noli, inquit, mirari, mihi enim ipse fero hæc, non aliis.

Diogenes Cynicus dicente quodam, cur nihil sciens philosopharetur: Et si, inquit, philosophiam simulo, hoc ipsum philosophari est.

Idem dicenti cuidam, ad philosophiam aptus non sum: quid, inquit, viuis, si vt benè viuas, nulla tibi cura est? Idem quum venderetur, dicente, quid agere sciret, emptore. Scio, inquit, viris imperare.

Idem apricans, venienti Alexandro Magno, ac dicenti, reíne cuiusquam indigeret? respondit: à sole vt recedas. qua in re, quia regium splendorem non fecerit magni, delectatum adeò ferunt Alexandrum, vt ad amicos dixerit: Ego nisi Alexander essem, Diogenes esse vellem. Arrianus, Sinopeium, ait, fuisse Diogenem.

Solon in supremo vitæ die assidentibus amicis, & super aliqua re sermonem habentibus, quum in lecto iaceret, satis iam pressum caput erexisse dicitur. rogatus verò quapropter id fecisset: vt cum istud quicquid est de quo disputatis percepero, emoriar.

Thales Milesius, quum sibi obiectum esset philosophiæ studium, tanquam inutile, per astrologiam oliuarum vbertatem futuram præuidens antequam florerent, in Chio Miletóque futurum prouentum, emit paruo precio: sed vendidit postea oleum magno, magnámq; pecuniam comparauit: faciléque ostendit, philosophos, si vellent, pecuniam posse cumulare. Menander ait, miseros multos fecisse eum, qui artem cibi gratia reperisset: præstabat enim mortem obire, quàm in assidua tristitia versari.

Dionysius iunior, de quo suprà, quum Platonem à se male tractatum dimittere vellet, complura inquit, de nobis Plato & grauissima certe crimina tuis denunciabis æqualibus studiorum sociis. cui subridens ait: Non posse tantam in Academia disciplinarum fieri mendicitatem & inopiam, vt vlli de te commemorare vacet.

Quidam (nam de nomine ambigitur) rogatus, quónã philosophiæ tanta diligentia spectaret, ad pauciſsimos peruenturæ? satis sunt, inquit, mihi pauci, satis est vnus, satis est nullus. Epicurus quum vni ex consortibus studiorum scriberet: Ego non multis, inquit, sed tibi soli scribo. satis enim magnum alter alteri theatrum sumus. Philosophia, inquit Cicero, paucis est contenta iudicibus.

Anaximander Athenienſis ciuibus ſuaſit, vt vrbe exirent: inſtare enim terræmotum, quod euenit, tota vrbe vaſtata.

Diogenes mathematico depictas in tabula ſtellas, quæ errantes dicuntur, oſtentante ac dicente, Hæ ſunt erratiles: excipiens, noli, inquit, amice, mentiri. non hæ errant, ſed hi. digito demonſtrans circunſtantes, ceu tempus in re futili terentes.

Archeſilaus Dialecticos his ſimiles eſſe dicebat, qui latrunculis ludunt, quia iucunde fallerent. Ariſton aranearum telis magni artificij ac nihil vtilitatis.

Pherecides Pythagoræ magiſter, quum vidiſſet hauſtam aquam de iugi puteo, terræmotum dixit inſtare.

Alexander Macedo, cùm quoſdam ſapientes nudos agere vidiſſet, illorum fortitudinem admiratus, cupiebat aliquem ex illis ſecum abducere. cæterum maximus exiis natu, Dandamis ſophiſtarum magiſter princépſque, reſpondit, ſe neque ad Alexandrum venturum, neque paſſurum ex diſcipulis quenquam accedere.

Apud Indos adoleſcens 14. annorum natus, ad Nypaſim fluuium deſcendit, profitetúrque ibi ſe philoſophiæ operam daturum: qui ſi omni crimine turpitudinéque emancipatus inuenitur, admittitur.

Democritus vſu oculorum ſua ſponte ſe priuauit: quia exiſtimaret, cogitationibus commentationibúſque animi oculorum illecebras obeſſe.

Panthydas rogatus à philoſophis, quid ſibi de ſermonibus illis videretur, quos in Academia de grauibus audiſſet rebus: Quid aliud, inquit, quàm quod ſtudioſi, ſed vtiles nihil, niſi vos ipſis vtamini?

Anaxagoras quum relictis omnibus ſuis rebus, ad philoſophiam ſe contuliſſet. poſt longam peregrinationem patriam repetens, agros, prædiáque ſitu obſita quum reperiſſet: Non eſſem ego, inquit, ſaluus, niſi iſta periiſſent.

Zeno Cityæus, quum mercator eſſet, vnóque naufragio omnes opes amiſiſſet, dixiſſe fertur: Bene mecum agis fortuna, quæ me ab ignobili improbóque labore ad philoſophiam compellis.

Ad Herodem virum conſularem, ingenióque amœnum acceſsit pallitus quiſpiam, & crinitus, barbáque ad pubem penè promiſſa, ac petit pecuniam dari ſibi ad panem emendum. Quum verò Herodes interrogaſſet, quiſnam eſſet? obiurgatoria vóce vultúque, philoſophum ſe eſſe dixit: mirarique ait illum petere, quod videret. video, inquit Herodes, barbam & pallium: philoſophum autem non video. tum dicentibus qui aderant, illum eſſe ſolitum conuiciis inceſſere, niſi acciperet: Demus, inquit Herodes, non tanquam homini, ſed tanquam homines Dicentibúſque aliis, eſſe hominem malitioſum: excipiens Muſonius, ἄξιος ὁ ἀνὴρ ἀργυρίου: id eſt, dignus igitur eſt argento. Gell.

Philoſophos Domitianus omneis Italia ſummouit. Claudij temporibus factum eſt ſenatuſconſultum atrox, de mathematicis Italia pellendis

lendis. Pulſi Vitellij temporibus. Neoptolemus apud Ennium, philoſophari ait ſibi neceſſe eſſe, ſed paucis: nam omnino haud placet. Callicles apud Plat. in Gorgia, philoſophiam in adoleſcentibus probat, in ſenibus vituperat.

M. Antoninus tantum in philoſophia ſtudij cõtulit, vt quamuis aſcitus eſſet in imperatoriam dignitatem, ad Apollonij tamen domum diſcendi cauſa veniebat.

Iudæorum philoſophorum trés erant ſectæ veterum: Eſſæorum, qui ad deum cuncta referrent, omniáque haberent communia: Saducæorum, qui animas cum corporibus dicebant interire: & Phariſæorum, qui omnia fato geri dicebant, animas verò dicebant immortales. ex Ioſeph. lib. 18. Antiq. ait phariſæos dicere aliqua fato geri, Eſſæos omnia fatis tribuere. Ipſe igitur hanc controuerſiam accommodet.

Thebei gloriantur philoſophiam inueniſſe, ait Diod. Alij à Græcis, alij à Barbaris inuentam. philoſophiæ nomen Pythagoras primus impoſuit. Ethica à Socrate inuenta. Pherecydes Syrus Pythagoræ præceptor, primus omnium dixit animos eſſe ſempiternos. Themiſtes mulier philoſopha fuit. Et ſeruus vnus Phædón.

Diogenes quum venderetur, humi iacebat. excitanti verò, ac ſurgere iubenti qui auctionabatur, noluit: Quid tandem, inquit, ſi piſcem venderes?

Ariſtippus amiſſo prædio amœniſsimo, ei qui maximè ſibi condolere oſtendebat: nónne, inquit, vnicum tibi eſt prædiolum? mihi verò adhuc ſupereſſe agros treis, annuente illo: quin, inquit, potius ego tibi condoleo. Huc pertinet titulus de Eruditione, doctrina ac artibus.

DE PVDORE AC VERECVNDIA. XXI.

Diodorus ſapientiæ dialecticæ profeſſor pudore periit, luſoria quæſtione non protinus ad interorgationes Stilbonis diſſoluta.

Terentius Varro poſt acceptam cladem Cannenſem, ob ſuam ipſius incuriam dictaturam oblatam recipere ob pudorem renuit.

Echereus Phæacenſis ait, verecundis pudentibúſque Iouem fauere fulminatorem. Socrates Platonicus ait: Hoſpitalem deum inter homines, qui iuſti pudoris participes ſunt, verſari.

Conſynges Nicomedis Bithyniæ regis vxor, lacerata traditur à canibus, propter laſciuiorem cum marito iocum. Perſis nec vomere coram alio, nec vrinam facere licet.

Maximinus, qui poſtea imperator fuit, Thracio genere ortus, poſt multa fortitudinis exempla, charus admodum fuit Seuero. ſed quum aliquando Heliogabalus cum eo iocaretur, dicerétque: Maximine, ſedecim, viginti & triginta milites diceris laſſaſſe, poteris tricies cum

muliere perficere? Tum ille, vt vidit infamem principem ita exorsum, à militia discessit.

Persæ mulieres, fugientibus filiis, pudenda illis nuda ostenderunt: atque, Vultis, dixerunt, huc repetere fugientes? eáque re permoti pudentésque reuersi, hostes fugarunt. Fuêre autem hæ mulieres Tyrenæ. & quoniam illarum causa Persæ victoriam assecuti sunt à Cyro, sancitum est, vt quicunque Persarum rex Tyrum ingrederetur, singulis mulieribus singulos aureos nummos daret. Ochus, ne persolueret, nunquam eam vrbem ingressus est: vt dictum est in cap. de Auaritia. Alexander Macedo bis ingressus vrbem, nummos mulieribus exhiuit: grauidis, duplicem mercedem largitus est.

Volebat apud Diogenem Cynicum quispiam philosophari. cui ille pernam dedit, ac persequi iussit. ille præ pudore abiecta perna, abscessit. Post aliquantulum temporis occurrens illi, risit, atque ait: Tuam & meam amicitiam perna dissoluit.

Milesiæ virgines, quum sine vlla euidenti causa voluntariam mortem subirent, plurimæque suspendio vitam finirent, nullo potuerunt remedio à proposito diuerti. Decreuerunt tandem Milesij, vt virgines quæ suspensis corporibus demortuæ forent, hæ omnes nudæ cum eodem laqueo efferrentur præcinctæ. Post id decretum, pudore solo deterritas abstinuisse aiunt.

Pythias Aristotelis filia rogata, quem pulcherrimum iudicaret colorem: qui, inquit, ex pudore elicitur.

Tyberius imperator ad coërcendum sumptum, paucorum senatorum inopia sustentata, ne pluribus opem ferret, negauit se aliis subuenturum, nisi senatui iustas ætatum causas probassent. quo facto, pleróque modestia & pudore deterruit.

Quum Romam multæ Græciæ ciuitates questum de Philippi regis Macedonum iniuriis venissent, essétque in senatu quæstio inter Demetrium Philippi filium, missum à patre ad satisfaciendum senatui, & ciuitatum legatos, turba querelarum confusus adolescens, repentè obticuit. Tum senatus verecundia eius motus, causam illi donauit: atque ita Demetrius patrocinio pudoris veniam patri obtinuit.

Protagoras apud Platonem ait: mortalibus, qui vt ferarum vires vitarent, vrbes condere, atque in vnum conuenire cœperant, Iouem Mercurium misisse cum iustitia & pudore. Rogatus verò à Mercurio, num esset vtrunque hominibus omnibus traditurus: omnibus, inquit. omnes siquidem horum participes esse debent.

Pythagoras, quum adolescentulum sectatorem, palàm acriúsque reprehendisset, ita commouit, vt seipsum strangularit. atque decreuerit, posthac neminem palam reprehensurum esse.

PARV

PARVO CONTENTI. XXII.

Socrates intuitus numerum rerum venalium, cogitabundus dicere solebat, Quàm multis ipse non egeo? Seneca in Epist. Simplici cura constant necessaria, in deliciis laboratur.

Leon Euticratides interrogatus, quam quis vrbem incolens tutus sit: Vbi, inquit, neque plura, neque pauciora inhabitantes possideant.

Phocion quum à Menillo oblatam pecuniam remisisset, rogatus ab illo causam, cur saltem filio sumendam non sineret, respondit: Si filius vitam morésque composuerit, viuet ille quidem paterna hæreditate contentus. Si verò prodigus immodestúsque fuerit, ne argentum hoc quidem satis est futurum.

Crates Thebanus Demetrio Phalerio vinum mittenti, remisit, dicens: vtinam & fontes panem ferrent. Epicurus dicebat, si ad naturam viues, nunquam eris pauper: si ad opinionem, nunquam diues. Exiguum natura desiderat, opinio immensum.

Epaminundas à vicino inuitatus ad cœnam, conspicatus cùm obsoniorum tum vnguentorum magnam copiam, statim egreditur. vt dictum est in cap. de Conuiuiis.

Aurelianus imperator, petenti vxori vt vnico pallio sericeo vti sineret: respondit, absit vt auro fila pensentur (libra enim auri tunc libra serici fuit.)

Marcus Curius, Samnitibus magnum auri pondus afferétibus, cum in olla rapa coqueret, respondit: Auro nihil tale prandium indigere.

Alcamenes Telecri filius, rogante quodam quur parcè viueret, tantas opes possidens: Quia qui multa possidet, inquit, non ex libidine, sed ex ratione viuere debet.

Didius Iulianus imperator tantæ parsimoniæ fuisse dicitur, vt per triduum porcellum, per triduum leporem diuideret: sæpe etiam oleribus leguminibúsque contentus.

Cleomenes non purpura, non latoclauo vtebatur: sed breui tunica contentus, omnes admittebat.

Gracchus nullam ait apud se fuisse popinam, neque pueros eximia facie, nullam meretricem domum admisisse. Apud Massilienses dos amplissima centum aurei erant, ad vestem quinque, ad mundũ quinq;.

Diogenes Cynicus pane, aqua, oleribus contentus, intra dolium inclusus deguit. Cato Censorius, neque sibi ædificationem, neque vas, nec vestimentum vllum in manibus preciosum, neque preciosum seruum, neque ancillam, ait fuisse: Quo vtor, vtor dicebat. Si non est, ego sum, cuique per me vti atque frui licet.

Socrates, querente quodam amico apud eum, ac dicente, vinum Chium, purpuram mélque magno constare: manu prænendens illum, in penum farinariam duxit, atq; inquit, Obolo semissextarius vẽditur.

DE PICTVRA. XXIII.

DIogenes Cynicus, intuitus duos centauros pessimè pictos, vrbanè rogauit, vter horum, ait, deterior est?

Parrhasius Athenienſis pictor, quum Philippus Olynthios venderet, vnum ex iis senem emit, perduxitque athenas, atque torsit vt ad exemplum Promethea pingeret, qui Olynthius in tormentis periit.

Idem cum Zeuside in certamen descendit, & quum hic detulisset vuas pictas tanto successu, vt in scenam aues aduolarent: Ille detulisse linteum pictum traditur, ita veritate repræsentata, vt Zeusis alitum iudicio tumens, flagitaret tandem remoto linteo ostendi picturam, atque intellecto errore, palmam concederet, ingenuo pudore, quoniam ipse aues fefellisset, Parrhasius autem se artificem.

Idem Zeusis puerum pinxit vuas ferentem, ad quas quum volarent aues, iratus operi, dixit: vuas melius pinxi, quàm puerum. nam si hoc consummassem, aues timere debuerant.

Idem Zeusis Agatharcho se laudante, quòd animalia facilè celeritérque pingeret: damnans celeritatem, Ego verò, inquit, diu.

Apelles quum Rhodum nauigasset, auidus Protogenis opera cognoscere, fama tantum sibi cogniti, officinam petit (aberat forte ipse; sed tabulam magnę amplitudinis in machinam picturę anus custodiebat) hæc Protogenem foris esse respondit: interrogauit, à quo quæsitum disceret: ab hoc, inquit Apelles: arreptóque peniculo lineam ex colore duxit summæ tenuitatis per tabulam. Reuerso Protogeni, anus rem aperit. Ferunt artificem protinus contemplatum subtilitatem, dixisse, Apellem venisse: non enim cadere in alium tam absolutum opus. Ipsum tunc alio colore tenuiorem lineam in ipsa illa duxisse. reuertitur & Apelles: sed vinci erubescens, tertio colore lineam superinduxit, nullum relinquens amplius subtilitatis locum, atque abiit. At Protogenes victum se confessus, in portum euolauit, hospitem quærens.

Idem Apelles Alexandrum fulminiferum pinxit adeò expressè, vt diceretur, duorum Alexandrorum illum Philippi nullis viribus vincibilem, & alterum Apellis nullo artificio imitabilem.

Idem Apelles à Plano regio ad cœnam Ptolemæi inuitatus, rogatus à Ptolemæo, rem ægrè ferente, ac quis illum inuitasset dicente, arrepto è foco carbone, imaginem in pariete delineauit: agnoscente vultum Plani rege, ex inchoato protinus.

Nealtes quum prælium nauale Aegyptiorum Persarúmque, quod in Nilo, cuius aqua est mari similis, factum volebat, pingeret: argumento declarauit, quod arte non poterat. Asellum enim in littore bibentem, & crocodilum insidiantem pinxit.

Protogenes, quum anhelantis canis spumam effingere non posset, absterserat sæpius mutauerátque penicillum, nullo modo sibi approbans

bans. Postremo iratus arti, quod intelligeretur, spongiam eam impingit intuisoeloco tabulæ, ex illáque reposuit ablatos colores, fecitque in pictura fortuna naturam. Quod Nealti in equo etiam dicitur euenisse.

Plautinus, quum puderet quod anima eius esset in corpore, rogatus à pictore Amelio, vt sineret eius imaginem pingi, quum hominē animam esse putaret: Quasi verò, inquit, non sit satis hanc imaginem ferre, quam natura ab initio nobis circundedit. Etiam censes huius imaginis diuturniorē imaginem, vt opus spectaculo dignum, relinquēdum?

Pictorem quendam imperitum, nihil præter cupressum scisse simulare fertur. ab eo quum naufragus quidam petiisset, vt naufragium eius pingeret, vultúmque exprimeret: interrogauit ille, num aliquid ex cupresso vellet adiici? Alius pictor, quum gallos gallinaceos perperam pinxisset, puero suo mandauit vt gallos veros quam longissime posset a tabula procul pelleret.

Alexander Macedo edixit, nequis ipsum alius quàm Apelles pingeret, quam Pyrgoteles sculperet, quam Lysippus ære duceret.

Eidem Alexandro charus Stasicrates, qui Thraciæ montem Athon in hominis statuam exculpi posse dicebat Alexandro. Proinde si iusserit, perpetuā ac nobilissimam ex illo imaginem effingere velle, cuius læua vrbem Miriandrum, quæ dena hominum milia caperet, amplexarerur: dextra verò labentis ad mare fluuij abundantissimos funderet lactices.

Picturam in Aegypto Gyges Lydius inuenit, in Græcia Pyrrhus Delali cognatus, vt Aristoteli placet. vt Theophrasto, Polygnotus Atheniensis. Aegyptij apud ipsos inuentam, priusquam in Græciam transiret, sex milibus annorum aiunt. Græci alij apud Sicyonem, alij apud Corinthios, omnes ab vmbra hominis linea circunducta. Linearum à Philode Aegyptio vel Cleante Corinthio, primi exercuere Ardices Corinthius & Thelephanes Sicyonius sine vllo etiam num colore. primus inuenit colores Cleophantus Corinthius. Natiui colores Minium, Armonium, Cynabaris Chrysocolla, Indicum, Purpurissum, Sinopis, Rubrica, Parethonium, Melinum, Eretria, Auripigmentum, Ocra, Cerussa, Vsta. Sandaraca, Sandix, Ciricum, Atramentum, Tryginon siue elephantium.

Claruerunt apud Rom. Fabius, Pacuuius poëta, Turpilius, Aterius Labeo, Q. Pedius, Arelius, Anulius, Cornelius Pinus, Actius priscus. Extorii, Aristides Thebanus, cuius tabulam Attalus ex centum talētis emit. eius tabulam in qua Liberi patris imago esset, L. Munius Romam adnexit. Apelles clarus tum multis operibus, tum Venere Coa, & equo cui viui adhinnierunt. Aglaophon, Apollodorus Athenienſis, Androcydas, Amphion Therimachi discipulus, Asclepiodorus, Aristocles Nicomachi discipulus, Antorides, Ariston, Antidotus, Athenion, Aristolaus Pausiæ discipulus, filiusque Aristoclides, Antiphilus, Androbius, Aristonides, Anaxander, Aristobolus Syrus, Archesidas, Antobolus

Ius Olympiæ mulieris discipulus, Aregontis: Bularchus, cuius picturâ Candaules rex pari repẽdit auro. Colotes, Cymon Cleoneus, Cephisiodorus, Ctesidemus Corinthius, Ctesilochus Apellis discipulus, Clesides, Cratinus, Coribas, Carmades, Corgasus, Cleartis, Coloterus, Demophilus, Dionysius, Dionysiodorus, Diogenes. Echion, Eupõpus, Euenor, Euxinidas, Euphranor, Eutychides, Eudorus, Erigones, Eutimedes Glautionis Corinthij discipulus. Higiemon, Heraclitus Macedonius, Halton, Heraclides. Iphis. Ludius elotas, Leon, Leontiscus. Myrones duo, Melanthius, Metrodorus, Mechophanes Pausiæ discipulus, Mydõ, Mnasitheus, Sicyonius, Mnasiedemus. Nesslus, Nicophanes, Niceeoras, Nicas Atheniẽsis, Nicerarchus, Nicomachus, Nesseas, Nicosthenes. Oenias. Polygnotus, Phidias, Paneus frater, Pythis, Phrylus, Parrhasius, Páphilus Apellis Melanthiiq; præceptor. Protogenes, de quo suprà, cuius tabula ne incenderetur, Demetrius expugnatam Rhodũ non incendit: Philoxenus Nicomachi discipulus, Pyteicus, Pausias Sicyonius qui primus lacunaria pingere inuenit. Philiscus, Phalerió, Polemon. Serapió, Simonides, Simus, Sopylus. Tinomachus, cuius Medeam & Aiacẽ Cæsar dictator emit octingentis talentis. Theodorus, Theontius, Theon, Tauriscus, Timagoras, Theodorus Samius, Nicosthenis discipulus, & eiusdem præceptoris discipulus, Tadius, Therimachus, Timãtes clarus in Iphigenia Agamemnónéq;. Xenon Neochis discipulus. Zeusis. Mulieres in pictura claræ, Timarte Myconis minoris filia, Irene Cratini filia & discipula, Lala Cyzicena, Calypso, Aristarete Nearchi filia, discipuláq;. Olympias, & apud Rom. Marcia Marci Varronis. Scripserunt de ea re Antigonus, Xenocrates & Apelles. Nero fingendi pingendiq; studium habuit non mediocre. M. Antoninus philosophus & imperator operam pingendo sub magistro Diogeneto dedit. Hadrianus ac Seuerus in ea re peritissimi.

In statuis ex ære clauerunt Alcmenes Phidiæ discipulus, Agelades, & discipuli quinq; Polycleti, Argius, Asopodorus, Aristides, Alexis, Athenodorus. Item Antheus, Atheneus, Agelades, Antigonus, Ariston, Apollodorus, Androbolus, Asclepiodorus, Anhelas, Antimachus, Aristodemus, Agoracritus, Buthyreus Lycius Myronis discipulus, Bedas, Briaxis, Boëtus, Batton. Callases, Ctesias, Ctesilaus, Canarus Sicyonius, Cereas, Chares Lyndius Lysippi discipulus, qui Colossum Rhodi septuaginta cubitorum fecit. Calamides, Critis, Chaleosthenes, Callon, Clitorius Polycleti discipulus, Canathus, Cephisiodori duo, Callistratus, Callixenus, Creon, Chresilla, Cenchramis, Cyclon, Callides, Cresilas, Cephis, Callimachus, Dinon Polycleti discipulus & cõdiscipulus, Demas, Dinomedes, Demetrius, Dedalus, Diodotus, Dynomenes, Dionysiodorus Critiæ discipulus, Delades, Daiphron, Doryphorus, Democritus, Dahippus, Dæmon. Epatodorus, Euphranor, Eudorus, Euchiõ, Euphronides, Eutychides, Eurycrates, Euphorion, Eunicus, Epigenon, Euboli-

des, Euchir. Corgias, Glaucides. Hecatheus, Heliodorus, Hyrcanesides. Isigonus, Iomenon. Lysippus, Lacor, Leochares falso apud Victruuium Telochares dictus, Lysistratus, Lahippus Leontius, qui primus neruos venásq; expressit. Luciscus, Lophon, Lyson, Leon, Mycõ, Myron Lycius Polycleti discipulus. Mentor, Menechinus, Menogenes, Menodorus, Myagrus. Nestocles, Negleas, Naucides, Naucerus, Niceratus, Nisicrates. Pyrrhus, Polycles, Phyromachus, Pythagoras Samius, Polycletus Ageladis discipulus, Phidias clarus in Ioue Olympio, Phragmõ, Perelius, Phrynon Polycleti discipulus, Patroclus, Polycles, Praxiteles clarus Venere Gnidia, amore iuuenis insigni, & equa ad quã equus hinniit, & cane ad quẽ viui latrarunt, & ænea vacca Syracusis quã taurus inire voluit. Pyromachus, Pyrocles, Pythias, Pracmõ, Polycrates, Phœnix, Pyromachus, Pytrocritus, Protogenes, Patroclus, Polis, Posidonius, Periclimenus, Philon, Pandeus nepos Phidiæ ex sorore. Rheginus ex Italia. Scopas, Sthenis, Sostratus, Syllanion nullo doctore mirabilis, Stypax. Strongilon, Stratonicus, Scymnus Critiæ discipulus, Simon, Simenus. Theromachus, Theusis, Timarchus, Tymoles, Thysicrates, Thelaphanes Phoceus, Theodorus, Timotheus, Theomnestus, Thymarchides, Thimon, Thysias, Trason. Xenocrates, Zenodorus qui colossum Neronis centum ac 10. pedum fecit.

In ferro clari Aristonides, Alcon.

In marmore primi Dipœnus & Scyllus, Malas Micciadis filius, Anthermúsq; nepos, Chius & eius filij Bupalus Anthermúsque, Phidias & eius discipuli Alçamenes Agoracritúsq;, Praxiteles, Brixiades, Scopas, Cephisiodorus Praxitelis filius, Briaxis, Timotheus, Locares, Mausoli cælatores, Pythis, Menestratus, Socrates, alius quàm pictor, Miron, Archesitas. Cleomẽ, Enthochius, Taurischus Trallianus, Pappus, Entichides, Philiscus, Timarchides, Dionysius. Polycles, Heliodorus, Polycarmus, Calamides, Agesander, Polydorus, Athenodorus. hi tres Rhodij Laocoonta fecere, opus omnibus pictura & statuariæ artis opera præponendum, quod hodie Romæ visitur. Craterus, Pythodori duo, Polydectes, Hermolaus, Artemon, Aphrodisius, Diogenes, Caryatides, Archesilaus, Coponius, Canacus, Sauros, Brathacus, Myrmecides cuius auriga cum agitatore cooperuit alis musca, Callicrates.

Encaustica, quæ igne constat, in iis signis quæ cæra aut ebore conficiuntur, ab Aristodemo aliqui putant inuentam, postea consummatam à Praxitele. sed aliquanto vetustiores extitere Polygnotus, Nicanor, Archesilaus, Lysippus, Pamphilus Apellis præceptor: item Pausias Sicyonius, Phidias. In ebore, Myrmecides, vt suprà.

Plastice quæ creta constat antiquior est quàm statuaria. Dibutades Sicyonius inuenit, Corinthi, opera filiæ: quæ capta amore iuuenis, illo abeunte peregrè vmbram ex facie eius ad lucernam in pariete lineis circumscripsit. quibus pater eius impressa argilla typum fecit. Aliqui dicunt Rhœcum & Theodorum. Italiæ tradidere Demaratus. Euchirepus & Eugrammus. Celeberrimus in ea Demophilus, Corgasus, Calisthenes.

sthenes. Romæ Possunius in tubis piscibúsque iconicis mirus: Archesilaus, Prasiteles, Turianus. E gypso primus imaginem hominis fecit Lysistratus Sicyonius.

In argento cælando Mentor, Acragas, Boëtus, Mys, Antipater, Stratonicus, Tauricus. Cyzicenus, Aristo, Onychus, Hecatæus, Prasiteles, Posidonius, Ephesius, Zopyrus, Pytheas, Teucer, Lesbocles, Prodorus, Pythodicus, Polygnotus.

DE PETITIONIBVS. XXIIII.

DIogenes Cynicus postulabat ab Eurytio difficile quiddam. illo dicente, dabo, si mihi persuaseris: Equidem, inquit, si persuadere possim, suasissem vtique vt te suffocares.

Philemon, Baucisque vxor, quum soli ex oppido hospitio Mercurium Iouémque suscepissent, anserémque vnicum quem habebant comedendum apposuissent, admoniti à diis sunt, vt collem ascenderent. quo facto, oppidum in lacum conuersum est, excepta illorum casula, quæ pro templo postea fuit. hortantibus verò diis, vt experterent si quid vellent: rogant, vt fiant illius templi perpetui sacerdotes, nunquam mortem experturi. Annuerunt dij, sed eos in quercus commutauerunt.

Socrates nihil expetẽdum monebat à Diis immortalibus, nisi quod bona tribuerent. Idem in petitionibus apud homines adeò erat modestus, vt quum pallio egeret, nummisque careret, tacitè ab amicis petebat: Emerem, inquit, pallium si nummos haberem.

Apud iudices siquis petebat plus quàm deberetur, causa cadebat. Cicero pro Roscio: si tu, ait, amplius nummo petisti in iudicio, quàm tibi debitum est, causam perdidisti. Crassus apud Ciceronem in oratione idem etiam ait. Claudius imperator iis qui ad priuatos iudices plus petendo formula excidissent, restituit actiones. & in maiore fraude cõuictos legitimam pœnam supergressos ad bestias condemnauit.

Cyrus apud Xenophontem Cambysi ait: Noui te semper sollicitum dicere, haud fas esse à diis petere victoriam equestri pugna, eos qui equitare non didicissent, neque sagittæ ignaros superare illos sagittando, qui huiusmodi peritiam callent: neque eos qui frumenta non serunt, precari triticum pulcherrimum nasci: neque salutem petere, qui sibi in bello non cauerent.

Socrates apud Platonem libro 6. Quare, inquit prudens mihi videtur poëta ille, qui amicis insipientibus vsus, dum eos videret & agentes & orantes quæ illis minimè conducerent, quum tamẽ vtilia viderẽtur, pro omnibus sic ait: Iupiter rex optima quidem nobis & vouẽtibus, & non vouentibus tribue: mala autem poscentibus quoque abesse iube.

Timon Echecratides Coliteus apud Lucianum queritur, in inopiam venisse.

despectúmque ab amicis, operam rusticam aliis præstare. rogátq; magna audacíque voce Iouem, vt illa se calamitate eripiat. Iupiter iubet Mercurio, vt magnos thesauros Timoni afferat. sed tum Mercurius ait: En continuò ditissimus ex inope Timon erit, quòd clamauerit, fidenteráque orauerit: quod si siluisset, adhuc incuruus terram foderet, à Ioue derelictus.

DE ROMANORVM FORtitudine. XXV.

DE Romanis, quibus patrium est aliis imperare, quibus imperium sine fine dedit Iupiter, quum vniuersi pene Græci & Latini scriptores mira prodiderint, non visum est multa verba facere, præsertim quum tu solus sis exemplum pro omnibus magnum: neque rursus omnino silentio præterire.

Pyrrhus, quum ad Canusium cum Romanis conflixisset, superiórq;, multis tamen è suis amissis, extitisset, dixisse fertur: Si alia item pugna Romanos vicerimus omnino periimus.

Idem, quum inuenisset mortuos Romanos, in dextris tamen enses habentes: ô quàm facile, inquit, erat orbis imperium occupare, aut mihi Romanis militibus, aut me rege Romanis.

Scorio dux Dacorum, quum à Barbatis impelleretur contra Rom. ciuili bello defatigatos, duos canes in popularium conspectum dimisit, illíque acerrimè inter se pugnantibus, lupum emisit: quem canes omissa ira pugnáque, illicò aggrediuntur. atque ea comparatione Barbaros ab incœpto diuertit.

Captis ad Furcas Caudinas à Samnitibus Rom. quum variæ essent inter Samnites sententiæ de illis, accitus plaustro ad exercitum Herennius Pontius: pacem, ait, cum Rom. faciendam. ea enim Romana gens est, vt victa quiescere nesciat.

Magone apud senatum Carthaginensem nunciante cladem Cannensem Rom. illatam ab Annibale, atque treis annulorum modios è Romanorum cæsorum digitis ereptos ostentaret: excipiens Hanno, Num post hæc Romani ait, pacem petierint ab Annibale, aut aliqui ex illis ad eum transierint. negante Magone vtrunque factum: monuit, mittendos legatos à Carthaginensibus ad Romanos de pace.

Mutius Porsenæ ait, facere & pati fortia Romanorum est.

M. Antonius incõsultius Parthos inuaserat, amissísq; multis, quum tandem tela in grandinis modum vrgerent Romanos, atque speciem cæsorum præbuissent elatis supra capita scutis, Parthíq; arcus inhibuissent, Rom. rursus se efferunt: miraculum visum barbaris est, vnúsq; ex illis vocem emisit, Ite, & bene valete Romani, meritò vos victores fama gentium loquitur.

Notand

Notandum obiter, non licuisse Romanis artem manualem exercere. Ex Dionysio Halicar.

DE RELIGIONE. XXVI.

ANtoninus Pius imperator reprehendenti cuipiam eum quòd in hosteis mitis esset, atque in coniuratos quos vicerat, ac dicenti, quid si hostis vicisset? grauiter respondit: Non sic deos colimus, nec sic viuimus, vt illi nos vincant.

Alexander Macedo inter sacrificandum, quum vtraque manu thura ad euaporandum assumpsisset, à Leonida increpitus est. dicebat enim Leonidas, quum ferentibus aromata terris imperaueris, copiosè tunc thura adolebis, nunc vtere parcius. victa Saba Alexander Leonidę scripsit, ad te thus myrrhámque abundè transmisimus, vt cum deis parcus esse desinas.

Numæ quum de hostium aduentu incursionéque nunciatum esset, surrexit, dixitque: At ego sacrificio.

Auerni Galliæ populi Cæsaris ensem in templo appenderãt, ceu ab illo ereptũ spolium, quẽ Cæsar postea conspicatus, subrisit. persuadentibus amicis, vt detraheret: nõ permisit, quòd rem sacram existimauit.

Venator quidam in Andragathia, iuxta agrum Posidoniatem regione, solitus animalium occisorum capita ac pedes Dianæ dicata arboribus suffigere. capto ingenti apro, se ait caput solum dicaturum, quo arbori suspenso, meridianum æstum vitans, sub arborem obdormiuit. Tum vinculo sua sponte soluto caput cadens, dormientem venatorem peremit.

Carthaginenses Saturno hostias humanas soliti immolare, quum destititi essent, atque ab Agathocle Siculorum rege victi essent, iratum deum putantes, ducentos, vt litarent, nobilium filios immolarunt.

Oeneus Calydoniæ rex, quòd Dianæ decimas non persoluisset, irata dea aprum immisit, agros omneis vastãtem. Lycurgus Thraciæ quum in Bacchi contemptum vites succideret, crura sibi amputauit. Pentheus sacra Bacchi contemnẽs, à matre Agaue, materteráq; Autonoe, pro apro laceratur. Tantalus Pelopem filium diis appositum comedendum, ad inferos itaq; detrusus, sitim in aquis, famem inter poma cum cruciatu patitur. Lycaon in lupum conuersus, quia obsidem Molossum Ioui ad epulas apposuit. Pirithous Lapitharum rex deos omneis præter Martem, ad conuiuium nuptiale inuitauit, ea re Mars indignatus, furorem in Centauros immisit, vt nouam nuptam rapere tentarint: ingensq; commissum est prælium in ipsis sponsalibus.

Apud Aegyptios capræ hircíq; omnes venerationi sunt. item & caprarij. animalia adeò religiosè colunt, vt quum Ptolemæi tẽpore Romanus quidam felem occidisset, ad domum eius concursu plebis facto, neque

neque ab regiis ad id missis principibus, neque Romanorum timore à pœna hominis absterreri potuerit, quamuis non sponte bestiam occidisset. Iidem, sicubi canis mortuus repertus fuerit, singuli eius domus totum corpus acta lamentatione radunt. & premente eos fame, vt plures ab humana carne non abstinuerint, animalibus sacris parsum omnino est. Sicubi vinum frumentúmve aut aliquid aliud victui necessarium inuentum esset vbi huiusmodi animal expirauit, non amplius illis vescebantur. De Api dictum est in capite de Idolis. Cæterùm, Herodot. lib. 2. ait, si apud illos felis moriatur in domibus, domorum habitatores cuncti sola supercilia radunt: totum autem corpus & caput, in quorum domibus sic moritur canis. Efferuntur feles mortuæ ad sacra tecta, vbi salsæ sepeliuntur in vrbe Bumasti. Nam mures, araneos & accipitres in vrbem Butum asportant.

Augustus nunciantibus Tarraconensibus, palmam in ara eius enatam: apparet, inquit, quàm sæpe accendatis, id est, sacrificetis.

Lycurgus rogatus cur tam exigua sacrificia Diis constituisset: vt deos, inquit, venerari nunquam desinamus.

Agesilaus non modo ex hostium templis quicquam non eripiebat, sed etiam eos qui ad aras confugissent, tutos relinquebat, dicẽs, absurdum esse sacrilegos putare, qui aliquid à templis furarentur: eos verò qui homines auellerent, iustos putare. Illud obiter notandum, non licuisse olim sacrum interrumpere. vnde quum ludi Circenses aliquando Romæ celebrarentur Apollini, atque nunciatum esset Hannibalẽ ad portam Collinam hostem ingruere, omnes raptis armis concurrerunt, præter vnum senem. quem quum saltantem in circo inuenissent: salua res est, dixerunt, saltante sene. quod & in prouerbium cesit.

L. Albinus de plebe Rom. fugiens cum vxore, filiísque in plaustris impositis, Gallorũ arma in cliuo Ianiculi, quum Vestales sacra ferentes nactus esset, descendere vxorem filiósque iussit, ac virgines sacráque in plaustro imposuit.

Metellus pugnaturus contra Siculos Pœnósque, quum omnibus diis præterquam Vestæ sacrificasset, à dea aduersi venti in classem immissi sunt. vates cecinere, filiam immolandam Metellam, adductam miserata dea, buculam suppositi. Pari ratione ventorum Agamemnon ex responso Iphigeniam in Aulide filiam, quum mactandam apposuisset, Diana placata ceruam supposuit.

Iadam propheta, quum Hieroboam tanquam impium à sacris prohiberet: atque ille tamen sacrificio manum apposuisset, statim manus aruit, sempérque deinceps solutam habuit.

Tullum Hostilium ex Numæ libris eodem, quo illum, sacrificio Iouem cœlo deuocare conatum, quoniam parum ritè quædam fecisset, fulmine ictum tradunt.

Achilles Homericus à Pallade admonitus, vt Agamemnoni parceret: se obtemperaturum esse respondit. quamuis de illo pœnas sume-

ro statuisset.qui enim,inquit,deorum volũtati paret,hunc dij ipsi præcipuè exaudiunt.

Potitiorum domus quia sacra Herculis,quæ soli ipsi celebrabant, seruis celebranda dederant,omnino interiit,erántq; familiæ illorũ 12. puberes ad 30,Seruius 8.Aen.ait Appium transtulisse hæc sacra in libertos,& ob id ipsum oculis caruisse : & intra annum familiam Potitiorum omnem desijsse.Fabios 300.vno die cæsos putant,quia sacrum quoddã non confecerint.Herodis domus præter paucos omnis interiit,

Dauid,quum contra dei præceptum populum numerasset, victus pluribus prælijs à Palæstinis,tandem Hierosolymis obsessus est.Homerus ait in religionum contemptores,ferentésque ad populum violentas leges,Iouem iratum calamitates immittere.

Romæ cautum semper fuisse,ne quis nouos deos induceret:& ob id Chaldæos Iudæósque vrbe pulsos constat.quod etiam apud Athenienses factum est.ex Seruio 13.Aeneid.

Romanos religione celebres fuisse historiæ produnt,vnúmque sacrificium ab illis trigesies actum,in quo aut error aut scrupus aliquis intercessisset, Minutius dictator C.Flaminium magisterio equitum amouit,stridore soricis consecuto. Celebratus Priamus apud Homerum,vbi Iuppiter Iunoni ait,esse illum sibi cordi propter crebra in eum sacrificia.Et Mercurius Priamo ait,Hectoris cadauer 12.die non computruisse,neque ab auibus appetitum, quòd deos religiosissimè coluerit.Cyrus à Xenophonte commendatur, Numa apud Romanos inuentor.Camillus celebris,item Gallis item Mysi qui Capnobatæ dicuntur:item Alalcomene,Aeacus,Aeneas.

Melisseum Cretensium regem primùm diis sacrificasse tradunt. Hieronymus scribit M. Euangelistam pollicem sibi amputasse,vt sacerdotio reprobus efficeretur. Diuus Antonius læuam auriculam,ne fieret episcopus:apud omnes alios sacerdotes erãt comati,apud Aegyptios verò rasi,

Vestales quæ à Numa sunt institutæ,quatuor primò,postea sex fuerunt,triginta annis innuptæ erant.exactis iis,non prohibebantur nubere depositis vittis:sed propter exitum infelicem rarò nubebant.Pœna delictorum leuiorum verbera erant.Corruptas verò,pontifices super lecticas mortuorum more impositas,deflentibus cognatis,ad portam Collinam adductas,viuas monumento sub terra præparato condebant,ibiq; vitam ægerrimè finiebant:sed triginta illis annis 10,discere,10.sacra perficere,10.vltimis edocere consueuerant.Illarum prima Amata dicta est. Eligebantur autem è generosissimis,intercedebant apud magistratus.

Post adorationem sedere,augurium esse dicunt,quo & ratis preces, & in bonis perseuerantiam fore significatur. Adorantes autem se circumuertebant.vnde Camillus, victis Veiis,post illas preces circumpertens se cecidit.

Sedem

Sedem apostolicam non diiudicari,tum decretum est,quum Leo 3. oppressus esset à Pascali & Campulo,conuocato per Carolum regem concilio.

Frederico imp.vastante Christianam Remp.Gregorius Ananinus Pontifex veritus illius sceleſtissimi crudelitatem,dedit certis diuinæ rei horis Salue regina,campanásque ad eucharistiæ confectionem,ac virginis iussit Mariæ laudes horis matutinis celebrari.Innocentius 4. pontifex Lugduni instituit,vt exituri in publicum cardinales pileo rubro vterentur.Bonifacius 8.Iubileum instituit, sed centesimo quoque anno celebrari.Clemens 6.deinceps quinquagesimo.

Celebres religione Thraces quidam,sine mulieribus vitam degentes,Ctistæ dicti.Plura suprà de Deorum cultu.

DE RISV ET RIDICVLIS. XXVII.

Piratæ,in quos missus est Pompeius,ac intra quadragesimum diem assecutus,siquis è captiuis diceret se esse Romanũ,simulato ingenti metu,femur percutientes, veniam procidentes à captiuo exposcebant.lætabundo captiuo alij calceos,alij togam exhibebant,induebántque.quúmque aliquantisper virum per istæc ludibria detinuissent,ad mare scalas extendebant,ac iubebant illũ ascendere,impulsúque obruebant.

Plistarchus Lenonidæ filius,causidico quodam ridicula semper dicenti:non cessabis,ait,à ridiculis continuè dicendis,ne ridiculus fias:vt qui assiduè luctantur,luctatores.

Myson Cheneus mortales odio infectatus,in solitudinem sese abdiderat.deprensus à Lacone,ridens:rogatus ab illo,cur quum solus esset rideret:vrbanè ad mores suos respiciens,ob hoc ipsum ait rideo.

M. Cicero consul,quum L. Murenam à Catone accusatum defenderet,variis modis Stoicos,quorũ assectator erat Cato,philosophósq; illudens,multum risum iudicibus iniecit. Et ipse quoque Cato subridens : Dij boni,ait,quàm ridiculum consulem habemus.

Diogenes Cynicus dicẽte quodam,Hi te risu persequuntur. At ego, inquit,minimè ridiculus sum.

Callidamantes seruus in Plauti Cistellaria, quum ebrius obdormisset,Philolachésque illum exirasset : titubans,Iam hercle,inquit, vos pro matula habebo,nisi matulam datis.

Puer quidam dum Cererem rideret,quæ famelica sitibundáq; quæritans Proserpinam,polentam testaceam à vetula acceperat,vocarétq; auidam,ab illa in silicem conuertitur.

Inter Hidaspen Acesinémque silua est cercopithecorum abundans, quorum multitudinem magnam in montibus,quum Alexandri milites hostium agmen putassent,in eos instructa phalange processerunt.

Apud Indos cercopithecos esse tradunt,qui per montium abrupta fugientes,petras contra se insequentes deuoluant.

Chrysippus asino ficus mandente,aniculæ vt vinum afferret dixit: atque nimio risu solutus,expirauit.

Osporcus ciuis Rom.quum in pontificatum esset assumptus,ne dignitatem nomine deturparet,à clero populóq; Rom.in Sergium mutatus est.Vnde consuetudo inualuit,vt pontifices Rom.nomen alterius præteriti pont.assumant.

Galli mutuam inter se pecuniam dabant,quæ ab iis apud inferos illis redderetur.

Domitianus Tarentinum quendam regulum,quòd sacrificans non appellasset Mineruæ filium,in carcerem coniecit.

Carthaginenses,quum pacem petiissent,essétque difficilis collatio pecuniarum diutino bello exhaustis,tristitiáq; ac fletus in curia esset, risisse Annibalem ferunt.cuius risum quum Asdrubal Hœdus increparet in publico fletu,quum ipse lachrymarum causa esset: Si quemadmodum oris habitus cernitur oculis,sic & animus cerni potuisset,facile,ait,vobis appareret,non læti,sed propè amentis:malis cordis hunc, quem increpatis,risum esse.

Osyris Aegypti rex,risu musicáque mirificè oblectatus dicitur.

Democritus in omni fortuna semper ridebat.Heraclitus flebat.M. Crassus auus Crassi illius qui apud Parthos occubuit, quòd nunquam rideret,Agelastus vocatus est.semel tantum risisse dicitur,quum vidisset asinum asperos carduos comedentem,dixisséque,Similem habent labra lactucam.Diuus Hieronymus:Cato Censorius,inquit,in vita semel fertur risisse:ita & Lucium inuenio & L. Crassum,qui Carbonem accusauit.

Phocionem nec visum vnquam flere aiunt,nec ridere. Plato adeo modestus fuit,vt nunquam nisi modicè ridere visus fuerit. Numerianus imperator & Philippus iunior,nunquam visi ridere.Neruâ Apollonius Tyaneus regnaturum affirmauit,quòd nunquam ridentẽ,neq; ludentem viderat.Seneca de formula honestæ vitæ: Nam reprehensibilis risus est,si immodicus,si pueriliter effusus,si muliebriter factus, odibilem facit risus hominem.

Deioces Phraortis filius,qui ob æquitatem rex Medorum factus est,neminem patiebatur coram se aut ridere,aut spuere.

Risum Syncrusium appellant Græci,qui hominem quatiat. Risus Sardonius imprecationis loco dicitur: constat enim,secundũ Dioscoridem,Sardoniam herbam esse,quæ comesa mentem adimat,labiisq; contractis risus specimen præbeat: dicitur & Sardianus,Sardanius,Sardoicus,Sardianicúsque.sed alias ob causas risus importunus Aiacinus dicitur,item Megaricus.

Gelorophyllida in Bactris & circa Boristhenem esse tradunt.Hæc si bibatur cum myrrha & vino,varias obuersari species,ridendique finem non fieri,nisi potis nucleis pineæ nucis,cum pipere & melle in vino palmeo.

Extat

Extat homini ab inferiori viscerum parte separantur membranis, quas Græci phrenas vocant.nulla est membranarum alicui caro,sed neruosa exilitas,præcipuáque hilaritatis sedes,quòd titillatu maximè intelligitur alarum quas subit,nõ alibi tenuiore cute humana.ideóq; scabendi dulcedine ibi proxima: ob hoc in præliis gladiatorúmque spectaculis mortem cum risu traiecta præcordia attulerunt.

Infantium nulli præcox risus ante quadragesimũ diem datur, Zoroastri,eo quo natus esset die.Intemperantiam ioci constare ex lienis magnitudine:& eos quibus lien exemptus fuerit,omni risu carere.

Pythagoricus quidam emerat à sutore phecasia post aliquot dies venit ad tabernã,redditurus nummos.& quum clausam pulsaret,fuit qui diceret:quid perdis operam?sutor ille quem tu quæris, combustus est.quod nobis fortasse molestum est,qui in æternum nostros amittimus,tibi minimè,qui scis futurum vt renascatur.iocatus in Pythagoreorum opiniones,de animarum transcorporatione.

Martialis Maximum Vagum ita ridet:

Aesquiliis domus est,domus est tibi colle Dianæ,
Et tua patricius culmina vicus habet.
Hinc viduæ Cybeles,illinc sacraria Vestæ:
Inde nouum,veterem prospicis inde Iouem.
Dic vbi conueniam,die qua te parte requiram?
Quisquis vbique habitat Maxime,nusquam habitat.

L. DOMITII BRVSONII LVCANI FACETIARUM EXEMPLORÚMQUE LIBER VI. AD MECŒNATEM.

DE SIMVLATIONE ET HYPOCRISI. I.

QVia planè pro comperto habeo Mecœnas,nihil esse apud te fœdius,à tuóque ingenio alienius simulatione,quã Græci τὸ ὑπόκρισιν appellant:nihil est enim in tefícti,nihil simulati(vera enim virtus his adminiculis non eget)non ab re fore putaui,si ante oculos multorum exẽpla proponerẽ,qui quum ab illa candida simplicitate voluerint abesse,& deteriores,dum boni videri vellent,sint visi,& exitus vitæ pares nacti sunt.odiosa enim non bonis viris solum omnis est simulatio:sed diis ipsis inimica,protinúsque detestabilis.videri enim velle,qui non sis,& cum mortalibus & cum ipsa parente omnium natura bellum est gerere.

Gallus Vibius,quamuis magnæ eloquentiæ vir,dum insanos imitatur,assimulátque,ad veram insaniam lapsus est.

Getam filius in proscriptione Antonij Octauij & Lepidi triumuirorum, quos Syllæ discipulos Iuuenalis appellat, veluti moribundum, in aperto domus igni imponere visus est. deinde clàm in agro relinquit: quo in loco senex seipsum permutare studens, membranam alteri oculo apposuit. inductis postmodum factis, membranam eripiens, oculum ex desidia deletum comperit.

Martialis de Cœlio:

Discursus varios, vagúmque manè,
Et fastus, & aue potentiorum,
Quum perferre patique iam negaret,
Cœpit fingere Cœlius podagram.
Quam dum vult nimis approbare veram,
Et sanas linit obligátque plantas,
Inceditque gradu laborioso,
(Quantum cura potest & ars doloris?)
Desit fingere Cœlius podagram.

Hadrianus imperator, veteranum quendam militem seruili penuria sese marmoribus affricantem quum aspexisset, commiseratus eum, & seruis aliquot & sumptibus donauit. mouit exemplum reliquos veteranos, cœperúntque & ipsi complures sub oculis imperatoris sese affricare marmoribus, vt principis benignitatem & ipsi elicerent. At ille commentum suspicatus, vocatis senibus, iussit vt alius alium vicissim defricaret.

Caluisius Sabinus, tam nullius memorię quum esset, vt nomen Vlyssis, Achillis aut Homeri obliuiscereturemit seruos quibus alij Homerum, alij Hesiodum, alij alium poëtam tenẽdum memoria dabat, vt per illos nomina, quum opus esset (nam doctus volebat videri) recordaretur. Quum verò dixisset centenis millibus singulos seruos sibi constare, vrbanè Satellius Quadratus: minoris, inquit, totidem scrinia emisses. Idémque Satellius, quum hortaretur illum, vt luctaretur hominem ægrum, pallidum, gracilem: atque Sabinus dixisset, quomodo possum, vix viuo: vrbanius Satellius excepit, Noli obsecro, inquit, dicere. non vides quàm multos seruos valentissimos habeas?

Martialis in Mamurram, qui volebat videri diues:

In septis Mamurra diu, multúmque vagatus,
Hic vbi Roma suas aurea vexat opes:
Inspexit molles pueros, oculísque comedit,
Non hos quos primæ prostituêre casæ:
Sed quos arcanæ seruant tabulata catastæ,
Et quos non populus nec mea turba videt.
Inde satur mensas & opertos exuit orbes,
Expositúmque alte pingue popposcit ebur.
Et testudineum mensis quater hexaclinum,
Ingemuit citro non satis esse suo.

Consulu

Consúluit nares an olerent æra Corinthon,
Culpauit statuas & Polyclete tuas.
Et turbata breui quæstus christallina vitro,
Myrhina signauit, sepositque decem.
Expendit veteres calathos, & si qua fuerunt
Pocula, Mentoria nobilitata manu.
Et virides picto gemmas numerauit in auro,
Quicquid & à niuea grandius aura sonat.
Sardonicas veros mensas quæsiuit in omnes,
Et precium magnis fecit Iaspidibus.
Vndecima lassus, quum iam descenderet hora,
Asse duos calices emit, & ipse tulit.

Psaphon quidam in Lybia honores diuinos affectans, aues sermonis humani dociles edocuit, μέγας θεὸς Ψάφων, id est, magnus deus Psaphon, illas emissas vocem verbáque pronunciasse per nemora, atque alias aues eadem verba didicisse. Lybes commenti huius insci, diuinitus id accidere fierique putantes, Psaphonem in deorum numerum constituunt.

Eunus Syrus, simulato in Sicilia fanatico furore, dum Syriæ deæ ceremonias iactat, ad libertatem & arma seruos quasi numinum imperio concitauit. idq; vt diuinitus fieri probaret, in ore abdita nuce, quam sulphure & igne stipauerat, leuiter inter verba flammam inspirabat. hoc miraculo duo millia ex obuiis, mox iure belli refractis ergastulis, quadraginta amplius millibus contraxit exercitum. Posthumius consul, in oratione quam habuit de tollendis Bacchanalibus: Nihil, ait, in speciem fallacius, quàm praua religio: vbi deorum nutus prætenditur, celerius subit animum timor.

Marcius è plebe Boiorum diuinitatem simulans, concitarat octo millia hominum in Romanos: sed captus, feris obiectus est. Glaucus apud Platonem de Republ. extrema, ait, iniustitia est, iustum videri eum qui non sit iustus.

L. Iunius Brutus, filius Tarquiniæ, sororis Tarquinij Superbi, primoribus vrbis occisis, & cum illis eius fratre, vesaniam assimulare, quò sibi prospiceret, cœpit. ductúsque Delphos ludibrium potius quàm comes Tarquiniis, oblatis Apollini donis, cœpit Tarquinios libido sciscitandi à deo, ad vtrum eorum Romanum regnum fato spectaret. ei, inquit vates, qui primus matri osculum dedisset. properantibus illis ad matrem, Brutus casum simulans, telluri osculum dedit, respónsúmque impleuit. pulsis enim Tarquiniis, ipse consul creatur.

Alcibiadem non tam virtute, quàm nutritæ barbæ prolixitate, grauí supercilio, tardóque ingressu authoritatem nactum, Phocion testem Populo, quum parum sibi crederetur, exhibuit. sed is populo vt assentiretur, veritatem fraudauit. Phocion verò continuò propius accedens, illiúsque barbam ceu mulsurus apprehendens, Quàm decuerat, inquit,

hanc barbam, boni viri insignia, antequam mentireris, deposuisse.

Pisistratus voluntariis vulneribus domi affectus, in medium progreditur: aduocatáque concione, principum crudelitatem causatur. plebique credulæ, quod vellet, suadet. Ab ea igitur satellites in corporis custodiam accipit, paulatimque tyrannidem occupauit.

Vespasianus in Cerulum libertum admodum diuitem, sed qui ob subterfugiendum ius fisci ingenuum se profitebatur, mutatóque nomine Lachetem vocari iusserat: vrbanè iocatus, ὦ λάχης λάχης ἐκ τῆς ἀρχῆς ὡς λάμυρος. id est, ὁ Laches Laches, postquam mortuus fueris, statim vt in principio habeberis Alcyon: nam λάμυρος alcyon est, & ad nomen ceruli alluſit.

Nero imperator principatus initio animi latens vitium quum dissimularet, Bruto præfecto instante, vt scriberet in quos & quali causa velit animaduerti, distulit: sed instans impensius ille, chartam protulit vt scriberet. Tum Nero: vellem, inquit, nescire literas. ex Seneca, qui ait in prouerb. Malus vbi bonum se simulat, tunc est pessimus. Ouid. de Remed. Qui nimium multis Non amo dicit, amat.

Adolescente de modestia & parcitate importunam habente orationem, exurgens quidam: tacebis ne, inquit, hodie, diues vt Crassus, viuens vt Lucullus, loquens vt Cato?

Festiuum est illud Quintil. in ficta declamatione: Iuuenes qui conuiuere solebant, constituerunt, vt in litore cœnarent: vnius qui cœnæ defuerat, nomen tumulo quem extruxerant, inscripserunt. Pater eius à peregrinatione rediens, quum in idem litus appulisset, lecto nomine, laqueo vitam finiuit.

Megadoro diuite apud Plauti Aul. ab Euclione paupere scisitante an valeret, dicentéque vti imperaret, si quod opus esset: facetè Euclio, altera manu, ait, fert lapidem, panem ostentat altera: Nemini credo, qui largè blandus est. diues pauperi, vbi manum ingerit benignè, ibi onerat aliquam zamiam. Ego istos noui polypos, qui vbi quicquid tetigerint, tenent.

Ammianus Satyrus, quidam ait, exceptus hospitio à rustico hyeme sæuiente, manúsque ori admotas insufflante, rogat quid ita faceret? dicente illo, vt frigidas manus calido spiritu calfaceret: tacuit. vbi verò in pultem feruentem rursus ille inflaret, rogatus ait, frigido spiritu se illâ frigefacere. tum Satyrus exurgens, quid audio, inquit, túne eodem ore pariter & calidũ & frigidum efflas? atq; cum iis dictis incœnatus abiit.

Martialis in Amianum:

O quàm blandus es Amiane matri,
Quàm blanda est tibi mater Amiane:
Fratrem te vocat, & soror vocatur.
Cur vos nomina nequiora tangunt?
Quare non iuuat hoc quod estis esse?
Lusum creditis hociocúmque? non est.

Matr

Matrem, quæ cupit esse se sororem,
Nec matrem iuuat, esse, nec sororem.

Morpheus in omnes formas se conuertebat. item Vertumnus, Protheúsque.

Himereus Chison, quum certaret cum Alexandro cursu, secundus esse de industria voluit. id molestè iracundéque tulisse Alexandrum ferunt.

DE SERMONE ET ORATIONE. II.

Qualis sit futurus sermo, Cicero in Officiis fusius narrat. Illud apponendum censui, vt sit sermo, in quo Socratici maxime vigent, lenis, miniméque pertinax. Insit in eo lepos. nec verò tanquam in possessionem suam venerit, excludat alios.

Sparsus declamator nimis durè dicebat licet violenter. In eum Oscus declamator contumeliosius inuectus, ait: tu potes controuersiam intelligere, qui non intelligis te laterem lauare?

Anneus Seneca in Epist. 5. monet orationem fore non nimis concitatam, nec nimium tardam: sed melius est tardiloquam quàm concitatam esse: Ciceronémque vocat gradarium, in ea epistola quæ quadragesima est, in qua sunt multa scitu digna. monet præterea Cicero, eo debere nos vti sermone qui nobis notus est, ne vt quædam Græca verba inculcantes, iure optimo irrideamur: Alexander Maced. ceruice inclinata erat celer in loquendo. Plut. in Adul.

Apud Apuleium 9. hortulanus asini ipsius dominus, rediens ex amici domo, inuentus à milite in agro, rogatus quorsum asinum vacuum duceret, ignarus sermonis latini non respondit. miles magis indignatus, illum deturbat. iterúmque subiiciens, quò, inquis, ducis asinum istum? respondit Hortulanus, repetere proximam ciuitatem, quum ab vrbe rediret. Romani quum per Agellinæ vrbis agros facerẽt iter, interrogarunt oppidanos quo nomine vrbs vocaretur. illi, vtpote Græci, salutationem putantes esse, non interrogationem, χαῖρε, id est, salue responderunt. vnde factum est vt Romani Chære vrbem appellatam putarent, atque detracta aspiratione postea Cære.

Cleomenes Samiorum legatis rogantibus, vt aduersus Polycratem tyrannum bellum gereret, ac propterea longiore vtentibus oratione: quæ, inquit, à principio dixeris, non memini, & idcirco ne media quidem intelligo sed postrema non probo. Plut. Apophth.

Socrates dicebat, qualis cuiusque animi affectus est, talis est homo: qualis autem ipse homo esset, talem esse eius orationem: orationi autem facta similima, factis vitam.

Themistocles quum Xerxem adiisset, essétque ab illo inuitatus ad dicendum, ait, sermones hominum peristromatis versicoloribus persimiles esse. Etenim vt in illis quum extenduntur, ita & in iis formas figuráque apparere: contractis autem, easdem oculi atque cor-

rumpi. quare tempore opus esse.

Crates Stilbonis auditor, quum vidisset adolescentem secretò ambulantem, interrogauit quid ille solus faceret: mecum, inquit ille, loquor. cui Crates: Caue, inquit, rogo, & diligenter attende, ne cum homine malo loquaris.

C. Cæsar in 1. de Analogia lib. monet, verbum inauditum atque insolens fugiendum esse veluti scopulum. Gellius ait Phauorinum dixisse adolescenti. Macrobius ad Auienum, Viue, ait, moribus præteritis, vtere verbis præsentibus. Veniam concedendam mihi puto, si vt historiam recenserem, ea verba quæ apud veteres non reperiuntur, vt Cardinalis & huiusmodi apposui.

Socrates sæpe inter loquendum agente in orationis vehementia, iactare digitos solebat, & sæpe crines vellere, non sine circunstantiũ risu. Heracliti lib. nimium quum essent obscuri, vrbanè Socrates ad illius libros intelligendos opus esse ait Delio natatore quopiam. Martialis: Non lectore tuis opus est, sed Apolline libris.

Telenicia echo, de fatua oratione dicitur: sic enim vocant inanium vasculorum sonum, à Telenico pauperrimo. Oratio magis blanda quàm frugifera, Agathonia dicitur, ab Agathone tibicine molliore quàm deceret: Apparatam verò, & quasi tragicam, ampullas & sexquipedalia verba dicunt.

Sermonem, ait Seneca, animi esse imaginem, & Dionysius Halycar. Persius Satyra quinta:

--Pulsu dignoscere cautus,
Quid solidum crepet, & pictæ tectoria linguæ.

Corrumpunt bonos mores confabulationes pessimæ, ait diuus Hieronymus, ex Menandro.

Adolescenti veterum verborum cupidissimo, & pleráque voces exoletas è cõmunibus sermonibus expromenti, Phauorinus philosophus vrbanè ait: Curius Fabricius & Coruncanius, antiquissimi nostri, & iis antiquiores Horatij illi trigemini, planè & dilucidè cum illis fabulari sunt: neque Auruncorum aut Sicanorum aut Pelasgorum, qui primi incoluisse Italiam dicuntur, sed ætatis suæ verbis locuti sunt: tu autem quasi cum matre Euandri loquaris, sermone multis annis iam desito vteris. sed antiquitatem placere ais, quòd bona, sobria, modesta sit. vtere ergo moribus præteritis, loquere verbis præsentibus.

DE SCRIPTIS. III.

Augustus Aiacem tragœdiam scripserat, eandémq; quòd sibi displicuisset, deleuerat. rogatus ergo à L. Grauio tragœdiarum scriptore, quid faceret Aiax suus? vrbanè, In spongiam, inquit, incubuit.

Quum Labieni scripta ex senatusconsulto comburerentur, Cassius Seuerus Labieni amicissimus, facetè: Nunc, inquit, me viuum vri oportet, quòd libros illos edidi.

Archi

Archilochi poëtæ scripta, quòd parum erant pudica, Lacedemonij exportari iusserunt.

Ante chartarum vsum scriptitasse veteres in tabellis cæratis, quas stylo ferreo excauabant, vel ex hoc liquet: quòd stilum figere, vel stilo appetere, signant scriptis aliquem insectari.

Antigonus senex sophistæ libellum de iustitia editum porrigenti: Stolidus es, inquit, qui quum videas me alienas vrbes deuastantem, de iustitia sermonem audes facere.

Theocritus in scribendo immorabatur. Rogatus verò cur non aliquid scriberet: Quia, inquit, non possum vt volo, vt autem possũ nolo.

DE SERVIS, EORVMQVE, ingenio IIII.

Regis cuiusdam libertus ad nouas diuitias nuper euectus, quum philosophos ad conuiuium congregaũet, irriderét que illorum quæstiones minutulas: ac se scire velle dixisset, cur ex nigra & alba faba pulmentum vnius coloris ederetur, quispiam ex illis, Tu nobis, inquit, absolue, cur ex albis nigrisque loris similes maculæ gignantur?

Teuropidas senex in Plauti Mostell. quum gratias Neptuno habere se diceret, quòd esset vndis ereptus, proposuisséque, nunquam deinceps se nauigaturum: Tranio illius seruus festiuè subdit, ædepol Neptune peccauisti largiter, qui occasionem hanc amisisti tam bonam. & quum ille dixisset, triennio pòst Aegypto venio domum, credo exoptatus familiaribus: excipiens Tranio ait, Nimio pol ille potuit expectatior venire, qui te nunciaret esse mortuum.

Idem Tranio, quum Teuropidæ hero venienti persuasisset, ne domum intraret laruis occupatam mortui cuiusdam ab hospite occisi, persuasissétque vt aufugeret, Herculémque inuocaret, atque fugiens dixisset, Te Hercule inuoco: facetè Tranio, Et ego, ait, tibi hodie vt det senex magnum malum.

Idem Teuropidas dolens filium ex bonis moribus in malos coniectum, quum rogaret Tranionem, dicerétque, Loquere cuiusmodi reliqui, quum hinc abibam, filium? facetè Tranio: Cum pedibus, ait, manibus, digitis, auribus, oculis, labris.

Milphio seruus apud eundem Plautum in Pœnulo, iussus ab Agarostocle, vt Adelphium sibi iratam meretricem placaret, dixissétque meretrici, Mea voluptas, meę deliciæ, mea vita, mea amœnitas, meus ocellus, meum labellũ, mea salus, meum suauiũ, meum mel, meum cor, mea colustra, meus melliculus caseus: Agarostocles indignatus, illumque cædens, Dicere (ait) debebas sceleste, huius voluptas te obsecro, huius mel, huius cor, huius labellũ, huius lingua, huius suauiũ, huius colustra huius dulciculus caseus facete Milphio subdit ad meretricẽ: obsecro herculè te voluptas huius. atque odiũ meũ: huius amica mammea ta, mea inimica & maleuola: ocule huius, lippitudo mea: mel huius, fel meum,

meum, vt huic irata ne sis.

Sylla victor, quum inter proscriptos apposuisset etiam Sulpitium Ruffum, qui in tribunatu suo Syllæ impensius obstiterat, accepisset q; Sulpitium à seruo proditum: seruum manumisit, vt fides edicti extaret. Cæterum proditorem è saxo Tarpeio cum pileo illo per scelus parto præcipitari iussit. Vt dixi in capite de Proditoribus.

Seruus herum suum, quòd aurum celauisset contra edictum, accusauit: præmissoq; tribuno aurum indicauit. adductis ad Brutum ambobus, herus tacitus perstitit. Mater vt filium seruaret sequens, clamitabat à se abditum esse aurum. seruus à nemine rogatus, vt mentientem arguebat: instantiúsque filium occuluisse asseuerabat. quum serui petulantiam Brutus indignaretur, iuuenem ex silentio, & matrem ex pietate commiseratus, illæsos dimisit, aurúmq; quod attulerant secum auferri iubet. Seruum verò tantopere in heros insultantem, cruci affixit: Callist. lib. 49. Digest. ait: Seuerus Augustus constituit, ne serui delatores dominorum audiantur, sed vt pœna coërceantur.

Cinna per præconem edixerat, vt quotquot ad eum confugerent serui, libertate donarentur. id quum esset factum, magnáq; copia ad eum confugisset: cœperunt per domos discursare, bona rapere, in dominósque etiam sæuire. moniti à Cinna, quum non desisterent, eius iussu à Galatis ad vnum cæsi sunt.

Carthaginensium obsides Setiæ custodiebantur. cum iis vt principum liberis magna vis seruorum erat: quum coniurassent Seianos aggressuros ludorum mox futurorum die, serui duo ante lucem ad L. Cornelium Lentulum prætorem venientes rem aperiunt: Delectis igitur duobus hominum millibus Setiam omnibus ignaris venit, atque de illis sumptum est supplicium.

Aterius in Antonij proscriptione latitans, à seruo proditur. qui liber factus statim herilibus filiis bona ademit, contumeliis quoque insectans. Illi quacunque gradientem taciti ac flentes sequebantur. Eam rem detestatus populus, triumuiris rem detulit. Hi fortunis abundantem in proscripti filiorum seruitutem redegere.

Quot seruos, tot esse nobis hosteis, prouerbio veteri iactatum est. Plato: Nihil integrum neque sanum habet animus seruilis nihil oportet credere iis hominem qui sapiat. siquidem poëta doctissim. ait dimidio mentis seruos à Ioue priuari.

Phœnices terræmotibus vexati, è patrio solo cedentes Tyrum condidére, Persas profligarunt. sed attritis, vt fit bellis, viribus, serui in dominos coniurant, vrbem occupant, coniuges ducunt, præter vnum boni ingenij, qui & domino pepercit, & etiam seruauit, (Stratoni nomen illi erat.) quum igitur de creando rege deliberarent, in eam sententiam venerunt, vt is crearetur, qui solem prior orientem aspexisset. seruus collocutus cum hero Stratone consiliũ reportauit, vt quũ omnes orientalem partem spectarent, ipse occidentalẽ intueretur. visus est Strato furere.

furere. vbi verò illuxit, spectantibus aliis ortum, ipse tectorum culmina aspiciens, solẽ prior indicauit. Non seruilis ingenij ratio visa est. Patefacta igitur re, laudato Stratonis consilio, regem Stratonem creant.

L. Crassus Cn. Carboni diem dixerat. illius seruus scrinium domini, in quo essent plura quibus Carbo facilè opprimi posset, ad Crassum attulit. qui signatum, vt erat, scrinium, vinctúmq; ad Carbonem remisit.

In Antoniana proscriptione, seruus, quum inornatè villæ esset antro, percussores conspicatus, herum in antri profundum occuluit. ipse herilibus sumptis vestibus, se esse dominum assimulauit: prôque hero occubuisset, nisi conseruus indicasset.

In eadem proscriptione Restionis seruus à domino in multis benignè habitus, ob nequitiá mq; tandem notis ab illo barbaricis inustus, herum latitare accipiens in palude, præsto affuit. conterrito ex occursu Restioni ait: Nunquid, ô here, me magis præsentium stigmatum, an priorum beneficiorum putas reminisci? Et iis dictis in speluncam abdito, cibaria requisiuit: suspicionéq; de spelunca oborta, appropinquãtibus armatis senem prætergradientem conficit, absciditque caput. comprehendentibus verò, vt viatoris interfectorem, militibus: Restionem, inquit, meum herum occidi, qui mihi hæc stigmata inusit. illi capite adempto, ob præmij spem in vrbem detulere. seruus interim excitato hero, in Siciliam cum illo enauigauit.

Appion dum in stabulo quiescet, accurrentibus armatis, seruus vestem eius induit, & pro hero in lecto accubãs, mortẽ pro illo subiit, hero interim serui in morem sibi assidente, ex App. libro quarto. Valerius Panopionem hunc vocat: in alterutro mendum est. Addit Valerius, annulum commutasse, quod de Vrbino dicemus.

In eadem proscriptione Menenij domum inuadentibus armatis, seruus heri lecticam ingressus, aliis conseruis operam nauantibus elatus, Menenij loco occiditur, ipse interea in Siciliam fugit.

Lucretius fugiens in sepulchro cum seruo latuit. pollinctoribus verò sepulchra perscrutantibus, seruus vltrò vt caperetur se obtulit, donec Lucretius fugeret. Vlysis subulcus apud Homerum, in domini nomine lachrymatur.

Cæsare Corfinium obsidente, Domitius, qui eo in oppido erat, medico eidémq; seruo mandat, vti venenum diluat: cũctabatur seruus. actus verò à Domitio stimulis, medicamentum innoxium tribuit: quo consopitus est Domitius, captúsq; à Cæsare, ac seruatus.

Vrbinus in Reatino quũ lateret, proditis latebris, vnus ex seruis annulo vestéq; eius insignitus, in cubiculo pro domino iacuit, ictúmque excepit. Vrbinus postea conciliatus, monumentum seruo fecit, addito titulo qui tantam rem diceret.

Aesopus Demosthenis libertus, conscius adulterij quod cum Iulia patronus admiserat. tortus diutissimè perseuerauit: nec patronum prodidit, donec ipse Demosthenes fassus est.

Labie

Labienum latentem, nullo tormentorum genere compelli potuerunt, vt indicarent liberti.

Cæpio damnatus quòd in Augustum conspirasset, à seruo ad Tyberim in cista delatus, peruectúsque Hostiam in agrum Laurentem, ad villam patris nocturno itinere perductus est, atque inde Neapolim, ibíque occultus est. seruus verò à Centurione exceptus, nullis tormentis potuit cogi, vt dominum proderet.

Asinio Pollione acerbè cogente Patauinos, vt pecunias armáq; conferrent, dominis ob hoc latentibus, præmio seruis cum libertate proposito qui dominos proderent: constat seruorum nullum victum præmio, ad dominos prodendos.

Grumentum, quum obsidione premeretur, serui relicta domina, ad hostes trãsfugerunt: capto Grumento, impetum in domũ fecerunt, dominámq; protraxerunt vultu pœnam minitante, vocéque obuiis asserente: tandem datam esse illis copiam crudelem dominam puniendi. raptámque quasi ad supplicium, obsequiis plenis pietate tutati sunt. Meritò igitur nullam possessionem in vita iucundiorem seruo beneuolente reperiri, Menander dicebat.

Cluentium Pelignum à suis cohortibus compræsum, ne Pompeio traderetur, seruus occidit: seq;, ne superstitẽ domino faceret, interemit.

C. Gracchum ex Auentino fugientem, Euphorus seruus, vel, vt quidam tradunt, Philocrates, dum aliqua spes salutis erat, tutatus est, comes indiuulsus: deinde super occisum, scissis proprio vulnere visceribus, animam efflauit.

Seleuci regis seruus, quum seruiret amico eius, à quo dominus fuerat confossus, cœnantem in vltionem domini occidit.

Anaxilaus Rheginorum tyrannus, qui Messanam in Sicilia condidit: Micitho seruo moriens paruos filios commendauit. is tutelam sanctè gerens, obtinuit clementer, vt Rhegini ab eo regi sinerent. Adultis deinde pueris imperium tradidit; ipseque paruo viatico sumpto, in Olympiam abiit, ibíque consenuit.

Seruus quidam Cassij Pindarus nomine, occiso ex iussu eius Cassio, gladio incubuit.

In Antoniana proscriptione seruus quidam herum in tumulo constituerat, ipse ad mare vt ratẽ conduceret descenderat, Reuersus, quum herum percussum offendisset adhuc spirãtem: sustine parumper, ô here, inquit, & aggressus tut marũ ducem interemit. post quem seipsum confodiens, ad herum conuersus: solamen, inquit, ô here suscepisti?

Cornutum à Mario morti destinatum, serui quum occuluissent, cadauer cuiusdam ex cæsorum multitudine collo imponentes, aureóque annulo decorantes, ficto funere illud satellitibus Marij ostendunt, tutumque dominum præstiterunt.

M. Antonius ab Octauio victus, quum Eroti seruo imperasset, vt eum conficeret: seruus gladium tenens, quasi Antonium percussurus, ob pietatem gladium in se ipsum conuertit, spectantéque domino vitam efflauit.

Capta à Senonibus vrbe, sedatóque Gallico bello, quum esset ciuitas omnibus viribus exhausta: finitimi inuadendi Romani nominis opportunitatem aucupati, præfecerunt Posthumium Liuium Fidenatiũ dictatorem: qui per mandata Romanis missa postularunt, vt si vellent reliquias vrbis manere, matres familias sibi & virgines dederent. Patres igitur in ancipiti quum essent deliberatione suspensi, ancilla nomine Tutela, seu Philotis, pollicita est se cum cæteris ancillis sub dominarum nomine ad hostes accessuram. habitúq; matrumfamilias virginúmq; sumpto, hostibus cum prosequentium lachrymis ad fidem doloris traditæ sunt. quæ à Liuio in castris distributæ, Veiis plurimo vino prouocatis, soporéque effusis, ex caprifico castris proxima signum Romanis dederunt, qui repente adorti superarunt.

Serui bello Punico voluntate sua militare polliciti sunt, vnde volones dicti. Post Cannensem cladem octo milia seruorũ militiæ ascripti sunt, vt post cladem ad Thrasimenũ libertini. Militarũt & sub Cæsare, Augustóque Apud Parthos maior exercitus pars ex seruis constat.

Diogenes Cynicus rogatus, cur mancipia Andrapoda sint appellata: quia pedes, inquit, habent virorum, animum autem quem tu modò habes qui hæc interrogas.

Lacon seruus, quũ venderetur, quodam dicente, frugi eris, si te emero? Etiam si non emeris, inquit.

Chij primi omnium instituerunt, vt heri seruis mercenarijs vterentur. Plin. ait, seruitia inuenisse Lacedæmonios omnino apud Græcos. vnde Dauorum Getarúmque nomina seruilia apud illos plurimum abundabant. Apud Hebræos in iubileo, qui erat quinquagesimo quoq; anno, manumittebantur.

Donabantur in manumissione pro rude pileo, & caput radebant: vnde serui pileati. Plautus: Di faxint, vt hodie raso capite caluus capiam pileum. Tyberii pater frustra seruos ad pileum vocauit, ait Tranquillus. Liuius: Postero die serui ad pileũ vocati, & carcere vincti emissi. L. Cinnà, quòd seruos ad pileum vocasset, hostes vicit. Manumittebantur aut cẽsu, aut vindicta, aut testamẽto. vnde apud iurecõsultos pileati funus domini sequebãtur. in quo leguleij cespitãt. Reperio etiã pileatos dici seruos, venum ire solitos, quorũ nomine venditor nihil præstaret. atque huiusmodi venditionis pileum esse signum, sicut corona captiuorum, quia coronati vendebantur captiui. apud Parthos seruus nullus manumittitur. In insula Taprobane nulli sunt serui.

In Saturnalibus omnis licentia seruis permittebatur, in quibus domini seruis dapes apponebant, vt matronæ in altero illorũ festo mensis Martij. Ancillarum festum nonis erat Iuliis, quæ nonæ Caprotinæ dictæ sunt.

Seruorum pedes creta liniebantur, Plinius de cretæ generibus: Est, inquit,

inquit,& vilissima,qua circum præducere ad victoriæ notam, pedésq; venalium trans mare aduectorum donare instituerũt maiores: talémque Photium mimicæ scenæ conditorem,& Astrologiæ,consobrinum eius Manlium Antiochum, item Grammaticæ Taberium Erotem eadem naue aduectos videre proaui.Iuuenalis.

Nuper in hanc vrbem pedibus qui venerat albis.De receptitiis, dedititiisq; seruis,in Institutionum commentariis diximus.

Seruos à dominis occidi vetuit Hadrianus: eósq; seruos iussit damnari, qui per iudices digni essent,pronunciati. peccantibus olim multa erat,vt plaustri lignum quo temo affigitur,spectante vicinia ferens circum ageretur.quod vbi factum erat, infidus à domesticis & vicinis existimatus,furcifer vocabatur.

Vindicius seruus proditionem Vitelliorum Brutíq; filiorum deducendis Tarquiniis quia consuli indicauit,donatus est libertate. vnde orta est lex Vindicia,de qua apud prætores agebatur.Ea lege, vt ex Liuio potest intelligi,cauebatur,vt qui liber esset,non posset, per vim capi,aut vis inferri.Aduocati Verginiæ puellæ,ait,postulant, vt rem integram in patris aduentum differat: lege ab ipso lata vindicias det secundùm libertatem.neu patiatur virginem adultam famæ prius quàm libertatis periculum adire.

Seneca lib.6.epist.Sic ait,cum inferiore viuas, quemadmodũ tecum superiorem velis viuere,quoties in mentem venit quantum tibi in seruum liceat,veniat in mentem tantundem in te domino tuo licere.Philemon dicebat,nihil esse molestius seruo,qui plusquam oporteat sapit.

DE SVPERBIA, FASTV ET elatione animi. V.

THarsius Amphias, quũ ex hortulano potens esset factus, & in amicum quasi degenerem nonnulla dixisset: mox subiecit,Sed & nos ex eisdem seminibus sumus.

Chrysippus,quum in triumpho Cæsaris eburnea oppida essent translata, & post dies paucos Fabij Maximi lignea:vrbane,eas esse thecas oppidorum Cæsaris dixit.

Demetrius Phalereus in hominem fastu turgidum dicebat,altitudinem circuncidi oportere,sensumq; relinqui.

Antistheues, quum Platonem fastuosum insimularet, fortéque in pompa equum hinnientem frementémq; aspexisset,ad Platonem conuersus:Tu,inquit iudicio meo præclarus fuisses equus.

Idem ad eundem Platonem ægrum venerat, & quum vas vbi Plato vomuerat aspexisset.Bilem hic,inquit,video.fastum non video.

Lysander Agesilao suspectus, quum ab illo deterioribus quàm par erat muneribus afficeretur,rem ægrè ferens ait: Num Agesilae bene nosti minores amicos reddere?At ille,si velint me maiores effici.

Aesop

Aesopus à Chilone rogatus,quid faceret Iupiter?Excelsa,inquit,humiliat,& humilia extollit.

Artabanus dissuadens Xerxem ab expeditione contra Græcos,Vides vt prægrandia animalia fulmine deus feriat,ait, nec insolescere sinat,parua verò nihil lædat:vides,vt magna semper ædificia,magnáq; arbores huiusmodi fulminum tela percutiũt,gaudet enim deus eminentissima quæque deprimere.

Euphorbus Panthoi filius apud Hom.iactabundus Menelao mortem minitatur,nisi ascendat,exemplo Patrocli à se prius vulnerati:sed statim cum Menelao pugnans occiditur.

C.Caligula iratus cœlo,quòd obstreperet pantomimis quos imitabatur studiosius quàm sperabat,quódque commessatio sua fulminibus terreretur parum certis,ad pugnam Iouem vocauit.

Q.Flauius à C. Valerio reus factus proclamauit,innocentẽ se opprimi ab ædile,cui quum Valerius clara voce minacitérq; respondisset,nihil sua interesse,nocens an innocens periret,modò periret: Flauius à tribunis adiutus est.

In C. Cosconium damnatum,quum Valerius Valentinus accusator quædam carmina poëtico ioco recitasset,à iudicibus absolutus est.

Marcus Drusus trib.pleb.Philippum consulem,quia concionantem interpellauerat,adeò præcipitem in carcerem intrusit,vt multus sanguis è naribus funderetur.senatuíque,in curiam vt veniret inuitanti, respondit:Quare potius in Hostiliam curiam rostris propinquam ad me non venit?

Cn.Pompeius Hipseum nobilẽ sibíq; amicissimum ambitus dãnatum,ac amici opem implorantem,antéq; pedes prostratum,egressus è balneo non subleuauit.quin contumelioſa voce proculcatum,nihil eum aliud agere,quàm quòd conuiuium suum moraretur,respondit. Ciceronem ad se venientem postico fugit.Quanto illo Magno maior tu diue Pompei,qui nulli amicorũ,in re præsertim honesta,vnquam defuisti?

Cæsar vitam Pompeio Pœno dederat:deinde absoluto,agentíque gratias,porrexit ad osculandum sinistrum pedem.

Atraphaxis herba est, quæ celeriter in altum crescit.vnde prouerbium est in ventosos,mendax atraphaxis.

Superbiæ signũ esse ait diuus Hieronymus in epist.quum quis per digitorum crepitũ intelligi vult.Superbia taxatus est Lucullus,quòd in bello neque milites comitate,neque pares benevolentia amplecteretur,sed omnes pariter negligeret.

DE SILENTIO ET TACITVRNITATE. VI.

PYthagoras eum qui idoneus ad disciplinam erat inuentus,recipi iubebat silentio indicto.silentium verò imponebatur pro extimato captu solertiæ.is autem qui tacebat,quæ dicebantur ab aliis audiebat: neque perconctari si parum intellexerat,neque

quæ audierat fas erat commentari.sed non minus biennio quisquam tacuit.ex Gell.Seneca in epist.ad Luc.ait silentium fuisse quinquennale.Idem dicebat:aut tacendum,aut silentio meliora dicendum.

Zeno legatis qui à Ptolemæo aduenerãt,vt de illo regi aliqua nunciarent,rogatus cur in conuiuio tacitus sederet;nunciate,inquit,regi, adiisse quendam qui sciat tacere.

Xenocrates horas rebus agendis distribuebat,& ex iis vnã silentio.

Heraclitus Ephesius rogatus à quibusdam cur taceret,vt vos loquamini,ait.Cato iunior,quum à quibusdam de taciturnitate subtraheretur:vt libet,inquit,dum vitam non improbent.ego verò tum demum silentium meum abrumpam,quum talia dicere valebo; quæ non sint digna taciturnitate.

Amyclæ vrbs inter Caietam Terracinámque condita à Laconibus, Castoris Polluciſq; comitibus,silentio interiit.quum enim Amyclæis subinde nunciaretur hostium adùentus,falsóq;,& proinde sæpe inani terrore vrbs quateretur.cautum est,ne quis hostium nũciaret aduentum.venientibus autem verè hostibus,quum ob metum legum nemo nunciaret,de improuiso oppressa ac deleta est.Verg.10.de Camerte: Tacitis regnauit Amyclis.

Epaminundas Thebanus audiendi potius quàm loquendi cupidus erat:quòd sciret,ex auditione doctrinam, ex locutione pœnitentiam nasci.Solomon in prouerbiis:Stultus si tacebit,sapiens reputabitur.Simonidem nunquam quòd tacuisset,pœnituit:quòd locutus esset,sæpe.

Sermoni parci multis de causis salutare est.Triennio Mœcenatem Melissum accepimus silentium sibi imperauisse,à conuulsione reddito sanguine.ait Plin.

Coruus,qui antea candidus erat,quum Apollini,in cuius erat tutela nunciasset,Coronidem amicam esse in amplexu cum Thessalo iuuene,atq; accurrens Apollo ambos confecisset:facti pœnitens,coruum è famulatu remouit,atrúmque reddidit.

Cornix,quæ in Pallados erat patrocinio,quia Pandrasos,Herseatq; Aglauros illius famulæ,cistam in qua esset occlusus Erichthonius,cõtra præscriptum deæ aperuissent,rem dominæ nunciasset,non modò à tutela & ipsa Palladis pulsa est,sed noctua in eius opprobrium admissa.

Careo loquax volebat ab Isocrate oratore erudiri:sed is,Duplicem mercedem mihi dari,inquit,posco:alteram vt loqui,alteram vt tacere discas.

Clytie,quòd adulterium Leucothoes cum Apolline patri nunciasset,in heliotropium conuersa est.Celmus à puero altus à Ioue,quum nuntiasset Iouem esse mortalem,in adamantem conuersus est.

Apud Gallos in concionibus siquis obstrepat,minister stricto ense minitabundus silentium imperat.quod si nõ desierit,secundo,tertióq; facit.Denique si perseueretur,tantum abscindit è sagulo,vt quod reliquum

quum est reddatur inutile.ex Strab.lib.4.Ranæ rubetæ in populum aduectæ,silentium faciunt:ait Plin.

Harpocrates,quod erat simulacrum Isidis Serapísq;,os digito attingens,silentium imperare videbatur:próque deo apud veteres silentij habitus est.

Theocritus in Antigonum regem luscum obloquutus erat.quamobrem indignatus ille,Eutropioni coquorum magistro in centuria fortè constituto,mandat,vt Theocritũ iuberet apud se reddere rationem. Admonenti Eutropioni: Scio,ait Theocritus,quòd me Cyclopi crudum appones.obiectãs illi luscitiem,huic coquinãriam.Tum Eutropion,capite mulctaberis,inquit.& rem Antigono defert.ille mittit, qui Theocritum interficeret. Vide titulos de Linguæ ratione,& Loquacitate.

DE SENECTVTE. VII.

Theniensis quidam senex, quum in spectaculis senum non reciperetur ab aliquo:à Lacedæmoniis legatis,qui seniores cum primis venerabantur, receptus est.Tum Lacon: per deos,inquit, Athenienses sciunt quæ recta sunt,non autem faciunt.in Olympicis,quum à nemine senex reciperetur,præterquam à Lacedæmoniis: mouens caput barbámque senex lachrymabundus,inquit:Heu me misẽrum,vt Græci omnes nouerunt quæ recta sunt,sed iis soli vtuntur Lacedæmonij.

Quidam quum Spartam concessisset,vidissétque quantum honoris senibus ibi exhiberetur:Spartæ,inquit,solum senescere bonum est.

Antilochus apud Homerum,victus cursu ab Aiace grandioris ætatis viro:Nosti,inquit,amice,quòd etiam mortales,dij maiores natu venerantur.

Lacon quidã rogatus,cur barbam perquàm longam haberet: vt canos,inquit,videns,nihil indignum illis faciam.

Gorgias Leontinus,septimum & centesimum agens annum,rogatus quamobrem vellet tam diu in vita remanere?quia nihil,inquit,habeo quod senectutem accusem.Bion dicebat senectutem non esse improbandam,ad quam omnes venire cupimus.Plato in Sympos.ait:tũc mentis hominum oculos acutè cernere, quum corporis oculus defloreſcit.Plautus in trinummo.Sapientiæ ætas condimentum est,ait.

Cyrus apud Xenophontem moriens admodum senex,negat senectutem imbecilliorem factam,quàm adolescentia fuisset.

Afranius verò malam ætatem appellauit senectutẽ.Ait enim:mala ætas nullum habet delinimentum.Homericus Phœnix Achillis comes,præceptórque,malam ætatem etiam vocat.atque hinc mutuatus est Afranius.C.Salinator & Sp.Albinus in senectute deplorare solebãt, tum quòd voluptatibus carerent,tum quòd ab iis spernerentur à quibus esse coli soliti. Idem Homerus,modò morosam,modò loqua-

cem appellat. Bion item, portum omnium malorum. Terentius in Phormione, morbum appellat. quod mutuatus Ouidius: Subeunt morbi, tristisque senectus. Horatius Homerum imitatus, morosam in carminibus vocat. Iuuenalis:

Vsque adeò grauis vxori, natísque, sibique,
Vt captatori moueat fastidia Cossо.

Agamemnon Homericus Nestori ait: Optime senex, odiosa senectus te iam obruit. quanto foret satius, si qualis tibi mens, tale etiam corpus foret. Non omnia, ait Nestor, paritèr Dij hominibus dare consueuerunt. Cato seni libidini dedito: quid, inquit, senectuti quæ multa habet mala, etiam dedecus infamiámque addis?

Laberius poëta in prologo: Vt hedera serpens vires arboreas necat, ita vetustas amplexu annorum: quin sensus à senectute rapitur. Vergil. Omnia fert ætas, animum quoque. Aristot. in Polit. Post annos duodequinquaginta ingenij vigorem euanescere. sed Cato apud Ciceronem ait, manent ingenia senibus, modò permaneat studium & industria. In problematis Arist. ait, senes exacta vita ad initium pueritiæ recurrere: & hinc raritas capillorum, gingiuæ dentibus exarmatæ, balbuties eadem, imbecillitas cibi, iidémque mores, atque inter eos amor. quod mutuatus planè est ex Plat. de Regno: Prouerbio iactatum esse, senes bis pueros esse. Cicero inter mala senectutis, ait, multa videre quæ nolit. id mutuatus Iuuenalis, ait de Priamo, Longa dies igitur quid contulit? omnia vidit Euersa, & flammis Asiam ferróque cadentem. Plin. Tot periculorum genera, tot morbi, tot motus, tot curæ, toties inuocata morte, vt nullum frequentius sit votum. Natura verò nihil breuitate vitæ præstat melius: hebescunt sensus, membra torquentur, præmoritur visus, auditus, incessus, dentes etiam ac ciborum instrumenta.

Diogenes Cynicus rogatus, quid esset in vita miserum? senex, ait, egens.

Antipater Demadi iam seniori, vrbanè dicebat: velut ex immolata victima venter solus & lingua supereſt. Caspij, parentes septuagesimũ vitæ annum excedentes, inclusos fame necant.

Iosephus Ptolemæo regi Oeniam accusanti: veniam, inquit, quæso præsta. non enim te latet, senes puerósq; eandem mentẽ habere. Alexis comicus, iam decrepitus, rogatus quid ageret: paulatim, inquit, morior.

Hyperborei in vitæ tædio epulati, delibutiq;, de rupe nota sese præcipites in profundum mare destinant.

Romanis ad Alliam fluuium victis à Brenno Senonum rege, quum in vrbe soli quidam senes relinquerentur, ij in theatro sedentes, Gallos venientes expectarunt. Intacti primum à Gallis, qui rei nouitate primò obstupefacti fuerunt: sed postquam quidam fidens animi, iuxta Papyrium Martium stetit, manúq; mansuetè extenta barbam permulsit (prius enim tanquam deos fuerant venerati) Papyrius scipionem in capite

pite feriendo contriuit: barbarus stricto gladio illum cum cæteris necauit.

† P. Asellius Lucrius in Cæsaris tẽpora inuectus, monentibus amicis ne faceret, magnam sibi licentiam præbere respondit, senectutem & orbitatem. † Ceselio hoc adscribit Eras. li. 6. Apophth.

Pisistrato tyranno quærenti à Solone, qua spe fretus sibi tam audaciter obsisteret: respondisse dicitur, senectute.

M. Castritius Placentiæ magistratus, minante Carbone quòd obsides Placentinos non dedisset, ac dicente se multos gladios habere: at ego, inquit, multos annos.

Sertorius nactus Afranium castra depopulantem, facto impetu profligauit. Dein audiens Metellum aduentare, suos reuocat. At ego, inquit, puerum hunc, nisi venisset anus illa, castigatum verberibus domum remisissem. Vnde prouerbium, Annosa vulpes haud capitur laqueo. Elephãti gregatim semper ingrediuntur. ducit agmen natu maximus, cogit agmen ætate proximus.

Senectam longam multi nutritu mulsi tantum tolerauere, celebri Pollionis Romuli exemplo, quem centesimum annum excedentem, quum Diuus Augustus hospes interrogaret, quánam ratione maximè vigorem illum animi, corporísque custodisset, respondit: intus mulso, foris oleo. ex Plin. Qui etiam ait, ficus medicatas senibus meliorem valetudinem facere, minúsque rugarum. Senectus aquilæ, dicitur in eo sene, qui nimium bibit, ac penè suctu viuit. vt aquila rostro nimium in senecta curuato, ac ob id cibos sumere non valente.

Illud obiter apponendum: ex vetere brassicæ semine nasci rapa, & contrà ex raparum brassicas. Varro.

Sophocles quum propter nimiam senectã, ob rei familiaris negligentiam à filiis amentiæ accusaretur: Oedipi fabulã, quam nuper scripserat, iudicibus recitauit. tantúmque sapientiæ in ea ætate iam fracta specimen dedit, vt seueritatẽ tribunalium in fauorẽ theatri cõuerteret.

Tiberius imperator dicere solebat, ridiculum esse eum senem, qui supergressus annum sexagesimum, ad curationem manum medico porrigat.

DE SOMNO. VIII.

Somni species quinque sunt: somnium, visio, oraculũ, insomnium, visus. Apronio Saturnino inter subsellia dormitante monitum aiunt à Caio præconẽ ne prætorium virum, crebro capitis motu nutantem sibi, præteriret: nec dicendo finem fecisse, quoad tredecim gladiatores sestertium nonagies ignoranti addicerentur.

Crasso quum quidam dixisset, num tibi molestus sim, si ad te bene ante lucem venero? vrbanè Crassus, molestus non eris, inquit: sed iubebis te suscitari? At tu certè negaras te fore molestum, ait.

Epimenides missus à patre, vt ouem rure deferret: meridiano tempore diuertit ex itinere, atque in spelunca, vbi se iactarat, quinquaginta & septẽ annos perpetuo sopore acquieuit. Dein somno excitatus, quæsiuit ouem (se enim parum dormisse putabat) quam quum non inueniret, in agrum reuertit. quum verò faciem rerum omnium mutatam cerneret, agrúmque in alterius ditionem concessisse, stupore attonitus, cunctabundúsque rediit, in oppidum. Ibi quum domum vellet ingredi, rogatus quisnam esset, vix à iuniore, iam sene, dignoscitur.

Endymionis amore capta Luna, à Ioue patre impetrauit, vt perpetuum somnum dormiret. Phocæ, quos Latini vitulos marinos appellant, maximè dormiunt. item glyres.

Apud Indos, quoties rex dormitum concedit, homines tibiis canentes accedunt, precantes vt rex bonis vtatur somniis, & benignè beneque consulat subditis.

Philippus Macedo, quum interdiu dormiret, Græcíque ad fores conuenientes criminarentur illum: Nolite admirari, Parmenio inquit, si nunc Philippus dormit. nam quando vos dormiebatis, ille vigilabat. Cauillatores Scipionem somnolentiæ notauerunt.

Aristoteles in Oecon. de patrefamilias ait: Expergisci decet dominũ antè quàm seruum, cubitúmq; ire posterius, nec vnquam incustoditam esse domum, & ante lucem surgere: quod ad sanitatem & curam rei familiaris, & studium philosophiæ prodest quàm plurimum. Socrates apud Platonem in Rep. Labor, inquit, & somnus disciplinis sunt aduersi.

In Apollonia oues sunt soli sacræ, quas interdum ad flumen pastas, in antro noctu custodiendas à viris electis, diuitiis & genere inter populares, Apolloniatæ curant. Euenerat custodia Euenio. quum is obdormisset, lupi sexaginta ingressi antrum, oues confecere. Expauidus Euenius, curabat totidem emptas sufficere: sed non latuit res Apolloniatas: itaque Euenium, vt qui vigiliam obdormisset, visu priuarunt.

P. Cornelius Rufus, qui consul cum Manio Curio fuit, dormiens oculorum visum amisit.

Eumeus apud Homerum Vlysi ait: Non enim opus est ante horam dormire. multus namque somnus tristitiam affert.

Epaminundas quempiam è vigilibus somno oppressum (vigilias enim ipse circuibat) quum offendisset, gladio transfixit. increpitus autem læuitiæ: talem, inquit, eum reliqui, qualem inueni.

Aemilius in bello contra Persem, nocturnas vigilias sine armis fieri iussit, vt attentius vigilarent: & metu hostium sublata resistendi fiducia, aduersus somnum pugnarent.

Cato senior, eo milite sibi opus non esse dicebat, qui inter eundum manus, inter confligendum pedes agitaret: quíque stertendo, quàm hostibus inclamitando, longius sentiretur.

Cneo ab Ausidio oculis capto, prætorio eruditóque viro sæpe audiebam, quum se lucis magis quàm vtilitatis desiderio moueri diceret: somnum

somnum denique nobis, nisi requietem corporibus, & medicinam quãdam laboris afferret, contra naturam putaremus datum, aufert enim sensus, actionémque tollit omnem, ait Cicero de Finibus.

Atilius Buta prætorius, quum de die noctem faceret, atque propinquante penè luce cœnaret, quum eius carmina Montanus recitaret, dicerétque,

Incipit ardentes Phœbus producere flammas,
Spargere se rubicunda dies,—

Varus eques Romanus exclamauit, Incipit Buta dormire. atque quum idem diceret,

Iam sua pastores stabulis armenta locarunt,
Iam dare sopitis nox pigra silentia terris
Incipit:

Tum Varus, Quid dicit? iam nox est? ibo & Butam salutabo.

Amilcar Carthaginensium dux, in Syracusana obsidione, inter somnium vocem audisse credidit, nunciantem vt postridie in vrbe cœnaret, lætus proinde, ac diuinitus promissa victoria, exercitum pugnæ comparat, in quo orta inter Siculos Pœnósque dissensione, castra eius Syracusani subita irruptione opprimentes, ipsum intra mœnia victum protrahunt. ita spe magis quàm sommo deceptus, captiuus Syracusis cœnauit.

Achilles apud Homerum: consulendum, ait, censeo augurem quempiam aut aruspicem, aut somniorum interpretem: siquidem ipsa quoque à Ioue ostenduntur insomnia.

Somniorum interpres apud Homerũ Eurydamas. primus omnium somniorum intelligentiam condidit Ioseph, Iudæ filius. ex Iustino.

In Epidauro Aesculapij sacellum est, in quo incubantes, ægritudinum remedia capessunt, monitis somniorum.

Claudius somniis tantã fidem exhibuit, vt quum quispiam dixisset, per somnos vidisse eum occidi, paulo pòst raptus ipse ad pœnas fuerit.

Eadem de causa Appium Syllanum oppressum aiunt, quia somniauerat ei ab Appio vim inferri.

Lucrio puer in milite Plautino rogatus à Palestrione, quid esset de Sceledro conseruo: facetè, quum vellet ostendere, ebrium illum ac dormientem naso strepere: dormit, inquit, non quidem naso, nam eo magnùm clamat.

Thasios duo vini genera facere aiunt: vnum, quo somnus conciliatur: alterum, quo fugatur.

Somni deus Mercurius putabatur. quapropter apud Homerum cubituri Pheacenses, Mercurio libabant.

Homerus somnium ferream mortem appellat: Vergilius mortis consanguineum, & alibi Hom. fratrem mortis: Cicero & Ouidius, imaginem mortis.

Theon Tithoreus Stoicus, in somnis ambulabat. Periclis seruus in

summo etiam tecto. Xenophon in venatione ait, lupos esse oculorum acie hebetes, somno enim animal nimis est deditum: quæ res nihil ad videndum prodest. Idem Xenophon ait, leporem palpebris clausis vigilare, apertis dormire.

Gorgias Leontinus, in extremo vitæ confinio deficiens, in somnum aliquem resolutus, rogatus à familiaribus quid faceret: iam, inquit, somnus incipit sorori me commendare.

DE SACRILEGIIS. IX.

ALexander negociatoris Protarchi filius, à Ptolemæo ad Syriam inuadendam, quæ rebellauerat, missus contra Ptolemæum, prælio commisso vincitur, fugitque in Antiochiam. atque ibi quum inops pecuniarum, stipendia militibus soluere non posset, è templo Iouis solidum signum tolli iubet, facetis iocis sacrilegium circunscribens (nam victoriam commodatam sibi à Ioue dicebat) Interiectis deinde diebus, quum ipsius Iouis aureum maximi ponderis simulachrum tacitè conuelli iussisset, depræhensus concursu multitudinis, in fugam versus, magna vi tempestatis oppressus, à suisque desertus, à latronibus capitur: perductúsque ad Gryphum, obtruncatur.

Ticinius adolescens, quum studiosè pila luderet diu, noctu verò signa sacra effringere putaretur: atque gregales quòd in campum non venisset, de illo requirerent: lepidè Terentius Vespa ad signorum fractionem alludens, quòd eum brachium fregisse diceret, ait.

Dionysius Syracusanus, fano Proserpinæ Locris spoliato, secundo vento classe vectus, ridens amicis, Videtisne, ait quàm bona nauigatio ab ipsis Diis immortalibus sacrilegis tribuatur.

Idem detracto Ioui Olympio magni ponderis aureo amiculo, quo eum tyrannus Hiero è manubiis Carthaginensium ornauerat, iectóque laneo pallio, dixit, æstate graue esse aureum amiculum, hyeme frigidum, laneum vtrique tempori aptum.

Idem Aesculapio Epidaurio barbam dempsit aureā, quòd affirmaret, non conuenire, patrē Apollinē imberbē, ipsum verò barbatū conspici.

Idem è fanis argenteas aureásque mensas, in quibus scriptum esset, bonorum deorum eas esse, sustulit: dicens, se deorum vti bonitate.

Idem victorias aureas, pateras, coronásque, quæ simulachrorum porrectis manibus sustinebantur, tollebat: & eas non auferre dicebat. perquàm stulti esse dicens, à quibus precamur, ab iis porrigentibus nolle sumere.

Laocoon Tymbræi Apollinis sacerdos, quum coram eius numinis simulachro vxorem iniisset, à serpentibus deuoratus est.

Herodes pecuniæ auidus, ad Dauid Solomonisque sepulchrum descendit, vrnásque inquisiuit etiam, si quid in eis argenti auríve occuleretur. duo eius satellites flammis exusti sunt: sed exterritus egreditur, próque piaculo monumentum constituit ex lapide albo:

Erisich

Erisichthon Thessalus, quum luci Cereri sacri quercum abscidisset, in eam famem ob rerum inopiam deuenit, vt Metram filiam venundare sit coactus, ac tandem in propria membra morsus adigere.

Hippomenes Atalantáque, quum in Cybelis sacello concubuissent, in leænam illa, hic in leonem conuertitur. Aiax Oileus, quia Cassandram in Palladis templo stuprasset, ab ea fulmine ictus, turbine correptus, scopulóque infixus acuto est.

Xerxes quum quatuor millia armatorum Delphis ad templum Apollinis diripiendū misisset, omnes imbribus fulminibúsq; deleti sunt.

Q. Fuluius, quòd tegulas marmoreas è templo Iunonis Laciniæ in ædem Fortunæ contulerat, desiit mente consistere, altero ex duobus filiis amisso, altero malè affecto.

Alladius Agrippæ successor, deos contemnens, fulgurum imitationes fragoréque tonitruis similes affinxit: sed imbribus fulminibúsque domum eius impetentibus, crescentéque vicino lacu, cum omni domo absorptus est.

Salmoneus sub fabricato æneo ponte, quum fulmina Iouis imitaretur, ac pluuias, verum fulmen expertus est.

Plemminius quòd thesaurum Proserpinæ expilauerat, coniectus in carcerem, graui morbo consumptus est.

Brennus Gallorum rex, cupiens Delphici Apollinis templum spoliare, auxilium Delphis ipso Apolline, Diana, Mineruáque præstantibus, omni exercitu à paucis fuso, ipse quum vulnerum dolorem ferre non posset, pugione vitam finiuit. Sacrum sacróve commendatum qui rapsit parricidia esto, dicit Cicero.

Sacrilegorum finem infelicem fore, Homerus indicat in Odyss. socij enim Vlyssis, quum contra religionē boues ex Iouis insula rapuissent, comedissēntque, mox nauigātes, procellis fulminéq; omnes occidūtur

Sybarita quidam quum seruum in agro cæderet, confugientémque ad aram seruum, amplexantémque nihilominus concideret, ex ira deorum breui Sibaritæ à Crotoniatis euersi sunt.

Cœpio consul quum aurum Tolosanum abripuisset, & ipse & exercitus cæsus est: noto prouerbio Auri Tolosani, sicut equi Seiani.

Minei filiæ quòd sacra Bacchi contempsissent, eiúsque in festo telæ incumberent, in vespertiliones sunt conuersæ.

Pyreneus pluuio tempore Musas ad Parnasum tendentes rogauit, vt ad eius tecta diuerterent, donec pluuia cessaret. hospitatis vim inferre voluit: cæterum illæ in aues conuersæ, per fenestras euolauerunt: quas quum sceleſtus insequeretur, præcipitem se dedit: capitéque terræ illiso, animam eructauit.

Niobe Tantali filia, quòd septem filios, totidémque filias ex Amphione marito suscepisset, se potius quàm Latonam venerandam esse contendebat. Quare indignata Latona, Apollinem Dianámque filios rogauit, vt pœnas de illa déque omni familia sumerent. illi itaque

filios omneis sagittis confixerunt: Amphion præ dolore ferrum in se vertit, Niobe in saxum versa est.

Ophiusam in Elephãtine Aetiopiæ, liuidã difficilémq; aspectu esse aiunt. Qua pota, terrores minásq; serpentium obseruari, ita vt mortem sibi eo metu consciscant, ob id cogi sacrilegos illã bibere, ait Plinius 4.

DE SECRETIS. X.

CYro ab Astyage victo, nauibúsque etiam naufragio omnibus amissis, milites Milesij fugientes, à Cariis Criassæ vrbis incolis misericordia motis, hospitati sunt. sed post modum timentibus Criasiis illorum potentiã, perdere eos cogitabant. sed Casena puella Nympheũ ardens, rem prodidit: ille ad suos vocatis igitur ad conuiuium Milesiis, Nympheus negociũ dedit mulieribus, vt tela intra vestem occulerent. in media cœna Carij Milesios inuadendi dant signum: sed illi abreptis à mulieribus telis, Carios ad vnum cædunt.

Philippidi comico poetæ ac familiari, quum Lysimachus dixisset: ecquis te rerum mearum participem facio? Cuiusuis, inquit Philippides, præterquàm secretarum. vt dictum est in cap. de Aulicis.

Cares ac Methrodates, qui Cyrum confecerant, iussi ab Artaxerxe, vt silentium præstarent, datis etiam præmiis (nolebat enim Artaxerxes dici, Cyrum à se occisum) quum non paruissent silentio impositio, mirabiliter à rege excruciati sunt.

Sisyphus, quia deorum secreta hominibus patefecerit, ea pœna apud inferos plectitur, vt saxum ingens ad cacumen montis vrgeat: quod iterum elapsum statim repetat.

Augustus Gallo à manu, quòd pro epistola prodita denarios quingentos accepisset, crura effregit.

Phineus, quòd cœlestia mysticáque deorum mortalibus aperuit, cæcatus est.

Tarquinius, Marcum Tullium duumuirum, quòd librum secreta ciuilium sacrorum continentem, custodiæ suæ commissum, corruptus, Petronio Sabino describendum dedisset, culeo insutum, in mare abiici iussit. Euripides insipientis ineptique esse viri dicebat, malam fortunam omnibus aperire: sed sapientis, tacere.

Cecilius Metellus, percunctante tribuno quid acturus foret. Si hanc, inquit, tunicam mihi conscium esse putarem, ipsam exutus in ignem coniicerem.

Battus quũm bouẽ à Mercurio accepisset, pro futuro silentio quarundam boum à se abactarũ, iuxtáq; occultarum: sumpta alia forma Mercurius, Batto pollicetur taurũ, si boues ostenderet. allectus auctore, rem indicat. qui in lapidem indicem à Mercurio commutatus est.

Quum ex Herculis æde patera aurea grauis surrepta esset, Sophocles in somnis vidit deum sæpe ipsum furem indicantem. quum igitur tandem in Areopagum nomen rémque detulisset, comprehensus ille, tortúsque, fassus est.

Alexand

Alexander Macedo, matris aliquando epistolam legenti secretam, quum Ephestion assidens, ingenua simplicitate adlegeret, illum non prohibuit: sed postea admoto annullo illius ori, quasi obstricta amici fide silenda obsignauit.

Tullius apud Dionysium, de Suffetij proditione, multis ait consciis, ne minimũ quidem temporis taceri secreta, innatum est hominibus.

Roma in cuius dei tutela esset, ideo constat occultatum, ne qui hostes simili modo agerent. Quod tacitum esse velis, nemini dixeris. si tibi non imperasti, quomodo ab aliis silentiũ speras? ait seneca. Ouidius:

Eximia est virtus præstare silentia rebus:
At contrà grauis est culpa, tacenda loqui.

Arcana patrum consilia tot seculis nemo senatorum enunciauit, præter Q. Max. Pabium de 3. Punico bello indicendo: qui Crasso, quem senatorẽ putabat, in itinere nunciauit, atque à consulibus obiurgatus est.

Consum, id est, consiliorum deum Romani appellabant, templúmque illi sub tecto in Circo posuerunt. vt ostenderent, tectum debere secretúmque esse consilium.

Cor bubonis impositum mammæ sinistræ mulieris dormientis, efficit vt omnia secreta mulier promat. Democritus tradit, si quis extrahat ranæ virenti linguam, nulla alia corporis parte adhærente, ipsáque demissa in aqua, imponat supra cordis palpitationem mulieri dormienti, quæcunque interrogauerit, vera responsuram. Ex Plin.

Bacchanalia allata primò in Ethruriam à Græco ignobili sacrificulo, vate sacrorumque antistite. is enim initia primus aduexit: quæ paulatim à viris mulieribúsque celebrata sunt, additis religioni vini epularumque voluptatibus ad animos alliciendos. Factum itaque est, & vini copia, & noctis occasione, vt miscti mares fœminis omnem pudorem deponerent. cœptę fieri omnis generis corruptelæ, permissa licentia voluptatum, quæ singulis gratæ essent stupra promiscua ingenuorum fœminarúmque erant: falsi testes, signa, testimonia, iudicia, ex eadem officina promebantur. item cædes intestinæ, venena, negata etiam cadaueribus sepultura. huius sceleris tabes Romam penetrauit, ac mox ex magna parte infecit. cœpta primò à mulieribus tantum celebrari, statutis tribus tantum ad initiandum diebus. matronæ sacerdotes creabantur. Pacullam deinde, Miniam. Esoponam sacerdotem omnia tanquam à diis admonitam immutasse: hæc enim prima filios initiauit, Minium & Herennium. Cerrinos Campanos, nocturnúmque sacrum ex diurno fecisse: & pro tribus in anno diebus quinos singulis mensibus destinasse. atque hinc factum, vt viri cum mulieribus initiarentur: ac nihil flagitij per noctem relinqueretur inausum. tam virorum stupra quàm mulierũ fiebant. qui minus patiẽtes erant pro victimis immolabantur. nam alligatos machinæ ex conspectu in abditos specus abiiciebãt. viros in iis, ceu fanaticos vaticinari, matronas crinibus passis bacchãtũ habitu cũ ardentibus facibus decurrere ad Tyberim demissásq; in

aquam

aquam faces, quia viuum sulphur cum calce inesset, integrã flammam afferre solitas. Post biennium institutum, ne quis 20. annis maior initiaretur. prodita sunt hæc scelera à Fescenia Hispala Posthumio consuli: qui auferenda curauit. conspirasse in sacris supta septem millia inuenta virorũ mulierúmq; capita. cõiurationis fuisse, M. Catanũ in plebe Rom. A. Falisc̃u, L. Opiternium, & Miniũ Cerrinum Campanum. factúmq; senatus consultũ, ne qua aut Romæ, aut in Italia Bacchanaliũ vestigia extarent. ex Liuio. Vide titulum, de Silentio ac Taciturnitate.

DE SPE. XI.

ARistoteles rogatus, quid esset spes: vigilantis, ait, insomnium. Seneca ait, spes est vltimum aduersarum rerum solatium. repete exemplum in capite de Libertate Alexandri.

Obsecrantibus Cæsaris amicis vt præsidio corpus munirer, multísq; ad id operam suam pollicentibus, negauit facturum: satius esse dicens semel mori, quàm assidua expectatione pendere. Senec. in epist. Nemo enim est tam timidus, vt malit semper pendere quàm semel cadere. Seneca à Cæsare mutuatus siue dubio est.

Martialis in Carinum:

Supremas tibi tricies in anno
Signanti tabulas Carine misi,
Hyblæis madidas thymis placentas,
Defeci, miserere iam Carine,
Signa rarius, aut semel fac illud,
Mentitur tua quod subinde tussis.
Excusi loculósque sacculúmque
Crœso diuitior licet, fuissem,
Iro pauperior forem Carine,
Si concham toties meam comesses.
Bias roganti cuipiam, quid esset dulce hominibus? Spes, ait.

Martialis in Vrbicum:

Hortatur fieri quod te lupus Vrbice patrem,
Ne credas, nihil est quod minus ille velit.
Ars est captandi, quæ nolis, velle videri:
Ne facias optat, quod rogat vt facias.
Dicat prægnantem tua se Cosconia tantum,
Pallidior fiet iam pariente lupus
At tu consilio videaris vt vsus amici,
Sic morere, vt factum te putet esse patrem.

Martialis se conqueritur spe destitutum de Numæ hereditate:

Dum leuis arsuro struitur libitina papyro
Dum myrrham & casiam flebilis vxor emit,
Iam scrobe, iam lecto, iam pollinctore parato:
Hæred

Hæredem scripsit me Numa, conualuit.

Dauid languescente puero quem ex Bethsamee susceperat, à cibo septem diebus abstinuit: mortuo filio, lætior visus est. rogantibus quid esset in causa: respondit: Dum in spe esset, illa omnia feciss̃e, vt Deum placaret: filio verò extincto, vanam esse tristitiam.

Herodes ad confirmandos aduersus Arabas suorum animos: Fallax, inquit, spes est, quæ non suis viribus nititur, sed alienis aduersis.

Cyrus apud Xenophontem: Nihil mihi videtur satius, quàm spem iniicere hominibus. Ouid. Spes bona dat vires.

Laberius eques Ro. quum in suburbano mille iugera haberet, & à caprario quodam, qui adduxit capellas ad vrbem, 10. sibi in dies singulos denarios dare audisset: coëgit mille capras, sperans se capturum de prædio in dies singulos denarium mille. sed tantum fefellit illum spes, vt breui tempore omnes morbo amiserit.

Thesprion apud Lucianum hæredipeta, conqueritur coram Plutone, Critum diuitem septuagenarium viuere, se verò 30. annorum mortuum esse. Cui Pluto ait: omnes qui mortem Crito optent alicui, ante illum morituros.

DE SVMPTIBVS. XII.

SVmptus pro honestate censúque faciendos, cùm alij, tum Cicero in Officiis monet.

Carillus rogatus, cur comam Lacedæmonij gestarent: quia ex omnibus, inquit, ornatibus hic minimè sumptuosus est.

Sumptuariam legem ad compescendam gulam tulit C. Orchius trib. pleb. qua conuiuarum numerus continebatur. post hanc fama lata est, quæ in fastis permittebat centum asses, reliquis autem diebus intrà tricenos alias, alias denos, Post hanc Didia, quæ totius Italiæ luxus comprimebat. post hanc Licinia, à Licinio Crasso lata, quæ tricenos asses permittebat: videlicet calendis, nonis, idibus ad cœnam: cæteris diebus pondo tantum tria carnis aridæ, salsamentorum pondo, quod ex terra, arbore, vitéve natum omne esset. licet alij dicant certis diebus centenos æris, nuptijs ducenos, cæteris diebus tricenos. Post hanc lex Cornelia, à Cornelio Sylla, in festis, feriis, ludis tricenos sestertios, cæteris diebus ternos. Aemilia gens ciborum modúmq; prę-finiebat. Iulia, à Iulio Cęsare lata, ea cauebatur, vt festis diebus bis centum nummi impenderentur: calendis, idibus, nonis, & aliis quibusdam festis diebus trecenti: nuptiis verò, repotiisque, id est, die illo quo apud nouum maritum cœnatur potatúrque, mille.

Mortuum vnguento perungere, asinique caput nitro lauare, pro inanibus sumptibus prouerbialiter dicitur.

DE

DE SAPIENTIA. XIII.

ENNIVS poëta Sapientiam Vsus Memoriæq; filiam vocauit. constat enim scientia & exercitatione. Eius versus sunt,

Vsus me genuit, mater peperit Memoria: Sophiam vocant me Graij, vos sapientiam.

Socrates, Leontéque Ponticus, nullum hominem, sed solum Deum dicebant esse sapientem.

Diogenes Cynicus ad sapientiam alludens, præconi inquit: Prædica, qui sibi dominum emere vult.

Pericle negociis intento, Anaxagoram ferunt omni cura destitutum, decrepita iam ætate, sponte mortē fame sibi cōscisce decreuisse. Eo nuncio permotū Periclem, ad eum supplicē venisse, omnéque preces lachrymis adiunxisse, nō illius, sed sua potius gratia, siquidē talem in Remp. socium consiliorum amitteret. Expirantem verò Anaxagoram dixisse, ò Pericle, & qui lucerna indigent, infundunt oleum.

Hanno è Pœnorum ducibus clarissimus, primus hominū leonem manu tractare ausus, ostenderéque mansuefactū esse. Damnatúsq; illo argumēto, quoniam nihil non persuasurus virtam artificis ingenij videbatur, & malè credi libertas ei, cui cessisset in tantum etiam feritas.

Appius Claudius nec publico nec priuato muneri defuit, quamuis cæcus. C. Drusi cæci domum compleri consultoribus solitam accepimus, quum quorum res esset sua, ipsi non videbant, cæcum adhibebant pueris nobis: inquit libro 5. Tusc. Cicero.

Eudæmonidas audiens philosophum disserentem, quòd solus sapiens esset bonus imperator: sermo quidem, ait, admirandus est: sed qui loquitur, nunquam tubæ sonitu fuit excitatus.

Aristippo postulanti à Dionysio pecuniam, quum ille diceret, dixisti, non egere sapientem: da, inquit ille, posteáque de his quæramus & quum accepisset, vidésne, ait, me non indigere?

DE SCVRRIS, ET HISTRIONIBVS. XIIII.

PERTINAX scurras turpissimorum nominum dedecora perferenteis proscripsit ac vendidit.

Cephisiodorus ac Pantaleon scurræ discedentes è vita, seorsum liberis prodiderunt, qua domus parte aurum occuluissent: eósque decepere.

Sertius Polensis festiuus histrio, hoc sibi epithaphium poni iussit: Viatores optimi, vel aduenæ, siue bini, siue singuli inceditis, siue turmatim, quod magis erit gratię affirmate gressum: nec miremini si moramini aliquantisper, Didascalus equidem fui, succinctus sermo dari vobis

vobis nō potest vt iuuat vobiscum esse, ac ab ore meo pendulos detinere, vt iunt semper. saxum hoc vos vocat. quid inquā? vt viuus assueui prudens, imprudēs mortuus. itē vos fallo, nam nō vos vocat, quod vacat ore: verum is quāuis cinis hic latet olim quomodo potuit? nunc huc vos vocari voluit, valuitq;. Hæc olim sua voluntas volentis vos legere hoc scriptum: Vah, quid loquor? immo sculptū, quàm ægrè veritas adhuc se mecum concilliat. nam neque hic atramētum vel papyrus, sed malleolo & celte literatus silex silens: Quid hic latet? quid, Ego efferri & effarigestio?

Sertius Polensis parasitus histrio vester festiuissimus hic cubo, hoc vnum quidem tandem sponte dictum verum est. siquis dubitat, hanc olfaciat humum: olet temetum, & florem vini veteris, quo satur, satis viuens vixi. At si vixi vitam tā vobis gratā quàm notam vrbi & orbi, & non minus munus à vobis impetro oportet, adeste mihi & fauete, dicéque huis vos subscribite & obsignate. siquis sibi vesicam onustam senserit, domum suam onus hoc reportet in cloacam: si verò festinus fuerit citerior vel vlterior, hoc loco pro religione se euacuet. qui non paruerit, hæc mulcta illi esto, teste altero careat. Canes quoque cæsi fustibus, edictum hoc sentiant: Affuistis, fauistis, & obsignastis. Videō quàm vos risum date: sitio, hui sentio dictum volui esse. Quid hoc est, quod tam faciliter istuc procedit veritas? profectò contagione mei sitit, ipsa & mihi supparasitatur, quam vltrò potum inuocati aduenit. Nunc si vrbani perhiberi vultis, & veritati supparasitanti & horrenti meo cineri cantiro piaculum vinarium festinato: Post valete, abite, in rem vestram viatores optimi, his nugis truffisque meis condonate.

Histriones omneis Ciceronis tempore Roscius antecelluit, qui nunquam discipulum potuit, quem laudaret inuenire: & quo spectante impudentes erant, qui agerent. Ex Cicerone de Orat.

DE SEVERITATE. XV.

CATO, quum pedibus in sententiam isset, vt Pompeius vnicus consul crearetur: habenti illi gratias Pompeio, respondit: Haud decere sibi gratias haberi. ob eum enim nihil se dixisse, sed ob Remp.

Idem Cato, quum cautum esset ne iudicibus laudes tribuerentur: vellétque contra legem, quam ipsemet Pompeius tulerat, laudare iudices, quòd socerum Scipionem defendissent: aures manibus sibi obstruit, ac dixit, nolle laudes præter leges audire.

Eidem fauenti Lucullo contra Pompeium, Pompeius Munatium misit, vt alteram è neptibus, vel filiabus, sibi, alteram filio matrimonio copularet. sed Cato iussit Munatium statim abire, Pompeióq; narrare, Catonem per mulieres capi non posse: sed beneuolentiam eius sibi gratam esse: & si recta faciat, amicitiam polliceri, quæ omni affinitate si

tate fidelior esset: obsides verò contra Remp. nequaquam daturum.

Alexander Seuerus imperator, quum quidam legatus vniones duos vxori eius per ipsum obtulisset, ponderis magnitudini sque immensæ, vendi eos iussit: & non inueniens precium, ne exemplum malum à regina nasceretur, si eo vteretur, quod emi non posset, in auribus Veneris eos dicauit.

L. Casius prætor, quum nimia in fontes vteretur seueritate, eius tribunal reorum scopulus vocabatur.

Milites qui in clade Cannensi hostibus cedentes fugissent, in Siciliá relegati sunt. edictúmque, ne in Italiam reportarentur, donec aduersus Annibalem pugnarent. Marcello verò aduentanti procubuere, militiæque exercitationem exposcebant. miseratus ille, ad senatum scripsit: à quo post multa agitata decretum est, Romanis ad Rempublicá ignauis minimè hominibus opus esse: Marcello tamen, si eorum vti opera voluerit, liceat, modò nullam virtutis gratia coronam aut præmium assequerentur.

M. Clodium, quia turpem cum Corsis pacẽ fecerat, senatus ad illos remisit: sed ab hostibus nõ acceptum, in publica custodia necari iussit.

Pescennius Niger imperator, ob vnius gallinacei rapinam decem commanipulones, qui de illo ab vno duntaxat rapto comederant, securi percuti iussit. fecisset que, nisi ab omni exercitu propè vsque ad metum seditionis esset rogatus. iusitque tamen, vt denorum gallinaceorum precia redderent prouinciali: addito eo, vt tota expeditione nemo ex illis focum faceret, neque coctum cibum sumeret, sed pane frigidisque vescerentur, appositis speculatoribus.

Alexander Seuerus, si quis de via in alicuius possessionem deflexisset, pro qualitate loci, aut fustibus subiiciebatur in conspectu eius, aut virgis, aut condemnationi, aut (si hæc omnia transiret dignitas hominis) grauissimis contumeliis, dicens: Visne hoc in agro tuo fieri, quod alteri facis?

Socrati Athenis accusato, quum Lysias defensionem à se compositam recitasset, essetque supplex, ac demissa: prohibuit illum recitare, & emori potius voluit, quàm à constantiæ gradu discedere.

Chares orator, quum in Phocionis supercilium inuectus, multis risum concitasset, in eum Phocion ait, hoc supercilium nihil mœroris vspiam nobis, ô ciues, intulit: at huius salibus & facetiis luctus est sæpenumero patriæ comparatus.

Catoni quum quispiam dixisset, Eamus deambulatum: atque Cato dixisset, Quid opus fuit de? vrbanè ille: immo vero, inquit, quid opus fuit te?

Plato Xenocratem Calcedonium eius discipulum vultu semper tristi, seruitutémque penè ostendenti, sæpe commonefaciebat, vt Gratiis sacra faceret: id est, vt comitate vteretur.

Idem Xenocrates, quum aliquando amœnum aliquid facetúmve protulisset, alioqui semper rigidus tristísque, admirantibus condiscipulis: quid miramini, inquit Plato, num inter carduos & vrticas lilia plerunque ac rosas enasci cernitis? Vide titulum de Crudelitate & tyrannide.

DE SPECVLO. XVI.

SOcrates iuuenes hortabatur, vt se in speculo intuerentur, vt siquidem formosi essent, digni ea specie fierent: sin deformes, eam deformitatem eruditione tegerent.

Demosthenes semper ante speculum, ceu ante magistrum, causam est meditatus. Alcibiades dum tibias inflaret, conspecta oris deformitate ad speculum, tibias abiecit.

Plato ebriis iratísque præcipiebat, vt se in speculo ita affectos intuerentur, vt per oris deformitatem vitia fugerent: mutuatus à præceptore Socrate, sed ab vtroque mutuatus Seneca in libro primo Quæstionum est, qui specula ait inuenta esse, vt homo se nosceret, formosus vt vitaret infamiam, deformis vt sciret remedium esse virtutibus, iuuenis vt flore ætatis admoneretur illud tempus esse discendi, senex vt in decora canos disponeret, & de mente aliquid cogitaret: inuenta autem sunt specula ab Aesculapio Apollinis filio, authore Cicerone de natura Deorum.

Fiebant autem specula ex argento. optima Brundusina erant, stanno & ære mixtis prælata sunt. argentea primus fecit Panteles, Magni Pompeij ætate. Fiunt & ex vitro, addito à tergo plumbo, vt imagines recipiant, reddántque. fiunt & ex chalybe.

DE STVLTITIA. XVII.

PRaxilla poëtria Sicyonia, Adonidem ab inferis reuocatum ait, interrogatúmque quid apud inferos pulcherrimum reliquerit: respondisse, solẽ, cucumeres, mala. quod quoniam ineptum stultúmque esset à sole ad cucumeres descendisse, in prouerbium abiit, Stupidiorem esse Adonide Praxillæ.

Agesilaus Menecrati, qui Iupiter cognominabatur, ad eúmque scripserat, Menecrates regi Agesilao fœlicitatem: rescripsit, rex Agesilaus Menecrati sanitatem.

Socrates se admirari dicebat, cur hi qui lapidea signa sculperent, summa ope niterentur, vt lapis homini quàm simillimus euadat: seipsos curare negligerent, ne similes lapidibus & videantur & sint.

Thalassæglem circa Indum amnem inueniri, quæ ob id nomine alio Potamantis appellatur: hac pota, lymphari homines obseruantibus miraculis, Plin. 24.

DE SVPPLICVM RATIONE. XVIII.

Alcidonius Xenocrates,quum aliquando passer accipitri futurus præda,in eius sinum se recepisset,operuit,fouítque:dicens, non oportere supplicem prodere.

Gabinius à C. Memmio accusatus,quum damnandus sine controuersia videretur, eius filius ad accusatoris pedes prostratus,ab illo truci vultu repulsus est,iaceréque eum sic prostratum accusator passus est.tam crudele spectaculum miseratus Lælius tribunus plebis, Gabinium iussit dimitti.

Sergius Galba à Libone trib.pleb.accusatus,paruulos filios commendare cœpit.motáque ad misericordiam concione,absoluitur.

L. Piso à L. Claudio Pulchro accusatus,eo tempore quo tristes de eo sententiæ erant ferendæ,imber superuenit.prouolutus humi,quum iudicum pedes oscularetur,os cœno fœdauit.eo conspectu ex misericordia concitata absolutus est.

Nasicaa Alcinoi regis filia monet Vlyssem apud Homerum in Odyss.vt ad matrem eius eat,ad genuáque procumbens manus deosculetur.Plinius lib.11.de genibus,ad hæc manus tendũt,hæc vt aras adorant.inest & in aliis partibus religio:sicut dextra osculis auersa appetitur,in fide porrigitur.

Antiquis Græciæ in supplicando mentum attingere mos erat.Scythæ immolati bouis carnes minutim sectas coquebãt:in tergore strato sedentes, manibus in tergum reductis supplicabant,pro vindicta: quicunque autem vellet opitulari,carnium portione gustata,dextróq; pede tergori impositio,pollicebantur auxilium.

Iliacis temporibus non supplicabatur thure:cedri tantum & citri fruticum combustorum nidore sacrificabant.ex Plin.lib.23.

Supplicantes oleæ ramum vittis circumplexum ferebant, Vergil.8.

Optime Graiugenum,cui me fortuna precari,
Et vitta comptos voluit prætendere ramos.

Ob eam causam Seruius inquit, vt inertiam imbecillitatémque offerentis ostenderet.

DE SAGITTARIIS. XIX.

Diogenes Cynicus vt indoctum sagittarium taxaret,iuxta scopum consedit.rogatus verò causam,Ne me feriat,inquit.

Philoctetes apud Hom.sagittãdi peritiss.in funeralibus Patrocli ludis Teucer vinculum abrupit ad columbæ pedes alligarum.Merion volátem columbam in aëre sagitta assecutus confecit.

Vergilius id mutuatus lib.5.Mnestheo tribuit,quæ ille Teucro:quæ verò Merioni ille tribuit,Vergil.Eurytioni. Celebratur & Pandarus apud Homerum,qui quum aliquando non occidisset quos vulnerauerat: rat: si digresso, inquit, hinc mihi contingat reuisere patriam,penates,& vxorem,nisi hos arcus meis manibus confringam,igníque imponam,protinus hostium aliquis caput mihi detruncet. Dictys Vlyssem sagittatione celebrat. Domitianus omnia huius artis miracula excedit,vt dictum est in capite Artem quam quisque,& in capite de Exercitatione aliud exemplum.

Vltra Sabam,qui elephãtes occidũt,duo arcum tenẽt,alter neruum intendit.sagittásque serpentium veneno tangunt.apud Hom.Vlyssis sagittæ pharmaco tinctæ erant.

Arcum sagittásq; Scythen Iouis filium,alij sagittam Persen Perfei filium inuenisse dicunt,ait Plinius.Solinus ait de Creta:Prima manum nauibus & sagittis posuit.

Scythæ,eorúmque exules Parthi,sagittatione excellunt. Vologesus Parthorum rex Vespasiano quadraginta millia sagittariorũ promisit.

DE SIMILITVDINE. XX.

Antiocho regi adeò vsque similis fuit vnus ex æqualibus,& ipse regiæ stirpis,vt Laodice Antiochi vxor extincto eo,in lectulo perinde atque virum,ipsum collocauerit.Isque admissum populum compellans, commendauit illi Laodicen,filióque.ex Valerio:sed Plin.lib.7.vocat hunc Arteonem,& è plebe hominem.mirum dictu quantopere à cæteris historicis Valerius dissentiat.Solinus Archenionem,& è plebe Syriaca hominem vocat.

Lentulus & Metellus adeò similes histrionibus fuerunt,Spinteri & Pamphilo,vt ille Spinter,hic Pamphilus sit cognominatus. Scipioni cuidam post Cneum,cognomen Salutio mimus dedit.

Cornelius Scipio Serapioni victimario simillimus, Serapion & ipse cognominatus est.

Proconsuli Romano perquàm similis Siculus quidam fuit.Dicente verò procõsule,se admodum mirari quòd pater eius nunquam in prouincia fuisset:At meus,inquit ille,Romam frequenter accesit. Idem euenisse Augusto,dictum est in capite de Patientia.

Vibius ingenuæ stirpis,& Publicius libertinæ, Pompeio Magno adeò similes fuêre,vt ora omnium in se cõuerterent,quocunq; issent. Val.& Plin.apud Solinum falso pro Vibio,Iubius legitur.

Nicocles Sicyonius tyrannus,Periandro Cypseli filio.Persa Orontes Alcmæoni Amphiarei,Lacedæmonius quidam adolescens,Hectori simillimus.

Iudæus quidam quum esset perquàm similis Alexandro Herodis filio,illo extincto,fallendi spe Romam venit,cum gentili suo atque suasore,assimulans surreptum fuisse à morte.prius tamen à Iudæis in Creta de gentibus,multa acceperat dona,quasi rex putatus:omnes igitur Romæ viscudi studio circunfundebantur,ingénsq; multitudo conueniebat,

ueniebat,vt sella etiam illum portarent:sed Cæsar,qui accusatum Alexandrum à patre Herode apud se bene nosset,adduci ad se,vt Pseudoalexandrum cognosceret, iubet:sed Ladus,qui hominem ad Cæsarem adduxit,remotis arbitris,suæ ipsius vitæ parci rogat.nam ita rem facturum,authoremque proderet.Id quum fecisset Cæsar,Pseudoalexandrum propter corporis habitudinem remigum numero inseruit,suasorem verò morti destinat.

Andriscus quidam vltimæ sortis homo,dubium seruus an mercenarius,quia similis esset Philippo Macedoni,imperium inuasit Macedonum: sed victus tandem à Iuuentio prætore Pseudophilippus, in triumphum ductus est.Exemplum similitudinis in cap.de Calliditate,in dictione Torannius,est.

Lucius Plancus orator,ob formæ similitudinem histrioni Rubrio cognomen imposuit,rursus Curioni patri Burbuleius,item Messalæ Menogenes,perinde histriones dicti. Suræ quidam proconsulis etiam rictum,in loquendo contractiorem,linguæ & sermonis tumultū,non imaginem modò,piscator quidam in Sicilia reddidit. Casio oratori celebri,armentarij Mirmillonis obiecta similitudo est. De Torannij pueris Marco Antonio venditis,dictum est in cap.de Calliditate.

Ariarati Cappadocum regi adeò similis fuit barbarus quidam,vt post illum à M. Antonio occisum,ad regnum aspirarit: sed is Augusto pœnas pependit.

Hibreæ oratori seruus quidā adeò similis fuit,vt germanum illius esse ab omnibus creditum sit.

Pompeij patri adeò similis fuit oculorum specie eius coquus Menogenes Strabo,vt ex eo Strabo ipse etiam fuerit nuncupatus.

Similitudo prouerbialis dicitur,lac lacti,aqua aquæ,ouum ouo,ficus ficui,farina farinæ.ex Plauto,Cicerone,Persio & cæteris.Simiam homini similem & nos esse videmus:& Ennius ait,

Simia quæ similis turpissima bestia nobis.

DE TYRANNIDE. XXI.

Ato decreto Athenis,ne Demetrij epistolæ ad populum afferrentur,quum mox Athenienses pœnitētia acti,authores decreti in exilium egissent, decreuissentque omnia quæ à Demetrio iuberentur,sancta apud deos,iustáque apud homines esse,atque vir quidā bonus,Stratoclem,qui ista decerneret,delirare dixisset,Demochares Spartiata ad tyranni potentiam alludens: deliraret,inquit,Stratocles,nisi hoc pacto deliraret.

T. Quintius contra Philippum Macedonem missus,quum in colloquium venisset & Philippus obsides postularet,quoniam apud Romanos multi essent duces,ipse autē solus in Macedonibus,optimo scomate

mate illius tyrannidem taxans Quintius:tu nempe,ait,te solum effecisti,quippe qui amicus & cognatos occiderat.

Argeus Lacon faciens aliquando iter per Siciliæ Selinuntem,quum in sepulchro quodam hoc elegiacum legisset,

Hosce Selinuntis quæcunque tyrannida Mauors
Extinxere,ferus perdidit in foribus.

Iure periistis,inquit, qui ardentem tyrannidem extinguere conati estis.nam permittendum potius fuit totam cremari.

Tricipitinus Lucretiæ pater,quia Tarquinius etiam dicebatur,ob solum Tarquiniorum nomen exosum,Roma pulsus est.

Pompeius quum crus candida fascia alligasset,in eū tanquam regni affectatorem Fauonius inuectus:nō refert,inquit,qua in parte corporis diadema sit.Olim caligis quum non vterentur,crura fascia alligabant.

Antigono occiso,occisores eius rerum potiti omni iniuriarum genere Phrygios affecerunt. agricola verò agellum fodiens , rogatus quidnam faceret:ego suspirans,inquit,Antigonum quærito.

Dionysius senior audiens à filio vxorem nobilis Syracusani stupratam esse:iratus ait,nunquid tale ab eo factum sciret:at ille:tu inquit, patre tyranno non es natus,ego verò memini me tyranni filium.Is Dionysius senior,10.millia ciuium interfecit,prodito fratre hostibus per inuidiam,matre quoque anicula & iam vieta præfocata : filias tamen appellauit alteram temperantiam,alteram iustitiam.eius filius Dionysius Apollinis se filium nominauit.

Nabis Lacedæmoniorum tyrannus firmato Argis præsidio,Lacedæmonem ingressus,quum viros ipse spoliasset,ad fœminas spoliandas vxorem Argos remisit.ea nunc singulas illustres,nunc simul plures cōsanguinitate inter se iunctas,domum accersendo,blandiendóq;, ac minitando,non aurum modò illis,sed tandem vestes mundúmque omnem muliebrem ademit.

Syracusanis omnibus Dionysij tyranni mortem appetentibus,sola Himera mulier matutino tēpore deos precabatur,vt incolumis sibiq; superstes esset.quòd vbi resciuit Dionysius,rogauit vetulam quid esset in causa.Tum illa:puella,ait,quum essem,grauémque tyrannum haberemus,occidere illum cupiebā.eo mortuo,aliquanto tetrior tyrannidem occupauit:ei quoque mortem imprecata sum,ex sententia euenit.te illis longè deteriorem habemus:verita itaque,ne te absumpto, deterrimus in locum tuum succenturiaretur,tibi salutem precor.

Timon in Alcibiadis mores malos stomachatus,redeunti à concione illi ait: mafte virtute adolescens,authoritate tua potentiam auge. magnam enim huic Reipub.perniciem augebis.

Tyberius imperator omni sæuitia fœdissimus,audita morte quam sibi acceleraverat Carnulius:Carnulius,inquit,me euasit.perinde atq; si diceret,se esse ipsa nece deteriorem.

Idem precanti cuidam pœnæ maturitatem, respondit: Nondum

recum in gratiam redij.

C. Caligula Valerio Asiatico, in conuiuio & in concione voce clarissima, qualis in concubitu esset, vxor eius obiecit. Idem Chereæ tribuno militum signum petenti, Priapum misit.

Apollonius Thyaneus, quum apud Domitianum venisset accusatus à quopiam, atque ante fores cum Damide socio expectaret: videris mihi, inquit, ô Dami, arbitrari Aeacum, vt in inferno dicunt, has fores custodire, mortuo enim similis appares: Non mortuo, inquit Damis, sed morituro.

Timoleon Corinthius, quum à tyrannide fratrem persuadendo abducere non potuisset, operam nauauit iis qui illum interficerent.

Dionysij vxorem liberósque stupratos, ac demum interemptos, ad extremúmque cinerem ex cadaueribus concrematis in mare de nauí conspersum constat.

Agrigentini Phalaridis tyrannide liberati, sanciuerunt, neminem, vsurũ esse vestibus ceruleis: quoniã illius satellites eo colore vti essent.

Locrenses diu bello graui Leophronis Rheginorum tyranni vexati, vouerunt, si forent victores, die Veneris festo virgines suas prostituerent. eo voto intermisso, quum aduersa cum Lucanis bella gererent, in concionem à Dionysio vocati sunt: ille eos hortatur, vt vxores filiásque suas quàm possint ornatissimas mittant: ex quibus cẽtum sorte ductæ, voto Veneris publico funguntur, religionísque gratia vno vt essent in lupanari mense futuræ, omnibus ante iuratis viris, ne quis vllam attaminaret. quæ res ne virginibus voto ciuitatem soluentibus fraudi esset, decretum condiderunt, ne qua virgo nuberet, priusquàm maritis illæ traderentur. probato consilio, vt superstitioni virginúmq. pudori consuleretur, certatim omnes fœminæ impensius exornatæ in templum Veneris cõueniũt: sed has omnes Dionysius immissis militibus spoliat.

Quum decem ciues qui in Herodem coniuraueranr, detecta coniuratione ab illo occisi essent, qui detexerat, paulo pòst non modo occisus à quibusdam est, sed membratim dilaceratus, canibúsque dilaniandus datus.

Scurra quidam in Claudij tyrannidem alludens ait, in vno annulo bonos principes posse scribi atque depingi.

Timocrates Dionysij tyranni sororis maritus, ad Dionysium in Italia absentem, de Dionis aduentu literas tabellario dederat. tabellarius verò quum Rheginum agrum euasisset, Caulonámque venisset in familiarem quempiam incidit, qui nuper arietem cecidisse ferebatur: à quo suscepto carnis frusto, iter approperat. magna verò noctis parte exacta, fessus sub arborem iacuit: lupus verò secutus odorem, alligatas saeculo carnes auferens, literas vnà asportauit. cæterum tabellarius tyranni metu aliò pergit.

In Aegesta Siciliæ oppido, Aemilius Censorinus delectabatur nouis tormentorum instrumẽtis: itaque Aruntius patérculus, equum æneum excog

excogitauit, in quo supposito igne damnati morerentur: sed ipse primus ex tyranni iussu expertus est, vt Perillus Phalaridis æneum taurum: ab eóque Aemilio qui sæua gerunt imperia, Aemilij nominantur, ait Plutarchus in Parallelis ex Aristide, notabili (vt arbitror) mendo Aemilij pro Manlij. nam imperia Manliana apud Romanos dicebantur, à Manlio Capitolino, qui imperium affectans, coniectus in carcerem est. sed ne qua ex plebe, quæ omnis vestem habitúmque mutarat, seditio oriretur, è vinculis solutus est. nec sic quidem quieuit: sed ad deterius tendens, nulli magistratui obediens, accusatus, damnatúsque, è saxo Tarpeio, vnde ipse Gallos deturbarat, præcipitatus est. Obiter tamen notandum, dixisse Gellium, Posthumiana imperia dici. mirum cur à Liuio dissentiat in rebus nostris, qui libro quinto decade prima ait: Filius ab Aulo Posthumio, quòd occasione bene pugnandi captus, eius iniussu discesserit præsidio, victorem securi percussum tradunt. nec libet credere, nec licet, in variis opinionibus: argumento est, quòd imperia Manliana, non Posthumiana, appellata sunt. nam Plutarcho, nominum Latinorum, vtpotè Græco homini, non omnino conscio, ignoscendum arbitror.

Clearchus Heracleorum tyrannus, dum seruos matronis per vim copulat, alios torquet, alios occidit, Iouis se quoque filium mentitur: filióque suo Cerauno, id est fulmini vocato suadet, vt deos non mendacio tantum, verùm etiam nominibus illudat: tandem is quoque confossus est à Chione & Leonide, Platonis discipulis.

Aristotimus quum Epirorum vrbem per tyrannidem occupasset, multos ex primoribus occidit, multos in exilium egit. sed postulantibus Aetolis per legatos, vt coniuges liberósque exulum redderet proficiscendi ad suos omnibus matronis potestatem dedit, diémque profectionis statuit. illæ verò preciosissima quæque secum auferẽtes, quum ad portam quasi vno agmine profecturæ conuenissent, omnibus rebus spoliatæ, in carcerem coniiciuntur, occisis prius in gremiis matrum Paruis infantulis, virginibúsque ad stuprum direptis. sed tandem virtute Helemati senis vix in illum impellentis, occisus est. Iust. 26. Plutar. verò in lib. de Mulierib. illust. Eliensium tyrannum eum vocat, & occisum consilio Hellanici. Mendum puto esse in Iustino. Meritò igitur Chion epistola ad Periandrum: Fœlicem eum, ait, tyrannum censeo, cui in sua domo absque sanguine contigerit mori. Iuuenalis: Sine cæde & vulnere pauci Discedunt reges, & sicca morte tyranni. Aristot. lib. 7. Polit. admiratur, quòd apud Sicyonios Orthagoræ, filiorúmque tyrannis, ad centesimum annum perdurauit.

Masinissa rex, quum quinquaginta filios haberet, Mithridatum populique Romani amicissimus, parum fidei in hominum pectoribus reponens, salutem suam canum custodia vallabat.

Alexandrum Pheræum, scriptum legimus, vxorem Theben admodum dilexisse: ad eam tamẽ in cubiculum veniens, barbarum stygma-

tiam stricto gladio iubebat anteire, præmittebátque de stipatoribus suis qui scrutarentur arculas muliebres, & ne quod in vestimentis telum occultaret, diligenter exquirerent. nec eum fefellit opinio: ab ea enim ipse ob pellicatus suspicionem interemptus est.

Dionysius tyrannus cultros metuens tonsorios, candente carbone sibi adurebat capillum. vide in cap. de Timore.

Commodus imperator, capillo semper fuit fucato, auríque irradiamentis illuminato, comam & barbam timore tonsoris adurens. corpus tamen eius, vt vnco traheretur, atque in Tyberim mitteretur, senatus populúsque Romanus postulauit.

Thales philosophus rogatus, quid difficile vnquam vidisset: Tyrannum, inquit, senem.

Nero Roma fugiens, in liberti Pharontis villam quum venisset, aquam ex subiecta lacuna potaturus hausit: & hæc est, inquit, Neronis decocta (nam aquam decoquere is inuenerat.)

Tyrannus Theseus omnium primus fuit Athenis, post hunc Phalaris Agrigenti. ante Dionysium fuêre Pisistratus, Phalaris & Apollodorus: præter dictos, Theagenes Megaris, Phidon Argis, Panetius in Leontinis, Cypselus Corinis, Periandérque eius filius. Item Hiero, Gelo, Aratus, Nicocles Sicyonius, Busiris Aegyptius, Diomedes Thrax, Hippias Pisistrati filius. ex his Periander primus armatus circumseptus incessit. item Psammetichus, Clearchus, & iam dicti Phalaris, Dionysij duo, Archelaus Macedonum tyrannus, ex Plat. 6. & Magapentes Lacydi tyrannus.

Cassius tanto suapte ingenio odio tyrannos insectabatur, vt puer adhuc quum ad eundem præceptorem cum Fausto Syllæ filio accederet, illéque inter pueros patris monarchiam laudaret, insurgés Cassius colaphum illi inflixit. quam rem volentibus procuratoribus necessariisque Fausti deferri, decernique iudicio: inhibuit Pompeius, puerósque vnà coniungens erat iudicaturus. quum Cassius: Eia, inquit, Fauste aude coram hoc proferre sermonem illum, quo irritatus fui, vt os tibi iterum effringam.

Helicon Cizicenus, vnus ex Platonis æqualibus, quum solis eclypsim prædixisset, euenissét que ficuti erat effatus, à iuniore Dionysio talento donatus est. Tum Aristippus ad alios Philosophos conuersus, per iocum ait: Ego quoque mirabile, inquit, habeo quod prædicam, quibus vt proferret obsecrantibus: Prædico igitur, ait, Platonem atque Dionysium breui tempore inimicos fore.

Archelaus Perdicæ filius ex ancilla Alceti patrui, tyrannidem Macedoniæ per dolos nactus est. is enim patruum Alcetam accersitum ad se, quasi regnum quod Perdicas abstulerat redditurus, conuiuio vinóque grauatum ipsum, & filium illius Alexandrum coniectos in plaustrum, noctéque asportatos trucidauit: fratrémque ex Perdica legitimo matrimonio ortum filium, in puteum præcipitem adhuc septennem dedit. Cleopatræque matri asseruit, puerum, dum anserem persequeretur, in puteum cecidisse. ex Plat. Gorgia.

Bias rogatus, quodnam esset ex animalibus perniciosissimum: Syluestrium, inquit, tyrannus: domesticorum, adulator. His adde titulum de Crudelitate ac Seueritate.

DE TIMORE AC METV. XXII.

Dionysius tyrannus 25. annos natus, tyrannidem occupauit Syracusarum, in qua 38. annis tyrannus fuit. tondi à filiabus voluit nondum adultis. post adultas, candentium iuglandium putaminibus capillos barbámque adurebat. quúmque duas haberet vxores, Aristomachen ciuem suam & Doridem Locrensem, sic ad eas ventitabat, vt antea omnia essent perquisita. Cubicularem lectum fossa lata circũdedit, quam coniunxerat ponte ligneo, quem clausis cubiculi foribus detorquebat. idémque communibus suggestis non se credens, concionari è turri alta solebat. fuit autem hic maior Dionysius.

Quidam vsque adeò timore concutiebatur, vt audita Herculis fortitudine atque fama, in specum se abdiderit. Deinde transeuntem fortè illac Herculem quum respexisset, timore correptus moritur.

Cassander tanto timebat Alexandrum Magnum opere, vt quum post illius mortem Græcia capta, Macedoniæ imperitaret, Delphósque venisset, statuas ibi contemplans, Alexandri imagini occurrit. eius aspectu tanto terrore concussus perculsúsque est, vt diu mentis illa trepidatio sedari non potuerit.

Pisander quidam adeò timidus fuit, vt anxius esset ne suam ipsius animam alicubi videret, quæ eum viuum reliquisset. Dolon apud Homerum, lapsus in insidias Vlysis Diomedisque, adeò expauit, vt dentes crepitarent, os titubaret, lingua confusos sonos ederet.

Romanos tantus terror nouæ gentis Germanicæ inuasit, vt testamenta passim scriberentur in castris.

Artemonem Fabrum adeò timidum aiunt fuisse vt quamdiu vixerit, duo serui supra caput eius æneum scutum tenerent, ne quid in eum desuper caderet. quod si casu contigisset egredi, lectica tecto adoperta circumlatum ferri solitum: ob hoc Periphoretum cognominatum.

Vibius Crispus in eum qui loricatus in foro ambulabat, prætendebátque id metu se facere: Quis tibi, ait, sic timere permisit?

Cicero de Pompeio Cæsaréque dicebat, quem fugiam habeo, quem sequar non habeo.

Augusto quispiam timidus treménsque quippiam offerebat, modóque manum proferebat, modò referebat. tum Augustus: Putas, inquit, te elephanto assem dare?

Molpadia Partheniáque Rheæ sorores, Chrysothei filiæ, vini amphoram custodientes, paulo ante reperti, somno solutæ sunt. interea

fus domum ingressa, vini amphoram fregit: sed illæ patris iram veritæ, in mare sese præcipites dedere.

Diogenes Cynicus, dicente illi Alexandro Macedone, Num me times? quid enim, inquit, es bonus an malus? dicente illo, Bonus: quis ait, bonum timet?

C. Carbo iussu Pompeij ad supplicium ductus, flebiliter à militibus petiit, vt sibi aluum leuare ante obitum liceret, vt lucis vsu diutius frueretur, eò vsque moram trahens, donec caput eius sordido in loco sedentis abscinderetur.

L. Quintius Cincinnatus dictator, L. Minutium consulatum deponere coegit, quòd castra eius hostes obsederant.

L. Calphurnius consul, Ticium equitem præfectum in bello contra fugitiuos, quòd circunuentus arma hosti tradidisset, cum toga Laciniis abscisis amictum, discinctáq; tunica indutum, nudis pectoribus tota die ad principia per omne tempus militiæ adesse iussit: interdictúmque conuictu hominum, balnearúmque vsu. Catilina apud Salustium: Semper in prælio iis est maximum periculum, qui maximè timent, audacia pro muro habetur, ait.

Papyrius cursor Prænestinum prætorem, qui ob timorem ex subsidiis segnius suos duxerat in primam aciem, deambulans ante tabernaculum vocari ad se iussit, tanquam obtruncandum. iussit igitur lictorem securim expedire. Ad quam vocem exanimi stante Prænestino: Age dum lictor, ait, excide radicem hanc, incommodo ambulantibus futuram. perfusúmque vltimi supplicij metu, mulcta dicta, dimisit.

Clitus quidam Iudæus, Iosippi iram pertimescens, qui ambas manus illi præcidendas iurauerat, orauit vt vnam saltem ipse præcideret. concedente Iosippo, sinistram sibi abscidit.

Timidissimi Rhegini, item Epeus quidá. Epatici solent formidare.

DE TVRPITVDINE SEV MAIVS deformitate. XXIII.

COrytheus fuit præter vecordiam adeò deformis, vt vulgo iactatum sit, Corytheo deformior.

Galba quum esset ingenio optimus, eloquentiáque clarus, forma tamen admodum turpi, malè audiebat, cùm ab aliis, tum à M. Lælio. ait enim vrbanè, Galbæ ingenium malè habitare.

L. Lælius Lamia deformis senéxque, quum Crassum interpellasset, dixissétque Crassus, audiamus pulchellum puerum: tum ille quum respondisset, non potui mihi formam fingere, ingenium potui: Crassus, audiamus ergo, inquit, disertum. ex Cicerone de Oratore. Alibi Helium legi, non Lælium.

C. Iulius, Helmio sciscitanti, crebróque instanti, qualis sibi videretur vt diceret, imaginem galli in scuto Cimbrico positam digito indicauit. Crassus orator testi idem respondit apud Plin. 35.

Mercator apud Plautum in Asinaria, quum à Libano sciscitaretur cuius,

cuius formæ esset Saurea Atriensis quem quærebat: vrbanè Libanus, macilentis malis, rufulus, aliquantulum ventriosus, truculentis oculis, commoda statura, tristi fronte.

Turpitudine notus Philopæmenes, de quo suprà.

Martialis in Thelesinam turpem.

Vna nocte quater possum, sed quatuor annis
Si possum peream te Thelesina semel.

DE TESTIBVS. XXIIII.

QVum Silus testis in Pisonem esset productus, iniuriarum in socios illatarum accusatum, illumque læsisset, edessétque Crassus: potest fieri, inquit Crassus, Sile, vt is quem te audisse dicis, iratus dixerit? annuit Silus. Potest esse vt tu non rectè intellexeris: Id quoque toto capite annuit. Potest etiá fieri, inquit, vt omnino quod te audisse dicis, nunquá audieris?

Quum apud Athenienses quidam sanctè grauitérque vixisset, & testimonium dixisset publicè, & vt mos est Græcorum, iurandi causa ad aras accederet, vna voce omnes iudices, ne is iuraret, proclamasse aiūt. Cicero in oratione pro L. Cornelio Balbo. Id Xenocrati apud Athenienses remissum legimus.

Ex Iouis tabulis testis, apud Græcos dicebatur pro certo indubitabilique. item Atticus testis.

Testis falsus qui deprehenderetur apud Indos, extremis decurtabatur. Apud Romanos esaxo Tarpeio deturbabatur. Testimonium veritati, non amicitiæ reddes. ait Seneca.

Moses sanxit, ne vni testi crederetur, sed tribus aut vltimum duobus, quorum testimonium verum faciat vita prior. Mulierum autem testimonium propter leuitatem nequaquam recipiendum. Claudius verò testem fœminam induxit in senatum, quod contra leges factum est: nisi maiestas esset diminuta, quod in Fuluia Catilinæ indice est factum. Paulus verò libro 22 Digest. ait, mulieres posse dicere testimonium in iudicio. Diuus Hadrianus rescripsit Iunio Rufino proconsuli Macedoniæ, testibus se non testimoniis crediturum: ait Calist. libro 22 Digest. Idem etiam ait, testem idoneum patrem filio, aut filium patri non esse. Pompo. nullum idoneum testem in re sua. Vlpian. ait, duos testes, vbi numerus testium non adiicitur satis esse. Scæuola ait, testimonium dicere non cogi senes, valetudinarios, milites, vel quibus venire non licet. Paulus ait, in vitium non posse cogi ad testimonium aduersus socerum generum, vitricum, priuignum, sobrinum, sobrinam sobrino, sobrináve natum.

DE TESTAMENTIS, AC VLTIMIS voluntatibus. XXV.

Militis cuiusdam pater accepto falso de filij morte nuncio, aliis hæredibus scriptis decessit. Peractis stipendiis adolescens domum rediit, quam patris errore clausam reperit.

Testamentorum apud veteres tria erãt genera. vnum quod calatis comitiis in concione populi fiebat: alterum, in procinctu, quum viri ad prælium committendum in aciem vocabantur: tertium, per familiæ emancipationem cui æs & libra adhibebatur. nam in abalienatione nexus solennitas adhibebatur. Nexus verò fiebat, adhibitis non minus quinque testibus Rom. ciuibus puberibus, & præterea alio eiusdem conditionis qui libram æneam teneat, qui libripẽs dicebatur, qui enim mancipiũ acciperet, æs tenens dicebat: Hunc ego hominem, qui mihi emptus, hoc ære æneáq; libra & iure Quiritum meũ esse aio. Deinde ære percutiebat libram: idq; æris ei dabat, à quo mancipium accipiebat, quasi loco precij. Eadem solennitas dabatur in liberorum emancipatione, quæ in mancipatione emptionéque, quæ per æs librámque dicebatur. Omnis præterea hæreditas assis appellatione continebatur, sicut omnis dimensio ex assis diuisione constat fieri, vt as ipsum pro omni quantitate acciperetur. vnde Cæsar instituit hæredes C. Octauium ex dodrante, L. Pinarium & Q. Pedium ex quadrante. reliquos in ima cæra. Decium Brutum etiam in secundis hæredibus. ex Tranquill. illud Ciceronis de Legibus non placuit præterire, vt cui plus legatum sit, quàm sine religione capere liceat: is per æs & libram hæredem testi soluat. propterea quod eo loco res est ita soluta hæreditate, quasi ea pecunia legata non esset.

Iustinianus libro 7. Tale quiddam etiam tunc apud clarissimum Bithyniæ prouinciæ iudicem gestum inuenimus. in testamento offensus, testium falsitate pessima, apertè conuictorum, & nouissimè confessorum: quia quum testamentum fieret, & fuisset defuncta testatrix, eius iam mortuæ quidam tenentes manum, ita per chartam virgam factam, & ex latere ductam traxerunt: & signum venerabilis crucis videri scripsisse defunctam præparauerunt.

DE TEMPORE XXVI.

Pherecratem an Lampsaceni montes aliquando mare futuri essent, Anaxagoram respondisse aiunt: ita sanè, nisi tempus defecerit. Thales sapientissimum esse dicebat tempus, quod omnia inueniret.

Tempore vti, seruiréque scenæ, vtique foro, vt dicitur, oportet. Biblis Ouidiana, cum quem ad fratrem Caunum cum amatoriis literis miserat, non idonea legit tempora, ait. Gothorum regem Theodoricum indulgentissimum fuisse, quum alea vicisset: Vespasianum aditu facilem, quum in balneum tricliniúmque accessisset.

Tempore omnia consumi constat. quapropter Saturnum, qui pro tempore interpretatur, voracem famelicúmque fuisse aiunt: & sub eo ortos, voraces fore, Mathematici dicunt.

Tempus edax rerum, túque inuidiosa vetustas,
Omnia destruitis: vitiatáque dentibus æui,
Paulatim longa consumitis omnia morte: ait Ouidius.

Horatius:

Fugit retro leuis iuuenta,
Et decor, arida
Pellente lasciuos amores
Canitie, facilémque somnum.
Non semper idem floribus est honor
Vernis, neque vno luna rubens nitet
Vultu.

DE TONSORIBVS. XXVII.

Quum aliquando in tonstrina sermo de Dionysio incidisset, diceretúrq; tyrannidẽ illius esse propè inexpugnabilem, tonsor (vt illorũ est mos) loquax, ridens: Hæccine, inquit, loqui vos de Dionysio: in cuius iugulo ego subinde teneo nouaculam? id vbi Dionysio nunciatum est, tonsorem in crucem sustulit. Theophrastus tonstrinam, ebrietatem sine vino vocabat, quia omnia ceu ebrij effunderent tonsores.

Festiuum Martialis epigramma in Antiochum tonsorem:

Qui nondum Stygias descendere quærit ad vmbras,
Tonsorem fugiat si sapit Antiochum.
Alba minus sæuis lacerantur brachia cultris,
Quum fuerit ad Phrygias enthea turba modos.
Mitior implicitas Alcon secat enterocelas,
Fractáque fabrili andolat ossa manu.
Tondeat hic inopes cynicos, & Stoica menta,
Colláque puluerea nudet equina iuba.
Hic miserum Scythica sub rupe Promethea radat,
Carnificem nudo pectore poscet auem.
Ad matrem fugiet Pentheus, ad Mænadas Orpheus:
Antiochi tantum barbara tela nocent.
Hæc quicunque meo numerasti Stygmata mento,
In vetuli picta qualia fronte sedent:
Non iracundis fecit grauis vnguibus vxor,
Antiochi ferrum est & scelerata manus,

Vnus de cunctis animalibus hircus habet cor:
Barbatus viuit, ne ferat Antiochum.

Victo à Gilippo Lacedęmoniorum duce, Nicia duce Athenienſium, quum res eſſet Atheniēſibus incognita, hoſpes quidam in tonſtrinam in Pireum diuertens rem aperit. Tonſor accurrens ad vrbem, Atheniēſi magiſtratui audita nunciat. conuocato populo atque in medium adducto tonſore, rogatur, vnde rumorem afferret? ille quum nihil certi afferre videretur, in carcerem coniicitur, mox perpeſſurus grauiores pœnas, quòd hos in vulgum rumores proferret. Repete exemplum Archelai in capite de Loquacitate.

Tonſores in Italia ex Sicilia venerunt poſt Romam conditam anno 454. adducente P. Licinio Mena. ante intonſi fuēre. Tonſtrix Cleopatræ Irades nuncupata eſt.

Argiui victi à Lacedæmoniis, Thyreis amiſsis, capillos omnes ſibi totonderunt, quum antea eſſent criniti. legémque condiderunt, ſe deuouentes, ne prius comam aleret, néve mulieres aurum ferrent, quàm Thyreas recuperaſſent. Rurſus Lacedęmonij tulerūt, vt poſthac eſſent comati, quum hactenus non fuiſſent.

Theſeus anteriorem capitis partem abradebat: vnde Theſeis hoc tonſurę genus dictum: licet Abantes primi hoc tonſuræ genere ſint vſi. Perſæ in funere ſe tondent, vt in Maſiſtij morte factum eſt apud Herod. apud Indos in maximo ſcelere rex tondet peccatorem, eam putans ignominiam pœnámque atrociſsimam.

Ephori, quum primùm magiſtratum ineunt, vt Ariſtoteles inquit, dimiſſo per vrbem præcone ciuibus præcipiunt Lacedæmoniis, vt ſinguli barbam circa mentum tondeant.

Dacæ populi ſummum capitis verticem radunt: in medio capillos creſcere ſinentes, hinc atque illinc in orbem tondentes. Maxies dextram capitis partem comatam geſtant, ſiniſtram radunt.

L. DOMITII BRVSONII LVCANI FACETIARUM EXEMPLORÚMQUE LIBER VII. AD MECŒNATEM.

DE VITIO. I.

OPpugnatis, expugnatisq; quantum arbitror ſcelerum caterui, præſidium meum Mecœnas, ad Fœdum imperatorem, qui latitans in ſeceſſus ſyluáſq; ſe receperat, delendum accedimus. quapropter in vitium nomen per ſe vitandum, teterrimúmq;, militum Fœdorum ducem inuehitur libri ſeptimi initium.

Dionyſi

Dionyſius iunior regno pulſus, eadem dicebat ſe pati, quæ adoleſcentes: quemadmodum enim illi ſi peccauerint, hilari vultu fratrum conſuetudine vtuntur, patris verò præ pudore fugiunt: ſic illi euenisſe, vt in Metropoli vitam agens, verecundia teneretur, in Leucade cum voluptate viueret.

Quum equus matrem vt ſaliret, cogi non poſſet, capite eum obuoluto auriga adductum coëgit matrem inire. quum verò deſcendenti dempſiſſet ab oculis velamentum, indignatus equus in eum impetum fecit, mordicúſque confecit.

Eadem ex cauſa in Reatino agro laceratum aurigā legimus. Alium verò equum detracto oculorum operimento, & cognito cum matre coitu, petiiſſe prærupta, atque exanimatum.

Heliogabalus adeò vitiis ſcatens fuit, vt inuiſus omnibus eſſet, atq; poſt mortem cadauer tractum per circi ſpacia, atque in cloacam à militibus immiſſum eſt. quæ quum non caperet, in Tyberim deiectum eſt per pontem Aemilium, adiecto etiam pondere ne fluitaret.

Apollonius Tyaneus, quum Tito dixiſſet: Ego comitem tibi adiungam ſodalem meum Demetrium, qui audacia pollet vera loquendi: habet enim vim quandam cynicam, id eſt, caninam: itaque canis is tibi latrabit. vrbanè Titus, ducam, ait, pediſſequum canem, quem concedam non latrare tantum, ſed etiam mordere, quoties iniuſtè aliquid me facientem animaduerterit.

Cato apud Ciceronem de Finibus: Quis æquo animo videt eū, quem impurè & flagitosè putet viuere? Quis non odit ſordidos, vanos, leues, futiles? Seneca in prouer. Quum vitia proſunt, peccat qui rectè facit.

DE VIRTVTE. II.

AGeſilaus Lacedæmonius rogatus, quomodo quis maximè apud homines probaretur: ſi dicat, inquit, optima, & faciat honeſtiſſ. Virtus eiuſmodi eſt, vt ipſis ſtatim rebus geſtis ita afficiat homines, vt non modo admirentur opera, verum in authorem quoque ſummo ſtudio incendantur.

Neſtor Sophocleus ab Aiace iurgiis laceſsitus: Non incuſo, inquit, qui rectè agis, quod perperam loquaris.

Idem Ageſilaus rogatus, quænam prius diſcenda forent? Ea reſpondit, quibus viri ſunt vſuri. Auguſtinus ait: virtus eſt bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, qua nemo male vtitur. Horatius: Virtus eſt vitium fugere, & ſapientia prima Stultitia caruiſſe. Socrates apud Plat. in Phœdone ait Simmiæ: Annitendum eſt, vt in hac vita virtutem & prudentiā ſapientiámque conſequamur: præmium namque pulchrum eſt, & ſpes eſt ingens.

Franciſcus à Conſulibus auunculus meus, iuris & conſultiſsimus, & diſertiſsimus, tantæ fuit virtutis, vt neque in patrociniis, neque in magiſtrat

gistratibus,quos multos gesit, potuerit vnquam ab honesto deflecti: ingratus fuissem,si illius virtutem silētio præterirem, præsertim apud te:qui præter cæteros omnes huiusmodi viros amplecteris,foueásque.

Gorgias,quum à Socrate percontaretur, an Persarum regem putaret felicē:Nescio herculè,inquit, quantū virtutis ac disciplinæ habeat.

Themistocles Seriphio cuidam dicenti,eum non sua,sed patriæ gloria splendorem assecutum: Vera,inquit, herculè narras: Veruntamen nec si ego Seriphius, ignobilis: nec tu si Athenienſis esses, clarus vnquam fuisses.

Demaratus Spartiata à Xerxe munus petere iussus, petiit vt sibi fas esset tiara sublata in capite regio more per Sardos incedere. Mitropaustes regis patruelis apprehēsa Demarati manu:Hæc,inquit, tiara haud cerebrum quod velatura sit habet:nec tu Iupiter eris, etiam si fulmen acceperis.

Zeuzidamus,percontante quodam,cur de fortitudine leges sine scriptis Spartiatæ ferrent, nec descriptas iuuenibus præbeant legendas: quia melius,inquit,assuescere fortibus est gestis, quàm scripturis studere. Cic. Virtutis enim laus omnis in actione consistit.

Virtus si in adolescente eluceſcat,splendidior, ait Cicero, esse solet. Pompeius, quum Domitium in Africa domuisset, negaretúrque illi à Sylla triumphus,quia inuenis esset,nec fuisset consul, senatórve:vrbane Pompeius ad circunstantes conuersus: Syllam ait ignorare, plures orientem solem quàm occidentem spectare.

Diogenes Cynicus exprobranti cuidā quòd loca immunda introisset:Et sol,inquit,in secessibus abit,neq; inquinatur. Idē dicenti cuidam, turpe esse quod in caupona biberet:& in tonstrina tondeor,inquit.

Scipio Aphricanus,quum in Linternum secessisset, prædones quosdam illius fama permotos salutatum venisse tradunt, vt tantū virū intuerentur,dextrámque illius fide.& victoriis præstantē contingerent.

Sertorius adeò pius,constans,liberalis atque officiosus erat,vt quum mos esset Iberis,vt qui duce se deouuissent, vnà cum illo morerentur, ob eámque causam pauci admodum adesse consueuissent: eum verò multa hominum millia deuota sequebantur. Et aliquando superantibus hostibus, salutem suam Iberos neglexisse, vt Sertorium humeris asportatum in tuto collocarent.

Staurobates Indorum rex Semiramidi minitans scripsit,si acie victa foret,se cruci suffixurum: illa ridens, Non verbis, sed virtute certandum,respondit.

Pittacus interrogatus quid esset optimum,quod in præsentia,inquit, occurrit bene agere. Idomeneus apud Homerum virtutem ex æmulatione dignosci ait.

Mithridates pro Leonico bello nauali à Rhodiis capto,quippe salutis eius defensore,omnes captiuos commutauit.

Agis rex quum apud Mantineam pugnare cum hostibus numero superior

superioribus prohiberetur: Necesse est,inquit,cum multis pugnare, qui multis vult imperare. Aulus Posth. ad milites ait:Bella omnia nō qui plures sunt numero rectè conficiunt,sed qui potius virtute superiores.

Eudæmonidas quum in academia Xenocratis vidisset iam senioremcum discipulis philosophantem,audisqétque virtutem ab ipso inquiri:vrbanè,Quando,inquit,illa vtetur?

Epaminundas,quum esset sibi nunciatum,exercitum ab Atheniensibus nouis ornatum armis in se missum: quid igitur,inquit, Antigenidas gemit,quum Tellen nouas tibias habeat?hic enim malus,ille optimus erat tibicen.

Alcibiades luctans cum puero,in terram ab illo depressus,ignominiam vitare cupiens,mordicus manum apprehendit: dimittente verò Alcibiadem aduersario,& dicente,tanquam mulieres mordere:An,inquit ille,mulierum,non leonum potius,morsus Alcibiadis sunt?

Virtus in Luciano apud Mercurium queritur de iniuriis sibi à fortuna illatis,atque ait:Quum pro me dicere vellet Plato,expulsus est: Ciceroni pro me dicere incipienti,M. Antonius grauissimū colaphum in os intulit.destituor itaq; ab omnibus amicis,armatorum vim impetúmq; timescentibus.atque ita relicta,pugnis cæsa,calcibúsque sum conculcata.atq; vt vides ab ea dilacerata,adij Iouem,vt iniurias apud eum exponerē,mense toto non sum admissa.rogitāti mihi deos exeuntes,causam dixerunt,Iouem vacare vt tēpore cucurbitæ floreſcant,aut papilionibus alæ concinnè sint pictæ.rogátque tandem Mercurium, vt causam suscipiat.nam sibi despectæ nudæque latitandum esse.

DE VTILITATE. III.

BIas philosophus rogatus,quidnā rerum faciens delectaretur: Lucrans,inquit. Meritò,inquit Cicero in Officiis, honestas allicere,vtilitas verò rapere ad se videtur.

Pseudolus apud Plautum,quum dixisset Ballioni,heu pudet quòd tibi promisit quicquam: sed promisit dare, quia tibi minas viginti pro amica etiam non dedit?festiuè Ballio leno subdit:Nimio id quod pudet facilius fertur,quàm quod piget.

Idem Pseudolus, quum Symiæ dixisset,O hominem lepidum,te quoque etiam dolis atque mendaciis Iupiter mihi seruet: vrbanè Symia respondit,immo mihi.

Lucius Casius,ille quem pop. Romanus verissimum & sapientissimum iudicem putabat,in causis identidem quærere solebat,cui bono fuisset.sic vita hominum est,vt ad maleficium nemo conetur sine spe atque emolumēto accedere. Cicero in Oratione pro Sexto Roscio. meminit etiam in Oratione pro Milone:itaque illum Casianum,&c.

Alcibiades,quum à Diomede familiari rogatus esset,vt quoniā nimium apud Argiuos gratia valeret,currum quem Argis ad Olympi-

cum certamen satis idoneum esse sciret, vt emeret sui causa, atque sibi redderet cupido Olympicæ victoriæ, ab Argiuis currum emptũ apud se Diomede contempto retinuit.

Athenienses in oratione apud Lacedæmonios non esse inuidiosum dixere, aliquem qui in summum periculum deducatur, consulere vtilitatibus suis.

DE VERBERIBVS. IIII.

Diogenes Cynicus rogatus, quid vellet, vt colaphum accipiat? galeam, inquit.

Sosia verus Amphitryonis seruus, missus à domino, vt nunciaret Alcmenæ vxori, victoriam partam à viro contra Theleboas, quum Mercurium, qui & ipse Sosiæ formam sumpserat, noctu ante ædeis vidisset adpugnã paratum, facerè: Credo, inquit, misericors est nunc, propterea quod me meus herus fecit vt vigilarẽ: hic pugnis faciet hodie vt dormiam. Ibidémq; Mercvbi dixisset, quod si ego illum tractim tangam, vt dormiet, respondit Sosia: seruaueris, nam continuas has treis noctes peruigilaui. Ex Plaut. Amphitr.

Pueri apud Spartanos sic verberibus excipiuntur, vt multus è visceribus sanguis exeat: nonnunquam etiam ad necem, quorum non modò nemo exclamauit vnquam, sed ne ingemuit quidem. Ex Cicerone lib. 2. Tusc. & Seneca.

M. Cælius, quum sellam eius curulem Isauricus consul fregisset, atque à patre consul verberibus cæsus diceretur: vrbanè ille ad lora quibus cæsus fuerat consul alludens, alteram posuit loris intentam.

Palinurus seruus in Plauti Curculione, quum Phedromum amatorem ne amaret, neque tantopere vigilaret, admonuisset, à domino vapulauit. quum autem ob amicæ discessum Phedromus dixit, Occidi: subdit Palinurus, Ego quidem, qui vapulando & somno perij.

Lucrio seruus militis Plautini, quum à conseruo Palæstrione insimularetur, quòd vinum è cella deprompsisset: veritúsque militis verbera decreuisset secedere: vrbanè Palæstrioni, qui remanebat, quæso tum tu, ait, meam partem infortunij, si diuidetur, me absente accipito tamen.

Antemonides miles in Plauti Pœnulo, quum Lyco lenoni dixisset, Ausculta, nam herculè tuum iam elidam caput, nisi auscultas, aut is in malam crucem: facetè Lycus, malam crucem ibo potius, inquit.

Mercurius in Plauti Amphitryone verberans Sosiam seruum, quum sæpè interrogaret quis esset, atq; ille, Sosia sum Amphitryonis. Ergo instas magis, quia vaniloquus es, ait Mercurius, vapulis: Ego sum, non tu, Sosia. festiuè Sosia, Dij, inquit, ita faciant, vt tu sis potius, atque ego te vt verberẽ. quúmq; iterum ille rogasset, Quis tibi herus est? Qui nunc vocare? Quẽ tu volos, respondit, nemo nisi quẽ iusseris.

Diogenem

Diogenem pulsante aliquo, ac dicente, caue: virga cædẽs illum postea Diogenes, dicebat Caue.

Polypum piscem diu multúmque tundi ac cædi solere, vt mitior, ad esũmque fiat accommodatior, ait Zenodotus. Vnde prouerbium natum, Bis septem plagis Polypus contusus.

Verbera subituris, semen erucæ potum ex vino duriciem quandam contra sensum inducere aiunt. ex Plin. Vide titulum de Pœna.

DE VENTRE OBESO, SIVE pinguitudine. V.

Ventre obeso, vultúque, velut quippiam conantis fuit Vespasianus. vnde quidam vrbanorum non infacetus, siquidem petenti, vt in se aliquid diceret: Dicam, inquit, quum ventrem exonerare desieris: alludens ad illum vultus conatum. id mutuatus Martialis in Phœbum, qui erat eiusmodi vultus, ait: Vtere lactucis, aut mollibus vtere maluis, Nam faciem durum Phœbe cacantis habes. In eundem alio distícho inuectus:

Dicis amore tui bellas ardere puellas, Qui faciem sub aqua Phœbe natantis habes.

Polyeuctus Sphecius, quum longam haberet orationẽ de suscipiendo in Philippum bello, atq; præ pinguitudine præque æstatis æstu sæpius aquam biberet, vrbane Phocion: Dignam, inquit, rem viri Athenienses, vt huic de gerendo bello credatur. Quantum enim illum in medio Marte sub galea & thorace facturum existimatis, quem ipse loquendo labor in animæ exhalandæ discrimen impulerit?

Cato maior in præpingues dicebat: Quibus in rebus huiusmodi corpus ciuitati fructuosum ac accommodum futurum, cuius inter guttur & inguem cuncta sub ventris ditione sint posita?

Epaminundas Thebanus adeò corpulentis infensus erat, vt talem quempiam exercitu expulerit, dicens, vix tribus quatuórve scutis ventrẽ illius tegi posse: propter quẽ, no sua quidẽ pudẽda vnquam vidisset.

Ventris obesi esse, in conuicio ignauiæ est. Diuus Hieronymus: Venter, ait, pinguis non generat tenuem sensum. Gordij verò cum regem constituunt, qui inter eos sit perquàm corpulentus.

Ventrem durum interpellatorem appellãt, vtpotè qui sui reminiscí sæpe mortales cogat.

DE VOLVPTATE. VI.

Lysimachus superatus à Domitiano in Thracia, quum seipsum totúmque exercitum propter sitim tradidisset, posteaquam captiuus bibit: O dij inquit, quàm paruæ voluptatis causa me ipsum ex rege seruũ effeci. Arist. 2. Ethic. Difficilius est, vt Heraclito placet, voluptati repugnare, quàm iræ. Cicero 3. de Natura deorum: Præterea siquidẽ quod nec voluptatem sentiat, nec dolorem, id animal esse non potest.

Syracusanus adolescens peregrè proficiscens,amicam amico commendat:is stuprum mulieri intulit.reuersus ille,amici vxorem pro iniuria violat;sed vterque Syracusis pulsus est.

Archesilaus percunctanti,cur ex aliis disciplinis ad Epicuream sectam transirent,ex Epicureis verò nullus ad cæteras se conferret:vrbanè,quia ex viris,inquit,Galli fiunt,ex Gallis verò nunquam viri.

Cibos Sabæi coquunt thuris ligno,alij myrrhæ: oppidorum vicorúmque non alio quàm ex aris fumo atque nidore.ad hunc ergo seruandum,vrunt styracem in pellibus hircinis, suffiúntque tecta.adeò nulla est voluptas,quæ non assiduitate sui fastidium pariat.Plin.12.

Attalus Stoicus dicere solebat,malo me fortuna in castris suis,quàm in deliciis habeat.

L. Torius Lauinius ita viuebat,vt nulla tam exquisita posset inueniri voluptas,qua non abundaret.Hieron.in Epist.inter illecebras voluptatum,& ferreas mentes libido domat.

Tyberius Cæsar Asellio Sabino sestertia ducenta donauit pro dialogo,in quo boleti,ficedulæ,& ostreæ,& turdi certamen induxerat.instituítque deniq; nouum munus à voluptatibus,præposito equite Romano & T.Cæsonio Prisco.ex Trãquillo.in aliquibus codicibus Censorio Prisco legitur.

Elephantis quispiam voluptarius libellos composuit,in quibus varia concubitus genera,variique modi voluptatum scripti continebantur.Meminit Martialis,& Suetonius in Tyberio,& plerique.vnde elephantidos libelli dicti.

Diodorus de Sabæis ait,singulare accidere incolis,vt longa vexati ægritudine,quum natura debilis penéque exhausta est,vt recreari nequeat,ex asphalto hircíq; barba vapores faciant,quò malus odor boni immensíq; virtutem contundat.Bona enim pro modo sumpta hominibus prosunt,voluptatémq; afferunt:temerè verò,inutilia redduntur.

Demaratus Corinthius,quum Alexandrum Susis in Darij solio sedentem aspexisset,præ gaudio illachrimans,magni gaudij ait expertes Græcos fuisse,qui antea obierint quàm id vidissent.

Alexander,quum accepisset sororẽ cum honesta forma iuuene congredi,rem non molestè tulit,atque,concedendum esse illi quoque regno vt fruatur.Vide titulum de Gula & intemperantia.

DE VICINORVM RATIONE. VII.

HEsiodi carmen Lacone quodam laudante, scilicet non peribit bos vtique nisi affuerit malus vicinus:excipiens Diogenes,Atqui,inquit,& Messenij periêre,& eorundẽ boues,in vicinia vobis constitutis.

Themistocles prædium vendens proclamari iussit, bonum quoque vicinum habere.inimicus etenim & inuidus,vt inquit Halcyppus,est vicinorum oculus.

Martialis

Martialis in malum vicinum:

Hospes eras nostri semper Matho Tiburtini:
Hoc emis,impositi,rus tibi vendo meum.

Dorippa apud Plautum in Milite ait: Nunc ego verum esse illud verbum experior,aliquid mali est propter vicinum malum. Acheos, Iberos,Albanos,Siculos,Pelasgos,Aborigines,Arcadas,ideò profugisse è solo patrio constat,quia malos vicinos ferre non poterant,ait Colum.libro primo.Proinde Cato in re rustica,si te,ait,libenter vicinitas videbit,facilius tua vendes,operas facilius locabis,operarios facilius conduces:si ædificabis,operis,iumentis,materia iuuabunt.

DE VICTORIA, ET TRIVMPHIS diuersorum. VIII.

CApta vrbe à Senonibus,diúque obsidione oppresso Capitolio, pactum est inter Romanos Brennúmque Gallorum regẽ,vt obsidio ea lege solueretur,vt Romani mille pondo auri penderent.in illa fortè auri pensitatione Brennus altera lance gladium cingulúmque ferreum apposuit.interroganti Sulpitio,Quid hoc esset?Quid aliud,inquit Brennus,nisi opprobrium victis?

Eumenes Cardianus captus ab Antigono,in vinculáque coniectus, Onomarchum custodem interrogat,quamobrem Antigonus hostem in ditione habens nec generosè soluit,vt Onomarchus:quum dixisset, non in præsentia,sed in bello esse debueras ad mortem:subiecit,& talis medius fidius per id temporis fui.ab iis percunctator,qui manum mecum conseruere,verùm præstantiori cõcurrisse iam scio.tunc Onomarchus: quandoquidem præstantiorem comperisti,cur eius expectandum esse tempus non existimas?

Onomademus Chius superata se authore contraria factione,non omnes aduersarios eiiciendos censuit.vereri enim dicebat,ne pulsis seditiosis,inter amicos discordiæ aliquæ nascerentur.

C. Duillus.M.filius, quòd primus Pœnos classe deuicit,redibat à cœna cum tibicine.

Alexander Macedo fugato Dario,potius castris,balneum intrans: Eamus,inquit,in balneum,Darij sudorem pugnæ loturi.cui familiaris quidam:Minimè per Iouem,inquit,Darij,sed Alexandri.Fortunas enim victi & esse & dici bona victoris oportere. In ea Darij clade victoriáque Alexandri,trecenta millia Persarum occisa sunt,ait Arrianus.De duabus memorabilibus cladibus in cap.de Fiducia dictum est.

Alcibiades quum Tauream principem in chorea superasset,victoria elatus,pugno illum percussit.

Pompeius quum postero die illius diei quo à Cæsare victus fuerat,Larissam intraret, atque vniuersus populus obuiam processisset: Ite,inquit,atque ista victori præstate.

Post Mutinensem fugam quærẽtibus quid ageret Antonius, vrbanè quispiam è familiaribus, quod canis, inquit, in Aegypto: bibit & fugit. Apud Aegyptum enim canes crocodilorũ metu fugiẽtes, è Nilo bibũt.

P. Cornelio Aruina & C. Mario Rutilio conss. in ludis Ro. coronati sunt primùm ob res benè gestas, palmæque tum primum translato è Græcia more victorib. datæ. Liber pater primus omnium ex hædera coronam capiti imposuit in victoria, quum antea solis Diis darẽtur. Romani primo myrtea etiã in triumphis coronabantur, quæ postea ouantium fuit. in ouatione primus omniũ Posthumius vsus est, libertus victis Sabinis sine cruore. nam triũphantes posthac laurea aureáve sunt vsi. Graminea corona donabantur soli imperatores ab exercitu, fuitq; omnium nobilissima: nec vnquam nisi in summa desperatione dabatur, vtpote ab vniuerso exercitu seruato seruatori. Eadem obsidionalis dicta, liberatis obsidione exitióque totis castris: erátque è viridi gramine decerpta. inde vbi obsessus seruasset aliquis. namque summum apud antiquos signum victoriæ erat, herbam porrigere victis. Ouantes etiam oleagina coronabantur. Apud Athenienses etiam triumphantes, in Palladis gratiam, in Olympicis certaminibus oleastro coronabantur. In Isthmiis pinea. Alexander Macedo instituit, vt victores è Persa arbore coronarentur, quum comperisset sitam fuisse à Perseo Memphi. Romani præterea victores Marti & Palladi machinas aut naueis discincti comburebant. victos mos erat digitos tollere iubentibus victoribus, manúmque dare. In victoriis trophea ferebantur: ea erant, quum truncus è quercu vestiebatur armis hosti ereptis. Aeneas apud Verg. lib. 11. Ingentem quercum decisis vndique ramis Constituit tumulo, fulgentiáque induit arma, Mezenti ducis exuuias (tibi magne tropheum Bellipotens) aptat roranteis sanguine cristas, Teláque trunca viri, & bis sex toraca petitum Perfossumque locis, clypeúmque ex ære sinistræ Subligat, atque ensem collo suspendit eburnum.

Opima spolia dicebantur, quum dux ducem hostilem occidisset, spoliassétque: ea in templum Iouis feretrij ferebantur. Primus Romulus tulit, occiso Acrone Ceninensium rege. Post hunc Cornelius Cossus, occiso Larte Tolumnio Etrusco. tertius Marcellus, occiso rege Gallorum Virodomaro. Apud Plutarchum in codice Latino corruptè legitur Iunius, pro Tolumnio. ab iis tropheis cœpta est triumphorum origo.

De triumphandi verò ratione quæ legi, atque item de triumphis quæ sparsim ab authoribus collegi, in vnum adducere libuit, ne sit opus lectori tot libros voluere. Triumphandi veterem fuisse consuetudinem, vel ex hoc licet coniectare, quòd Euander Herculẽ triumphalem sacranit in foro Boario, qui per triumphos vestiri solebat habitu triumphali. Et de Aeneæ trophæis dictum est. Primus tamen triumphans Romam ingressus est Tarquinius Priscus, victis Sabinis. Primus ex consulibus triumphauit Valerius, ob victoriam cõtra Etruscos partam, licet occisis 15. millibus hominum, atque inuentis vno paucioribus è Romanis. Triumphaturi extra vrbem morabantur, atque in æde Bellonæ, quæ extra vrbem erat, senatum cogebant pro triumpho impetrando. quod feciſſe Scipionem, Manlium & Marcellum, legimus.

Triumphus negabatur illi, qui sine magistratu rem gessisset: aut qui neque dictator, neque consul, neque prætor fuisset. Ea ratione Sylla triumphũ Pompeio denegabat, victo Domitio in Aphrica: sed tandem extra ordinem triumphauit, quemadmodũ & Scipio. P. Cornelio Lentulo denegatus est triumphus, quamuis multa egregiè gesserit, quia non consul aut prætor, sed proconsul fuisset in Hispania. L. Manlio denegatus, qui licet exercitum deportasset, tamen non antequàm succederetur ab altero, prouinciam perdomitam pacatámque reddidisset. Marcello redeunti è Sicilia, negatus, quia abesset exercitus. His data est ouatio.

Aemilij triumphus huiusmodi fuit. prima dies vix sufficit transmittendis signis, tabellis, colossis, quæ vehiculis 250. vecta sunt. Altero die arma multis curribus vecta, quæ sequebantur tria millia virorum nimisma ferentium, argentea in vasis 350. singula verò vasa trium erant talentorum, quæ quatuor viri singula gestabant. Alij item ferebant crateras, calices, phialásque. Tertia die tubicines prima luce bellicum sonantes: post eos 120. boues, cornibus auratis, vittis sertísque ornati, ducti ab adolescentibus ad immolandum succinctis, sequentibus pueris aureas argenteásque patinas ferentibus ad sacrificia. post hos ibant, qui nummos aureos ferebant in 83. vasis trium talentorum. hos sequebantur aurea phialam qui ferrent, quam ex lapillis Aemilius confecerat. Post hos qui ferebant Antigonia, Seleucia, Thericlia, & Persei vasa aurea. posthæc Persei currus & arma, & diadema super arma positum. Dein modico interuallo nati regis, & cum illis alumnorum pædagogorum lachrymantium turba: erant verò duo mares, vnáq; fœminæ, paruuli. post hos Perseus atra veste, déque more patrio crepidatus. post eum amicorum familiariúmque turba mœsta. post eum 400. coronæ, quibus donatus fuerat Perseus à Græcis vrbibus. Dein Aemilius sequebatur, supra auratum currum purpura auro contexta indutus, & lauri ramum dextra gerens sequentibus militum cohortibus iocularia de more dicentibus. Scipionis verò huiusmodi sertis redimiti omnes præcinentibus tubis currus spoliis refertus ducebatur. Item & ligneæ turres captarum vrbium simulachra præ se ferentes, cum scripturis & imaginibus. aurum deinceps partim rudibus massis, partim notis: item coronæ, quas virtutis gratia vrbes dedissent: posthæc boues candidi & elephantes, quos sequebantur Carthaginensium Numidarúmque principes bello capti. Ante imperatorem lictores præibant, purpureis induti vestibus cum citharædorum & tibicinum turba, quos Lydos vocabant: qui & ipsi coronis aureis redimiti erant. In horum medio quispiam talari veste fimbriis ac armillis aureis splendentibus amictus, gestus vanos edebat, deuictisque hostibus insultás risus ciebat. post hunc

odorum copia imperatorem circunstabat: qui curru aurato quatuor equis candidis trahebatur, coronam aurea gestans, vestémque indutus purpuream aureis intextam sideribus: altera manu eburneum sceptrũ, altera laurum præ se ferens. ibant cum eo pueri, virginésque, & habenas tractantes vtrinque iuniores cognati: post hunc qui exercitum secuti fuerant scriptores, ministri, scutiferi ve: postremò exercitus in turmas diuisus: in quo milites etiã laurũ in manu gestabãt, lauro etiã redimiti.

Ouid. in Eleg.

Ite triumphales circum mea tempora lauri,
Vicimus.

Ibant verò triumphantes in Capitolium, ad templum Iouis Capitolinũ: in quo aliquem è captiuis ducem deinde hostias immolabant, peractisque sacris in palatium descendebant: atque ibi epulabantur epulo publico, quod ipsi tradere tenebantur. interdum è Capitolio domum descendebant: educebantúrque à senatu in Capitolium ibique immolabant: victimæ erant tauri. Ouantes verò vnico equo vehebantur, atque à plebeis vel equitibus deducebantur in Capitolium, vbi oues mactabant: vnde ouatio dicta.

Præterea triumphaturi laurum è laureto, quod à Liuia Augusta olim consitum est, quo tempore in gremium eunti ad Veientanum aquila demiserat gallinam albam, ramum laureum rostro ferentem decerpebant. Eandémque laurum triumphantes eodem in loco pangebant. obseruatúmque est, sub eius obitum arborem institutam elanguisse. Nouissimo Neronis anno omnis sylua exaruit: tãquam defectura in Nerone Cæsarum familia.

Vestes triumphantium, toga prætexta, & toga picta, tunica palmata, laurea, sci pio eboreus, sella curulis. Ferebantur item in triumphis bella exculpta, vrbes ipsarúmque oppugnationes, pérque singula pegmata captæ vrbis dux.

Triumphantium domorum portæ extrà aperiebantur: in publicúmque reiiciebantur: murorum aliqua pars ab illis diruebatur, vt ostenderent non esse opus ciuitati muris, eos viros habenti. Triumphãtium olim corpora minio inficiebantur, atq; Camillum sic triumphasse aiunt. Triumphũ inuentum esse à libero patre, memoriæ proditum est.

Quoties autem aut bella non rite indicta, neque cum iusto hoste gesta erant, aut hostium nomen humile, vt seruorum, aut piratarum, vel deditione facta citra sanguinem, ouatione donabantur: ouantésque corona myrtea vtebantur, pedibúsque vrbem ingrediebantur: vt plurimum sequentibus eos non militibus, sed vniuerso senatu, coronabantur etiam & oleaginea corona. Festus verò ait, oleagineis coronis ministri triumphantium vtebantur.

Quintius Cincinnatus Seranus, primus omnium equos victos sub iugum misit, iugúmque boum equis impositi, temonem ceu stiuam tenens veluti rusticum opus, à quo fuerat abductus, imitaturus. ex Floro

Floro, & Dionysio Halicarnasseo.

In victoriis literæ cum lauro mittebantur, quæ laureatæ dicebantur: Liuius lib. 5. Literæ laureatæ à Posthumio sequuntur.

Druidæ è prælio decedentes, ceruicibus equorum hostium capita suspendunt: eáque domum delata, pro spectaculis postibus affigunt, ait Strabo.

Marius in Cimbrico bello ex oraculo Calphurniam filiam mactauit, victoriáque potitus est. Erechtheus bellum contra Euinloquium pugnans ex oraculo filiam mactauit, victoriámque adeptus est.

Babylon vrbs adeò vasta fuit, vt captæ ab hostibus feratur partem aliquam vrbis tertia die nodum aliquid sensisse. ex Arist. 3. Polit.

Cadmus, quum serpentem occidisset Marti sacrum, coactus est ipsi deo octo annis seruire: vnde victoria Cadmea ea dicitur, in qua pari damno victus victórque afficitur.

Lacedæmonij Athenienséque de agro Thyreatium dissentientes, conuenerunt, vt ex lexcentum Athenienses, totidémque Spartani manu litem finirent. vtrinque ardentissimè certatum est. Ex omnibus vnus superstes Athenienlis Otriades, qui & ipse inscripta prius in scuto sanguine victoria gladio incubuit: ne fortè aufugisse videretur. prælium nauale vetustissimum omnium Corinthiorum cum Corcyrensibus fuisse, ait Thucid.

Pugnæ quæ gesta est ad Hypseum, omnes reges terræ affuisse, ait Plutarchus in Pyrrho. Moses in legibus ait, victores rebelles occidite: alios ad tributa reddenda seruate.

Cyrus apud Xenophontem: Stultum est, ait, qui potiri volunt victoria, terga, cæcas corporis partes, quæ armis vacant & manibus, hosti tradere. Nestor apud Hom. Danaos admonet, vt nemo spe lucri immoretur in spoliando hoste: sed fugientes hosteis insequantur, vt in ocio possint postea spoliare.

In Latinarum feriarum ludis, victor in quadrigarum certamine absinthium bibit, vt sanitas præmio daretur, ait Plinius. Achemenide herba conjecta in hostium aciem, trepidare agmina, ac terga vertere: ex eodem.

Hermocrates ad Syracusanos: Non minoris, inquit, virtutis esse arbitror, Syracusani, parta victoria bene vti, quàm vincere. Cic. lib. 4. Rhetoricorum: Viri fortis inquit, est, qui de victoria contendant, eos hosteis putare: qui victi sunt, eos homines iudicare.

Illud addendum, apud veteres morem fuisse, vt interemptos duces omnis vulneraret exercitus. Verg. li. 2. Aeneid. de Hectore: Vulneráque illa gerens, quæ circum plurima muros Accepit patrios. ex Homero sumptum, qui ait omnes Græcos tela iecisse in Hectorem extinctum.

Victoriam Stigis filiam aiunt fabulæ fuisse. & quia eius auxilio Iupiter Titanas delenit, ob meritum sanxit, vt nullus deorum per Stygem iurans deieraret: sed voluit esse sacramentum inuiolabile.

Universidad de Deusto Biblioteca

DE VOCE, VOCALITATE, & clamore. IX.

EO quidam genere opibúsque clarus magis quàm officiis adolescens Athenienſis, magnis importuniſque vocíferationibus in ſenatu vſus erat: quare quum in cœtum receptus eſſet, vrbanè Plato: Hoc eſt verè leonem eſſe.

Quum comitia agerentur de mittendo in piratas Pompeio, Roſciúſque non primum, ſed ſecundum ducem creandum illum eſſe diceret. ferunt plebem indignatam, ita vociferatam eſſe, vt ſuperuolans coruus oculis captus, in medium forum ceciderit.

Tantum luctus clamoriſque in Troia intus à Troianis, atque extra à Græcis factum eſt in Hectoris morte, vt aues vocibus conſternatæ ex aëre ceciderint.

Tanta militum multitudo ſecutura Scipionem in Aphricam naueis conſcendit, vt præ clamore aues ad terram ſint prolapſæ.

T. Quintius Flaminius victo Philippo Macedonibúſque conuocatæ Græciæ, quum per præconem edixiſſet tribui libertatem, tantum clamoris ob gaudium Græci extulerunt, vt corui deciderent.

Stentoris apud Homer. 5. Iliad. tantus erat vocis ſonus, quantum aliorum quinquaginta. Peſcennius Niger adeò fuit vocalis, vt in campo loquens, per mille paſſus audiretur, niſi ventus aduerſaretur. In Darij exercitu quidam omnium vocaliſsimus fuit. Is ex ripa Iſtri Hiſtiærum Mileſium claſsis præfectum vocauit. Vocalis & Demetrius in funere Timoleonis, Thraſybulus Athenis, & Lucius, Auguſto imperante.

Infantis naſcentis nulla vox auditur, antequam totus emergat vtero. Primus ſermo anniculo eſt. ſemeſtris locutus Cræſi filius in crepundiis eſt: quo prodigio id concidit regnum. qui celerius fari cœperunt, tardius ingrediuntur. Choromandorum gens ſyluestris ſine voce eſt.

Noctuas decem voces habere tradit Nigidius, ſexageníque diebus hyemis cubare.

Agrippina Claudij Cæſaris coniunx turdum habuit (quod nunquam antea) imitantem hominum ſermones. Habebant & Cæſares iuuenes ſturnum, luſciniáſque græco atque latino ſermone dociles. ex Plinio libro decimo. Eſt & celebris coruus à ſutore educatus, qui omnibus matutinis auolans in roſtra forum verſus: Tyberium, dein Germanicum & Druſum, Cæſares nominatim ſalutabat. hunc proximæ ſutrinæ manceps, ſiue emulatione, ſiue ob fœdatos excrementis corui calceos, occidit. ſed is primò ex ea pulſus regione, mox interemptus eſt: alitis verò funus innumeris celebratum exequiis, conſtratum lectum ſuper Aethiopum duorum humeros, præcedente tibicine, & coronis omnium generum ad rogum vſque, qui conſtructus dextra viæ Appiæ ad ſecundum lapidem in campo Rediculi appellato fuit.

Meridionales partes acutiorem vocem reddere, ſeptentrionales grauio-

riorem quod aiunt: ex duobus paribus calicibus probatur, vnum ſonum reddentibus, quum ex fornace eximuntur. quod ſi alter ex iis in aquam immitatur, diſceptare ſonum ex Vitruuio.

Gorgonis Buteonis auditor, ac poſtea ſcholæ ſucceſſor, vocis fuit obtuſæ, ſed pugnaciſsimæ. in hunc Barus ſcurra: centum raucorum voces, inquit habes.

Eratoſthenes feſtiuam de aſinis fabellam recitat: ait enim: quum Iupiter bello Gigantibus indicto deos omneis conuocaſſet, veniſſe Liberum patrem, & Satyros Silenos aſinis vectos. qui quum non longè ab hoſtibus abeſſent, dicuntur aſelli pertimuiſſe: ſed adeò vociferatos, vt audita illorum voce Gigantes fuerint in fugam verſi.

DE VERBIS ET ALLVSIONE. X.

AGis Archidami filius, quum legatus ex Perintho Lacedæmonem veniſſet ac longa vſus oratione, tandem dicendi finem feciſſet, rogaſſétque Agim, quid Perinthiis nuncia turus eſſet: Quid aliud, inquit, quàm te vix finem dicendi feciſſe, me verò tacendi.

Samiorum legatis longa vſis oratione, Lacedæmones dixerunt: prio ra quidem obliti ſumus, ſed nec poſteriora percepimus, quòd priora memoria exciderunt. ex Plutar. in Vitis, ſed in Apophth. aliter.

Martialis in Poſthumium cauſidicum:

Non de vi, neque cæde, nec veneno,
Sed lis eſt mihi de tribus capellis,
Vicini queror has abeſſe furto.
Hoc iudex ſibi poſtulat probari.
Tu Cannas Mithridaticúmque bellum,
Et Syllas, Mariósque Mutiósque
Magna voce ſonas manuque tota:
Iam dic Poſthume de tribus capellis.

E duobus architectis ad opus propoſitis, alter orationem comptam ornatámque de ædificio ad populum habuit. alter, qui non ita diſertus erat, Viri, inquit, Athenienſes quæ iſte optimè diſſeruit, re equidem efficiam.

Siſenna quum in ſenatu verbis nouis vteretur, defendénsque Critilium accuſatum à C. Ruſio, dixiſſet: accuſatum eſſe Ruſium, quædam Critilij ſputalitica: vrbanè Cneus Ruſius exclamauit, Circumuenior iudices, niſi ſubuenitis: Siſenna, quid dicat neſcio, metuo inſidias: Sputalitica, quid hoc eſt? puta quid ſit ſcio, litica neſcio.

Sizamnes Perſa quibuſdam admirantibus, quòd ſapientibus ipſius, verbis facta non reſponderent: Verborum equidem, inquit, ipſe dominus ſum, factorum autem ſimul cum rege Fortuna.

Egio Plautinus in captiuis, quũ Tyndaro dixiſſet, Sartor ſatórque

ſcelerum,

scelerum,& messor maxume:respondit Tyndarus. Occatorem dicere debebas prius:nam semper occant prius quàm sarriunt rustici.

Hircius declamator,quũ filium à matre decem mensibus dixisset latum esse in vtero:vrbanè Cicero,Quid,ait,aliæ in penula solent ferre?

Antigonus Aristodemo,qui è coquo natus,erat, dicente consulentéque, vt sumptus muneráq; diminueret:Verba tua,inquit, Aristodeme ius olent.

Mercurius in Plauti Amphitryone, venienti Sosiæ pugnorum certamen subiturum esse comminatus est. ait enim : Edet pugnos quisquis homo huc venerit.Facetè Sosia ad verbum Edet alludens:Apagè, ait,non placet me hoc noctis esse,cœnaui modò.

Martialis ad verbum Credit alludens,

Plus credit nemo quàm tota Codrus in vrbe,
Quum sit tam pauper,quomodo cæcus amat?

Idem Mercurius quum ibidem dixisset,onerandus est pugnis:festiuè respondit Sosia, Lassus sum herele è naui, vt vectus huc sum, etiam nunc nauseo,vix incedo inanis,ne ire posse cum onere existimes.

Sosia verus quum Amphitryoni hero nunciasset, se inuenisse domi alium Sosiã:atq; Amphitryo illũ delirũ existimaret, medicamentisve affectum:Huic homini, ait, nescio quid est mali,mala obiectũ manu, postquã à me abiit.Sosias ait : Fateor,nã sum obtusus pugnis pessume.

Idem Mercurius quum quatuor cecidisse homines heri pugnis diceret,vrbanè Sosia ad quatuor alludens:Formido, ait, male ne ego hic nomen meum commutem,& quintus fiam è Sosia.

Egio in Plauti Captiuis,quum Ergasilo parasito dixisset, nihil sentio:facetè ad verbum Sentio alludens,Non enim es,ait,in senticeto, eò non sentis.

Miles Plautinus in Curcul.quum Curculionem, à quo fuerat lusus, quæritans rogasset Cappadocem, dixissetq; vbi nunc Curculionem inueniam?vrbanè Cappadox,In tritico,ait,facillimè vel quingentos curculiones pro vno faxo reperies.

Menechmus fratrem Menechmum sibi perquam similẽ habebat, quem redeuntem peregrè, Cylindrus coquus putans omnino esse Menechmum:vis,ait,aduocari tibi Peniculum tuum? (erat enim Peniculus Menechmi parasitus)illè verò qui ob peregrinationem Peniculum non nouerat,ludi existimans:Eccum,ait,in nidulo saluum fero : id est, in brachis peniculum.ex Plauto.

Idem Menechmus,quum vesaniam assimularet, socérq; medicum ad curationem adhibuisset, dixissetq; illi magna cum cura,ego illum curatum volo:stomachatus medicus vrbanè, quin (ait) suspirabo plus sexcentum in dies,ita ego illum cum cura magna curabo tibi.

Achantio seruus, quum Charino herili filio nunciasset, patrem vidisse in naui amicam:atque Charinus dixisset,quomodo, qui potuit videre?respondit ille,oculis.& quum Charinus dixisset,quo pacto?festiuè Achan

Achantio,hiantibus,ait.ex Plauto in Merc.

Idem Charinus indolens patrem deprehendisse amicam, quum rogasset Achantionem, Num esse amicam suspicari visus esset : vrbanè Achantion,Non,ait:sed credebat.

Calliodorus adolescens,quum Phœnicio meretrice careret, à Pseudolo seruo dragmam petit ad emendam restim, qua se pensilem faceret. Facetè Pseudolus amatoris ineptiam carpens, Quis igitur dragmam,ait,reddet? si dederim tibi. an tu te ea causa vis sciens suspendere,vt me defraudes dragma?ex Plauto in Pseudolis.

Agarostocles adolescẽs, quum Milphionem seruum ad se vocasset, isque respondisset, Assum apud te,eccum : festiuè, ad verbum assum alludens Agarostocles:At ego,ait,elixus ũs volo.Plaut.in Pœn.

Idem Agarostocles amans Adelphasium , quum dixisset, cum illa nunquam limaui caput:Milphio seruus ad verbum alludens, Curram ait aliquò,ad piscinã aut lacũ,limũ petam. rogante Agarostocle, quid opus esset? Ego dicã,inquit,vt tibi & illi caput milẽ.Dicẽte verò Agarostocle,I in malã crucem:Ibi,ait Milphio,sum equidẽ.ex Plaut.in Pœn.

Pœnus apud Plautum in Pœn.quum Calydonem se contulisset, factúsque obuiam Agarostocli & Milphioni punicè loqueretur,me barbocca festiuè Milphio ait:Istuc sit tibi potius,quàm mihi.& quũ Milphio ab Agarostocle rogaretur, quid dixisset, miseram ait Milphio prædicat buccam sibi,fortasse medicos nos esse arbitratur.

Vespasianus imperator, admonitus à Mestrio Floro consulari, ne plostrum diceret,sed plaustrum,conticuit.Postridie verò illum eadem ratione,Flaurum pro Floro salutauit.

Apollonio Tyaneo à Domitiano in vincula coniecto,quidam à Domitiani secretis illius misertus,ad eum venit.atque, ô dij , inquit, quis vnquam putasset Apollonium aliquando in carcerem detentum iri?cui Apollonius : idem, inquit,qui me detinet : nisi enim hoc putasset, me nunquam vinxisset.

Asellus quum omnes prouincias stipendia merentem se peragrasse gloriaretur,vrbanè Scipio:agas Asellum ait.

Cassio iter ad Carras facere instituenti , suadentibus amicis Arabibus , vt apud eos maneret , hostium Parthorum insecutionem vitans, quoad luna scorpionem pertransisset, vrbanè,Ego,inquit,sagittarium magis timeo.

Cleostratus dicenti cuipiam,non pudet tè ebrium esse?Et te, inquit, non pudet ebrium reprehendere?

Cicero 4. Verrinarũ,in Verris nomen iocatus,quũ illi expilationes latrociniáq; obiecisset,sublit quare appellentur sanè ista Verrea:quæ non ex nomine,sed ex manibus naturáq; tua constituta esse videantur.

Turdus inter infames inuisosq; quum esset, oppressus cum Sabino à Cretensium multitudine,quæ volebat vt Sabinus Turdúsq; Romam Proficiscerentur , promitterétq; Turdus se accessurum , vt inde posset exir

exire: Sabinus ad Turdi nomẽ ludẽs facto silẽtio, At ego, inquit, ad Cæsarẽ non sum iturus cũ mattea. Mattea enim preciosa edulia dicuntur.

Fauonius Nasicam inhoneste accusauit, modeste tamen dixit, molis potius quàm Moloni operam Rhodi dedisse (audierat enim Nasica Apollonium Molonem Rhodi.)

Vlysses Homericus, lacessitus disco à Laodamante: quamuis, ait, sim multos expertus labores, núncque etiam iis premar, tentabo tamen certamen: nihil enim æquè cor irámque, ac verbum, excitat.

Verba magnifica, cæterum nullius momenti, cupressi fructus appellantur: ab Horatio ampullæ, & sesquipedalia.

DE VENEFICIIS ET venenis. XI.

ROmanus eques veneficus, quum ouum in sinu gereret, tanquam ad litem salutare, à Claudio aduocatus atque interemptus est.

Cato Censorius tribunum plebis veneficij suspectum, inque venefícos legem ferentem, hoc scommate taxauit: Nescio equidem vtrum haurire quod teperas, an approbare quod scribis, deterius sit.

Carneades quum accepisset Antipatrum veneno hausto defunctum, & ipse incitatus esse ostenderetur ad mortem, suis ait: Date igitur & mihi. Dicentibus illis, quid? mulsum, ait.

Lucullus amatorio poculo periit, Lucretius amatorio etiam poculo in insaniam lapsus est.

Mithridates Ponti rex sumpto prius antidoto, venenis sese assuefaciebat, ita vt Læneus Pompeij libertus scriptum reliquerit: Mithridatem, quum frustra esset expertus venenum, gladio sibi mortem consciuisse. Gell. Appian. verò ait, quum venenum quod in ense gestabat frustra diluisset, quia veneno assuetus non facilè poterat mori, à Bitio Celtarum duce, quem rogauerat, occiditur. Iosephus verò ait Mithridatem veneno confectum, quod Pharnaces filius parauerat. hic Eupator dictus est, fuitq; filius Mithridatis Euergetis. nam vsque ad hunc Eupatorem, sex fuêre Mithridates. Cum hoc Eupatore variis successibus pugnatum est à Romanis, annis quadraginta.

Puella quædam venenis paulatim enutriri cœpta, naturam fecit, vt venena perinde atque alios cibos sumeret impunè. puellæque cor caloris expers fuisse, meatúsque adeò pertenues, vt prius digereretur venenum, quàm ad cor accederet. ex Aristotele constat.

Thessalia veneficiis famosa, Apuleio authore: qui quum ibi se vnguento veneficæ oblinisset, in asinum est conuersus.

Præstantius quidam veneno magico in caseo sumpto, tractus est caballus. Famosæ sunt mulieres Arabicæ, ad veneficia conficienda. Circe Homerico carmine clara, & Vlysis sociorum in feras, rursusq; in homines

mines conuersione. item Medea.

Locusta apud Rom. est celeberrima, cuius venenis tum Britannicus, tum Claudius occisi sunt: illi Nerone potionem, huic vxore Agrippina in boleto ministrante. Inuenta est præterea Caligulæ arcula veneno plena: quæ mox à Claudio demersa, infecta maria reddidit cum pisciũ magno exitio. Claruit etiam in hoc scelere Auges, Epeorum regis filia. Famosa Cæsonia poculo amatorio in Caio viro: item Cenenius augur, vatésque, qui Bœrebistæ comes fuit in lustranda Thracia: item Damnaticus Heracleus, & Alemon: item Publicia, quæ Posthumium consulem, & Licinia, quæ Claudium Asellum viros sustulerant.

Mulieres plures quum Romæ maritos veneficiis occiderent, in eas prodente ancilla vindicatum est: inuentæque eo scelere temeratæ centum ac sexaginta, authore Valerio. Liuius 70. ait fuisse. Vide in cap. de Mulieribus.

Veneficiis apud Persas damnatis huiusmodi pœna datur. Ampla est petra, in qua capita eorum imposita, alia petra feriunt, quoad faciem ea pútque perfregerint. Calistus 48. Digest. ait, venenarij capite puniendi sunt: aut si dignitatis respectu agi oportuerit, deportandi.

In India si quis pernicioſum aliquid excogitauerit, & remedium nõ adinuenerit, morte plectitur: si verò adinuenerit, honore premióque à Regibus afficitur.

Moses legibus sanciuit, ne quis domi venena haberet: deprehensus, morte plectebatur.

Melam equestris ordinis reum, fama est ex procuratione à Tyberio principe accersitum, in summa desperatione succo porri, ad trium denariorũ argenteorũ pondus hausto, confestim expirasse sine cruciatu.

Papauerum succus in pastillos tritus (opion vocant) si copiosior est, mortiferam per somnum vim habet. sic interemptus est C. Licinius Cecinnæ prætorij viri pater in Hispania, quoniam impatibilis valetudo odium vitæ fecerat.

Excantationes item fuisse temporibus heroicis, ex Homerica Odyssea intelligitur. Autolyci filios ibi sanguinem repressisse in Vlysis vulnere, ab apro accepto. Iosephus ait, excantationes, dæmonúmq; adiurationes à Solomone inuẽtas. Cato in re Rustica, coxendicem duabus excantationibus excantat.

Hostanes contra mala medicamenta omnia promisit auxiliari, matutinis horis suam cuique vrinam instillatam in pede. Aquifolia arbor in domo vel in villa sata, veneficia arcet, flore eius aqua glaciari, baculúmq; ex ea factum in quoduis animal immissum, etiam si citra ceciderit, defectu mittẽtis per sese recubitu propius adlabi. Antirrhino perunctos venustiores fieri, nec vllo malo medicamento lædi posse, aut veneno: siquis in brachiali habet, arbitrantur magi. Similiter eam quã Eupleam vocant, scyllã quoq; in limine ianuæ suspensam, Pythagoras malorum medicamentorum introitum pellere tradit. Aspide calcata percussus,

percussus,vtrem aceti ferens,quoties deposuisset sentiebat ictum, alias illæso similis:intellectum est,ibi remedium esse, potúque succursum.

Qui lentiginem habent,iis negari Magicæ sacrificiorũ vsum aiunt: magicam verò artem à Zoroastre inuentam, sex millibus annorum ante Platonis mortem,quinque millibus annorum (secundũ Hermippum)ante Troianum bellum. Empedocles. Pythagoras, Democritus, Plato,ad hãc discendam enauigauêre.clari in ea Agonax, Apuscorus & Zaratus,Medi:Marmaridius Babylonius,& Hippocas Arabs:Zarmocenidas Assyrius, Orpheus, Hostanes duo, quorum primus in Xerxis bello commentatus est in regis comitatu, secundus verò Alexandri Macedonis temporibus comitatu eius exornatus.Item Zoroaster Proconnesius.Democritus de ea volumina edidit.

DE VESTITV. XII.

PAusanias Cleombroti filius, admirantibus quibusdam barbarorũ vestium sumptum:melius esset, inquit, ipsos multifieri,quàm multifacienda possidere.Socratis pallij partem proscissam, quum Antisthenes multis spectantibus ostendisset,spectandámq; dedisset:aspicio,inquit Socrates per scissuram pallij tuam vanitatem.Diogenes conspicatus Lacedæmone peregrinum, se ad diem festum ambitiosissimè componentem:quid,inquit,viro bono nónne omnis festus est dies?

Valerius Martialis ad Ruffum:

Quidam me modò Ruffe diligenter
Inspectum,velut emptor aut lanista,
Quum vultu digitóque subnotasset,
Túne es,túne ait ille Martialis,
Cuius nequitias iocósque nouit
Aurem qui modò non habet Batauam?
Subrisi modicè,leuíque nutu
Me,quem dixerat esse,non negaui.
Cur ergo,inquit,habes malas lacernas?
Respondi,quia sum malus poëta.
Hoc ne sæpius accidat poëtæ,
Mittas Ruffe mihi bonas lacernas.

Augustus quum de Tyriæ purpuræ,quam emi iusserat, obscuritate quereretur:dicẽte vẽditore, erige altius & suspice:vrbanè, Quid ergo, ait,vt me populus Rom.dicat bene cultũ,in solario ambulaturus sum?

Idem Augustus veste domestica vtebatur,ab vxore,sorore,nepotéve confecta.

Serranorum in familia gentile erat,fœminas linea veste non vti,ait Varro.Massagetis arborum cortex vestis est. Apud Coraxos admissarij arietes talento emuntur ad lanificium, telarum tenuitatem exuperans.Laneæ vestes neque in ædes sacras gestantur, neque vnà cum cadauere

dauere sepeliuntur apud Aegyptios.Vestem quæ fuerit in funere,à tineis non attingi aiunt.

Alexander Macedo inspecta Medica veste,Persicáque,reiecta Medica tanquam ornatiorem Persicam sumpsit.

DE VBERTATE AC COPIA. XIII.

TRitico nihil est fertilius,vberiúsque:hoc enim natura illi tribuit,quoniã eo maxime alat hominẽ,vtpote quum è modio,si sit aptum solum, quale in Byzantio Africæ campo,centeni quinquageni modij reddantur.misit ex eo loco diuo Augusto procurator eius ex vno grano,vix credibile dictu,quadraginta paucis minus germinasse ait Plinius.

Ciuitas Africæ,in mediis sita harenis,Syrtes petentibus Leptim quæ magna vocatur Tacape,fœlici super omne miraculum riguo solo,ternis ferè millibus passuum in omnem partẽ,fons abundat largus quidam.sed certis horarum spaciis dispensatus inter incolas,palmæ ibi prægrandi subditur olea,huic ficus,fico punica,illi vitis,sub vite seri frumentum,mox legumen,demum olus,omnia eodẽ anno,omniáque aliena vmbra aluntur.

Vrbi Sardianæ,Cori & Hermi & Caistri campi subiacent,camporum omnium optimi.

In Hircania vitem metretam vini ferre,siculneam ficorum modios 60.triticum delapso è culmis fructu denuò renasci,in arboribus apes operari,melláque de frondibus fluere,aiunt.

In Margiana vitem esse proditum est,cuius stipitem duorum vix hominum vlnæ complectantur. Racemum duorum cubitorum longitudinem implere. In Aria,vinum nonagesimum annum perdurare.

In India duas esse sementes:alteram hibernam,æstiuam alteram: in quibusdam arboribus lanã nasci,ex qua sindones texuntur.ex arundine mel oriri. In ea arbor,quæ frondes habet non minores clipeo,ramos in terram deiicit,sæpiúsque per se ipsam propagatur,deflexis in terra ramis,arbores tam magnas,vt vix à quinque viris amplecti possint,subque vna arbore quadringentos equites meridiari posse.sponte ibi triticum nasci,& in ea cinnamomum,nardum,&c.

Babylonis regio adeò ferax traditur,vt nunquam non ferè ducena reddat:& vbi præstans est bonitate,se vincit etiam ad tricena.milij verò ac sesami proceritatem arborum instar.

In insulis Fortunatis oleæ,vitésque,cæteræque arbores fructiferæ, sponte proueniunt.Crocum gaudet pedibus atteri,vberiúsque pereundo prouenit,ideóque iuxta semitas ac fontes lætissimum.

Fundanius apud Varronem de Italiæ vbertate ita ait:Quid in Italia vtensile non modò non nascitur,sed etiam non egregium sit?quod far comparem Campano?quod triticum Apulo?quod vinum Falerno?quod oleum Venafro?Nónne arboribus consita Italia est,vt tota

pomarium videatur? Dionysius Italiam optimam omnium totius orbis prouinciã vocat. Homerus in Iliad. Thisben vocat vrbem palumbibus abundantem, atque itẽ Pharim: Alearten herbis, Arnam vinis, Minycum ouibus, atque etiam Hirona: Histiza vitibus, piscibus Lacedæmonem, amœnitate Artenen & Mantineam, pecoribus Orchomenon, ventis Enispen, frondibus Neriton, lapidibus Egilipa & Calidona, floribus Prason & Selion, montibus Iolcon & Hytomen, salebris Pollizona, argentifodinis Alibam.

DE VITA. XIIII.

THales dicebat, mortem à vita nihil differre. dicente illi quopiam, Tu verò cur non moreris? quia nihil, inquit, differt. Euripides, vt ait Socrates apud Platonem in Gorgia: quis nouit, inquit, vtrum viuere quidem mori sit, mori autẽ viuere? idem Plato vitam humanam alæ comparabat. Simonides interrogatus, quàm diu vixisset? parum, respondit, licet annos multos.

Clitipho adolescens apud Terentiũ, quum non posset à patre Chremete extorquere decem minas, quas amicæ Bacchidi esset largiturus, ac diceret: Emori cupio, pater Chremes: prius, quæso disce quid sit viuere, ait: vbi scies, si displicebit vita, tum hoc vtitor.

Diogenes Cynicus, cuidam dicenti, malum est viuere: non, inquit, viuere malum est, sed malè viuere.

Alcibiades quum accepisset, se vna voce à populo Athenienſi morte damnatum, vitas sétque carcerem (nam statim vt accusatus est, è patria aufugit) At ego, inquit, ostendam illis Alcibiadem viuere.

Iupiter apud Homerum: Neque enim quicquam est, omnium qui supra terram spirant & versantur, homine laboriosius. Plin. lib. 1. mutuatus ait: nec miserius quicquam homine, nec superbius. Cæteris quippe animantium sola victus cura est, in quo sponte naturæ benignitas sufficit, vno quidem vel præferenda cunctis bonis. quòd de gloria, de pecunia, de ambitione, supérque de morte non cogitant. Protagoras apud Platonem fabulam recitat geneſis mortalis, aitq; Epimetheum, cui procreandorum animalium cura mandata fuerat, omnia elargitum irrationalibus, nihil quod homini impartiret, reliquisse: & ob id nudum hominem destitutum.

Cyrus apud Xenophontem moriens filiis ait: Nullo modo filij hoc vnquam mihi persuasi, vt animus viuat, donec fuerit in corpore mortali. quum verò ab hoc solutus fuerit, moriatur.

Xerxes quum exercitum lustrans, tantum copiarum aspexisset, lachrymasse dicitur. rogatúsque ab Artabano cur lachrymaret, subit mihi, ait Xerxes, horum miseratio: quorum, quum tot sint, nemo ad centesimum annum supererit. sed excipiens Artabanus: Atqui, ait, alia hoc miseriora viuendo patimur. nullus enim hominum adeo fœlix est, neque horum, neque aliorum, cui non crebro, nedum semel, subeat animo

animo moriendi voluntas potius, quàm viuendi.

Mecœnas debilitatem non recusabat, & deformitatem, nec nouissimè acutam crucem, dummodò inter hæc mala spiritus prorogaretur. ex Seneca in Epist. Socrates verò apud Platonem in Gorgia: audiui iam, inquit, à sapiente quodam, nos nunc mortuos esse. corpúsque nostrum sepulchrum esse nobis.

Olympias Alexandri mater, quum audisset filium sepulchro carere, velutique neglectum iacere, inter lamenta questa est, filium non posse potiri, quæ alij assequuntur, quum alioqui cœlum vendicare sibi putasset.

Xenophilus musicus centum & quinquaginta annis vixit, sine vllo corporis incõmodo. Isocrates annis 95. eius præceptor Gorgias Leontinus 107. Argantonius, qui in Gadibus regnauit, centum & viginti. Anacreon verò ait, Argantonium Tartessiorum regem 150. annos vixisse. Cyniram Cypriorum regẽ 160. Aegimio 200. Theopompus Epimenidem Gnosium 155. Hellanicus in Aetolia quosdam 200. explere: Damates ex iis Pictoreum 300. Ephodorus Arcadum reges totidem. Cornelius Pandionem quendã in Illyrico 500. Xenophon Impetrim Plutiniorum regẽ octingentos, filiúmque eius sexcentos. In Musitani terra, quæ est in India, viuunt 130. Seres 200. excedere. in Tmoli montis cacumimine, quod vocant Tempsim, 150. in Atho monte, Acroton vrbem esse: eam qui incolunt, longæui sunt, atq; ob id Macrobij dicti. Cirnij Indorum gens 140. item Aethiopes Macrobios, qui serpentibus vescantur. Nestor 300. M. Valerius Coruinus 100. Metellus pontifex totidem. Terentia Ciceronis 107. Clodia Osselli 115. Luceia mima 100. annos nata, in scena pronunciauit. Valeria Copiola in scenam ducta, annum agens 104. Sammulla 100. T. Fullonius Bononiensis 150. & L. Terentius ex eadem vrbe. M. Aponius Arimini 150. Satena mulier 90. Hyperborei mille. Annorum numerositas in sacris literis mira est. Sunt qui existiment annorum alterum æstate constare, alterum hyeme: alij quadripartitis tẽporibus, vt Arcades. quidam lunæ senio, vt Aegyptij. Q. Fabius Max. 100. Clodia Auli filia 135. Latinorum quidam rex 800. Valerius nimium differt à prædictis, in aliquibus.

Trebellius Pollio doctissimi, ait, mathematicorum 120. ad viuendum datos iudicant: addentes, Mosem solum Dei familiarem, 125. annos vixisse. cui lamentanti quòd iuuenis interiret, responsum est ab incerto numine, neminem plus esse victurum. Plin. ait, cor augeri in homine per singulos annos ad binas dragmas, ad 50. annum: ab eo, detrahi tantundem. & ideo non viuere hominem vltra centesimum annum, Aegyptij existimant. Vitam natura, fato aut casu finiri, asserunt philosophi. huius rei non ignarus Homerus, in Odyss. ait, Iouem dicere, frustra queri mortaleis de futura morte Aegysthi, quum sæpe homines contra fatum mortem sibi accelerent.

Seneca poëta in Tragœd.

Nemo tam diuos habuit fauenteis,
Craſtinum vt poſsit ſibi polliceri.

Martialis:

At bene noſtri computentur anni,
Et quantum tetricæ tulêre febres,
Aut languor grauis,& mali dolores
A vita meliore ſeparentur,
Infantes ſumus,& ſenes videmur.

Metrodorus in epiſtola,qua ſororem conſolatur,quæ filium optimæ indolis amiſerat:Mortale,ait,eſt omnium mortalium bonum.

Annum 21.eſſe homini periculoſum,item 42.item 63.& deinceps per eundem numerum,dicunt.

Vitæ breuis ſigna ſunt,rari dentes,prælongi digiti,plumbeus color, pluréſque in manu incisuræ,nèc perpetuæ.Contrà longæ eſſe,incuruos humeris,& in manu vna duas inciſuras longas habentes,& plures quàm 32.dentes,auribus amplis.Frons ampla ſegnem animum ſignificat,parua mobilem,rotunda iracundiã.ſupercilia quibus in rectum porriguntur,molles ſignificat:quibus iuxta naſum flexa,auſteros:quibus iuxta tempora inflexa,deriſores:quibus in totum demiſſa,maleuolos & inuidos.Oculi longi maleficos:qui carnoſos à naribus habent, malitioſos.Candidi pars extenta,impudentes:mobiles,inconſtantiam ſignificant,Auriculæ magnæ loquacitatem,ſtultitiámque,

DE VOTIS. XV.

ADoleſcens quiſpiam delicatus,quum ſcalmum in littore comperiſſet,nauem ædificare concupiuit.

Pelaſgi veteres Italiæ incolæ,rerum pro voto potiti, quum vota non perſoluiſſent,à diis morbis calamitatibúſque agitati,ac Italia pulſi ſunt.

Laomedon,quum certam ad ſacra pecuniam Apollini Neptunóq; vouiſſet inſtantibúſque hoſtibus ad murorum ædificationem collocaſſet,multa perpeſſus eſt infortunia.

Pythagoras, quum in Geometria quiddam non inueniſſet,Muſis bouem immolaſſe dicitur.

Galli Ariſtonico duce,vouerunt de noſtri militis præda Marti ſuo torquem:Cæterùm de torquibus eorum aureum tropheum Ioui Flaminius erexit,Iidem Viridomaro rege,Vulcano Romana arma promiſerant:ſed Marcellus occiſo eorum rege,Ioui feretrio opima ſpolia ſuſpendit.

Diagoras,quum in Samothraciam veniſſet,atque ei amicus quidam dixiſſet:Tu qui deos putas humana negligere,nónne animaduertis, ex tot tabellis pictis,quàm multi votis vim tempeſtatis effugerint,in portúmque ſalui peruenerint. Ita fit,inquit:illi enim nuſquam picti ſunt,qui naufragium fecerunt,in mariſque periere.

Menedemus,

Menedemus,dicente aliquo,maximum eſſe bonum,quæ quiſque cupiat frui:multo,inquit,maius eſt ea ſolum quæ decet cupere.

In Iero inſula,quum nullus eſſet lepus,quendam à quodam aduectum, cœpit libido cæteros adoleſcentes conquiſitos lepores alere. Itaque breui tanta copia leporum accreuit,vt ſemina illorum populati ſint,& fames ſit ſubſecuta,atque eos vix ab inſula abegiſſe.ex Hygino.Proinde Iuuen. Omnibus,ait,in terris quæ ſunt à Gadibus vſq; Auroram & Gangen,pauci diſcernere poſſunt,Vera bona,atque illis multum diuerſa,remota Errorum nebula:nam quid ratione timemus,Aut cupimus?

Darius ſuapte natura credulus in iis quę cuperet fuiſſe dicitur.Martialis:Credidimus,quis enim damnat ſua vota libenter?

Votorum delicias ita ſcribit Perſius:Nunc Licini in campos,nunc Craſsi mittit in ædeis,Nunc optent generũ rex & regina puellæ,Nunc rapiant quicquid calcauerit,& roſa fiat.

Vota concipi ſuſcipíque dicuntur,quum animo linguáq; vouemus. Nuncupatio verò votorum dicta,quum quæ vouit imperator,in tabulis referrentur,ac præeunte Pontifice maximo nunciarentur.ſolebant autem vota quæ vouiſſet imperator aut magiſtratus per conſs.nuncupari in Capitolio calendis Ianuariis.Formula voti pro bubus,eſt apud M. Catonem in hunc modum:Marti Syluano in ſylua interdius in capita ſingula boum votum facito,adoris libras 3.& lardi p.4.5.vini ſeſtarios 3.5.id in vrnas liceto coniicere:& vinum idem in vnum vas liceto coniicere.Eam rem diuinam,vel ſeruus libérve licebit facere.vbi res diuina facta erit,ſtatim ibidem conſumito.mulier ad eam rem diuinam ne adſit,néve videat quomodo fiat. Formula autem votorum conceptionis eſt apud Liuium lib.6.Decadis 4.in hunc modum,quam P. Licinio pontifice maximo M.Attilius conſul nuncupauit:Si duellum quod cum rege Antiocho ſumi populus iuſsit,id ex ſententia ſenatus populi que Romani confectum erit,tum tibi Iupiter pop.Rom. ludos magnos dies 10.continuos faciet,donáque ad omnia puluinaria dabuntur,de pecunia quantam ſenatus decreuerit.quiſque magiſtratus eos ludos,quando vbíque faxit.hi ludi rectè facti,donáque data rectè ſunto.

Votis ſacríſque vetuere eſſe eos alternis genibus poplitibus impoſitis.Plin.de verbenaca:ſed magi vtique circa hanc inſaniunt.hac perunctos impetrare quæ velint.

Lacedæmonii à diis expetebant,vt pulchra cum bonis tribuerent, nec plura. Sed quum Athenienſes ab illis ſemper vincerentur, conſuluiſſe Hammonem dicuntur,quid eſſet in cauſa,quod quum ipſi ſacradiis facerent omnibus Græcis cumulatiora, Lacedæmonij verò hoſtias mutilatas offerrent,peiorésque ad ceremonias omnes eſſent: eos verò multas magnáſque hoſtias,& largiores eſſent ad ſacra,ab illis tamen ſemper vincerentur. reſpondiſſe vatem aiunt: Hammoni

magis placere orationem Lacedæmoniorum, quàm Athenienſium ſacra. Socrates apud Platonem id recitat libro 6.

DE VIRIS. XVI.

Diogenes Cynicus, Heus homines, quum dixiſſet: plurimíque conueniſſent, baculo eos abigebat: dicens, homines, non purgamenta vocaui.

Platone diffiniente, homo eſt animal bipes ſine pennis: laudata à multis diffinitione, nudatum pennis plumáque gallum gallinaceum in eius inuexit ſcholam Diogenes dicens, hic Platonis homo eſt.

Alexander Macedo, quum à Iouis Hammonis antiſtite per adulationem illi dictum eſſet, eſſe Iouis filium: eſſétque aliquando vulneratus, vt penè doloris acerbitate collaberetur: amicis dixit, Hunc planè cruorem mortalium, ac non diuorum vulnera ſpargunt.

Iulius Druſus Publicola, quum domum haberet, quæ vicinis omnibus vndique erat conſpicua, expoſcente ab eo fabro quinque talenta, vt eam ita collocaret, vt ab oculis vicinorum auerteret: decem, inquit, tibi dabo, ſi ita conſtitues eam, vt non à vicinis modo, ſed à ciuibus vniuerſis meæ vitæ rationes inſpiciantur.

Menandro Bactrorum regi in expeditione extincto, cuncti populi magnificè funus exoluerunt: poſtremò quum diu de reliquiis decertatum eſſet, cui adiudicarentur, conuentum eſt, vt ſingulis pro rata portione diſtribuerentur.

DE VVLGO. XVII.

PHocion Athenienſis apud populum ſententiam dicens, quum ab omnibus vno ore approbaretur, ad amicos conuerſus: Num quid mali imprudens, inquit, forſitan dixi? Cicero 2. de finibus: quid turpius quàm ſapientis vitam ex inſipientium ſermone pendere?

Appius Claudius, quum in cenſura haberet comperjtorem Scipionem, Pauli Aemilij filium populari auræ ſtudentem, magna voce, ô Paule, inquit, Aemili, nónne etiam apud inferos (ſi quis illic noſtrarum rerum ſenſus eſt) indignaris, quòd filium tuum Mallius tonſor, & Licinius declamator, ad cenſuram perducunt?

Non eſſe vulgo res reconditas, auribúſque populi indignas pronunciandas, extrium exemplo philoſophiæ virtutiſque luminum eſt cognoſcere: Protagoræ videlicet, Anaxigoræ, Socratiſque. Hi enim impietatis crimine à vulgo ſuſpecti habiti ſunt, quòd rerum naturam inueſtigarent: Anaxagoras enim primus omnium de lunæ defectu diſſeruit: è Socrate veluti ex Apennino fontes philoſophiæ emanarunt: Protagoras Athenis exul factus: Anaxagoras in vincula coniectus, vt vix à Pericle non ſine maxima contentione laboréque ſeruari potuerit: Socrates damnatus interiit.

Ariſtoteles libro 2. de Locis & enthym. Sacerdos quidam, inquit, ſuadeb

ſuadebat filio, ne vnquam apud populum verba faceret: nam ſi iniuſta ſuaſeris, inquit, deos habebis iratos: ſin iuſta, homines. Filius rurſus ait, Immo expedit facere apud populum verba. nam ſi iuſta dixero, dij me amabunt: ſin iniuſta, homines. Democritus dicebat, Vnus mihi pro populo, & populus pro vno.

Herodotus hiſtoricorum pater oſtendit, melius eſſe in tyranni quàm in plebis ditionem peruenire. nam tyrannus ſiquid facit, intelligens facit. at plebi, ait, ſuum eſt, nihil intelligere. Carthaginienſes Annibalem è conſpectu abire iuſſerunt. Athenienſes Theſeum de illis benemeritiſsimum in Scyrum egerunt. éſtque præcipitatus à Lycomede illius inſulæ principe, de rupe. Ab iiſdem Athenienſibus Solon legum conditor in exilium actus eſt, ætatémque Cypri profugus egit. Iidem Miltiadem, qui 300. millia Perſarum in Marathone deuicerat, in vinculis mori coëgerunt. Iidem Ariſtidem, quòd nemo eſſet Athenis illo iuſtior, extorrem patriæ fecerunt. Themiſtocles ob patriæ ingratitudinem, ad Xerxem, quo cum bellum geſſerat, confugere coactus eſt. Iidem Phocionem, virum optimum, in eculeo impoſuerunt. Epheſij Hermodorum, virum integerrimum, pepulerunt, quòd nollent de ipſis aliquem excellere.

Camillus à L. Apuleio accuſatus, quòd ſpolia Tyrrhena prædámque Veientanam apud ſe denunciaſſet, quamuis ex morte filij laboraret, nihil tamen iræ à multitudine in eum dimiſſum. rogatis ergo fruſtra amicis, quum opis nihil præſtarent, ſecedere cenſuit. Ingratus pop. Rom. Scipioni Africano, qui exilium à patria ſibi ipſe indixit. Ingratus in occiſores Africani poſterioris, & in Naſicam, quem legationis titulo Pergamum ſecedere coëgit. & in Lentulo, in comprimenda Gracchana ſeditione, Naſicæ ſocio, qui in Sicilia conſenuit. Seruilius Hala magiſter equitum, qui iuſſu Quintij dictatoris Sp. Melium regnum affectantem occidit, in exilium actus eſt.

Alcibiades dux Athenienſium, quum bellum contra Siculos, cuius fuerat auctor, male geſtum eſſet, in exilium actus eſt. ſed mox vrgentibus tyrannis Athenas ab exilio reuocatur, dúxque claſsi conſtituitur. qui quum Lacedæmonios mari terráque viciſſet, ita exceptus eſt triumpho ab Athenienſibus, vt non humanis tantum, ſed diuinis etiam honoribus illuſtrarent, certatimque cœlo cuperent collocare. ſed deinde, quum duce eo Athenienſes bellum Aſiæ inferrent, atque is prædæ incumberet, ſubitóque aduentu hoſtium oppreſſus eſſet, omnis penè exercitus iterum in exilium agitur, ſuffecto Conone.

Dionem regem Syracuſani dum viueret tyrannum vocitarunt: extinctum verò patriæ liberatorẽ, tyrannorúmq; depulſorem vocabant.

Phocion, quum aliquando populum Athenienſem in concione aliquanto liberius reprehenderet, eíque Demoſthenes diceret: laniabit te, Phocion, plebs. ſi paululum inſanierit: quin, inquit ille, tè potius, ſi paululum reſipuerit.

Idem Phocion, quum damnatus esset ab Athenienſibus, neque funere, neque ſepulchro etiam illum dignati ſunt, neque amici, neque inimici: ſed paulopoſt facti pœnitentes, ſtatuam illi poſuerunt: inuentæque reliquiæ publicis ſumptibus ſepulchro ſunt mandatæ.

Demoſtheni in concione dicenti, quum obſtreperent Athenienſes, rem ſe ait breuiter illis velle narrare iucundam. facto ſilentio: Adoleſcens, inquit, æſtate aſinum conduxerat, vt eo vteretur, Megara proficiſcens. æſtuante verò ſole in meridie, aſini herus conductórque adoleſcens ſub vmbram aſini ſuccedere decernunt. Nata controuerſia eſt, quoniam hic diceret ſe plenum in aſino propter conductionem ius habere, alter locaſſe diceret aſinum, non vmbram. atque hæc locutus abire Demoſthenes parabat: retinentibus autem Athenienſibus, rogantibúſque, vt reliquam fabulæ partem perficeret: vrbane, Itáne, inquit, de vmbra aſini audire cupitis, de rebus verò ſeriis dicenti aures præſtare nolitis?

Vatinius à populo lapidatus, quum gladiatorium munus ederet, obtinuerat, vt ædiles edicerent, ne quis in harenam niſi pomum mittere vellet. fortè illis diebus Caſelius conſultus à quodam, an nux pinea pomum eſſet: vrbanè reſpondit, ſi in Vatinium miſſurus es pomum eſt.

Catò, quum ſenatui perſuaſiſſet, vt ij qui deſignati eſſent, ſi nullum etiam accuſatorem haberent, ipſi per ſe iudicium ſubire, rationémque reddere cogerentur. Id magiſtratus petituri iniquè tulerunt, itémque & plebs largitionibus aſſueta. quum veniret igitur poſtridie ad roſtra, multitudo hominum in eam impetum fecit, illum cædens. Ab vniuerſo igitur ſenatu deſtitutus, quum ſe recepiſſet in roſtra, miti oratione plebem deliniuit. Cæterùm quũ laudaretur à ſenatoribus: At ego vos, ait, P. C. minimè laudo, qui me prætorem in tanto periculo deſeruiſtis.

Africanus, vt vulgi inuidiam vitaret, deſideriúmque ſui compararet, ab vrbe ſæpiſsimè ſecedebat, villicabatúrque.

DE VELOCITATE. XVIII.

IAdas quidam ita ſuper puluerem curſitauit, vt in arenis nulla veſtigiorum reliquerit indicia. Polymneſtor puer ludicro leporem conſecutus eſt.

Philippides biduo mille trecenta quadraginta ſtadia ab Athenis Lacedæmonem decurrit. Antiſtius Lacon & Philonides Alexandri Magni curſores, ab Heli Sicyonem vſque ſtadia 1200. vno die tranſierunt. ex Solino. Plin. 1200. ſtadia nouem diei horis, indéque quamuis decliui itinere, tertia noctis hora remenſus ſæpius, cauſáque quod eunti cum ſole iter erat, eundémque remeans obuium contrario præueniebat occurſu.

Puer in Italia Pompeio & Vipſano coſſ. octo annos natus, quinque & quadraginta millia paſſuum à meridie tranſiuit ad veſperum. ex S. C. apud Plin. 70.

Tyber

Tyberius Nero tribus vehiculis feſtinans ad Druſum fratrem ægrotantem in Germania, nocte ac die iter ducentorum millium paſſuum emenſus eſt.

Aiax Oileus pedum velocitate ab Homero celebratur. Velociſsimus omnium animalium, non ſolum marinorum, delphinus, ſed oeyor volucre ac telo. In rogo Patrocli apud Hom. Aiax, Vlyſſes & Antilochus celebres.

Velociſsimum ventorum Zephyrum Hom. vocat. mentémque prudentis viri omnes velocitates excedere ait: quod mutuatus Cicero in Tuſc. ait nihil eſſe mente celerius. Idem verò Homerus. in Odyſſ. Clytoneum Phæacum velociſsimum ponit: in palæſtra Euryalum, in ſaltu Anchialum, in diſco Elatreum, pugillatu Laodamantem.

Aſael tantum pernicitatis in curſu habuit, vt non homines modò, ſed equos etiam currendo ſuperarit. Luſitani, ait Strab. inſidioſi, ſcrutatores, veloces, agiles.

Euchidas Plateenſis ex oraculo de templo Apollinis capturus ignẽ, Delphos è Platæis petiit, vnde vehens ignem ante ſolis occaſum, mille ſtadium vno die iter emenſus, Plateas reuertitur. Therothoæ Troglóditarum gentes miræ ſunt velocitatis.

Orion & Iphiclus tantæ velocitatis leuitatíſque fuerunt vt, ſuper aquas ille, hic ſuper ariſtas triticeas curreret. Verg. de Cam. ait: Curſúq; pedum prævertere ventos, Illa vel intactæ ſegetis per ſumma volaret Gramina, nec teneras curſu læſiſſet ariſtas: Vel mare per medium fluctu ſuſpenſa tumenti, Ferret iter, celeres neque tingeret æquore plãtas.

Apud Aegyptios accipiter velocitatis eſt ſymbolum. nam quoties velocitatem ſignare volunt, accipitrem ſignant.

Alarcmnij populi Libyæ, eum eligunt regem, qui pedum velocitate alios antecellat.

Theogenes curſu, lucta, pugillatu, ita celebris fuit, vt in iis M. 200. coronas acceperit. is inuitatus ad epulum, quod de more Heroum parentalibus exhiberi ſolebat, propoſitis ludis conuiuis, quamuis rudiarius, ſe continere non potuit, quin ſubitò exiliret, diſcóque certaret.

DE VISV, OCVLIS, ATQVE aſpectu. XIX.

STrabo quidam 135. millia paſſuum proſpexit, è Lilybetana ſpecula exeuntes à Carthagine naues, numerúmque manifeſtiſsimè notauit. ex Plin. Hunc Valerius Lynceum vocat.

In Italia, quem lupus prior viderit, vocem amittere pro comperto eſt. Verg. Lupi videre priores. Vnde natum prouerbiũ, de ſilentio repentino ob alicuius aduentum, Lupus eſt in fabula.

Capræ non minus noctu cernunt, quàm inter diu: ſpirántque auribus, non naribus: nec vnquam febre carent.

Aquatilium omnium fœtus inter initia visu carent. Callicrates formicas ex ebore aliáque animalia confecit, quorum aliquæ partes cerni ab altero non possent. & Myrmecides ex ebore quadrigam, quam musca ala integeret. & nauem quam apicula item ala contegeret.

Si sanguis ex ictu exteriori suffundatur in oculis, nihil commodius est, quàm sanguine vel columbæ, vel palumbi, vel hirundinis inungere, creberrime tamen hirundinis. Vnde locus fabulæ, per parentes id herba restitui, quod per se sanescit. ex Celso 6.

Mobiles oculos qui habeant, vanos physici putant. Seruius libro 8. Aeneid. ait, ex vino mobiliores oculos fieri. Plaut. faciles oculos habet: id est, mobiles vino.

Vrbana illa Luciani mendacia, inter quæ est illud, vt sint quædam gentes quæ habeant ventrem apertilem, in quem hyeme pueri frigentes ingrediantur. item oculos habent, quos asseruant pyxide, ac quum volunt videre, resumant: quos si aliquãdo amiserint, ab aliis mutuãtur.

DE DIVINATIONE, ET de Vatibus. XX.

TYresias Thebanus angues quum complexos occidisset, in fœminam conuersus est. sed quum rursus alios angues eodem modo affectos cecidisset, in pristinam naturam rediit. Is verò orta inter iocos contentione inter Iouem Iunonémque, mulierésne an viri magis delectarentur in coitu, atque vtrisque alterius sexum magis oblectari dicentibus: iudex electus, tanquam vtrunque sexum expertus, magis delectari mulieres planè veréque affirmauit. Iuno, ob iudicium irata, oculis illum priuauit, Iupiter vaticinio eum donauit. nota est fabula. Sed de mulierum triplici delectatione & Galenus, & cæteri fatentur.

Iudas Esseus nunquam diuinando mentitus est. is quum prædixisset in Stratonis Pyrgo, Antigonum eo die occubiturum, viso Antigono: Nunc mihi pulchrum est mori, inquit, quum mendax fuerim (distabat enim Stratonis Pyrgus sexcentis stadiis) sollicitáque mente secum hoc reputabat. Paulo verò pòst interfectus Antigonus nuntiatur, in loco subterraneo qui Stratonis Pyrgus dicebatur.

M. Cato mirari se dicebat, quòd non rideret Aruspex Aruspicem quum vidisset. quota enim quæque res euenit prædicta ab istis? aut si euenerit quippiam, quid afferri potest, cur non casu id euenerit?

Apollonius Tyaneus, quum ad Indorum sapientes, qui Brachmanæ dicuntur, habens Faraotis Indiæ regis commendatitiam epistolam accederet, vt venit ad illos Iarcas illorum princeps, salutauit Apollonium, statimque petiit regis literas. Admirante Apollonio ac dicente, vnde sciret? quo magis, ait Iarcas, mireris, scito d. vnum in ea epistola deesse, atque ita esse palàm ostendit. Idem Apollonius, multa vaticinatus est apud Philost.

Spurina

Spurina, quum prædixisset Cæsari, vt 30. illos dies sibi caueret, quorum vltimus erat idus Martiæ. atque vterque domum Caluini venisset, Cæsar ait: Ecquid scis idus Martias iam venisse? & is, ecquid scis illas nõ preteriisse? atque omen non vanũ fuit, subsecuta Cæsaris morte.

Hydaspes Medorum rex, à quo fluuius nomen accepit, sub interpretatione vaticinantis pueri, ad memoriam posteris tradidit sublatũ iri ex orbe imperium, noménque Romanum multò ante præfatus quàm illa Troiana gens condidisset, Celebratur Asseletario Mathematicus, in capite de Fato.

Anaxagoras in Olympia, quum nulla pluuiæ suspicio immineret, pelliceam vestem indutus procedit. subsecuta haud multo pòst pluuia, domum omnium iudicio firmissimam, quum breui casuram prædixisset, corruisse, diémque momento temporis in noctem versum, lapidémque de cœlo in Egera fluuium casurum.

Vates, Polydamus & Calchas, & Percosius apud Homerum: apud Latinos, Nauius Actius qui, quum illi Tarquinius per artis irrisionem dixisset, vt vaticinaretur, num cotes quædam posset nouacula scindi: posse, ait. Itaque Tarquinius cotem dissecuit, & cum ea manus partem. Helenus Priami filius, qui Pyrrhum à nauigatione dissuasit, quoniam cæteri penè Græci occubituri essent in ponto, à quo regnum accepit.

Apud Indos philosophi siccitates, pluuias, ventos, morbosque prædicunt. si quis falsa prædixerit, perpetui silentij pœnam subit.

Vates quos Græci τοὺς προφήτας vocant in sacris literis, Dauid, Daniel, Hieremias, Finees, Saul, Samuel, Natham, Gaad, Achias, Rameus Iadam, Sameas, Azarias, Gimõ, Micheas, Hieu, Iezel, Helias, Heliseus, Ionas, Naum, Odidas, Esaias, Exechiel, Zacharias, Aggeus, Ioannes. Fœminæ verò, Holda & Delbora. Marta mulier vaticinata in C. Marium, vaticinio. Manto mulier vates apud Verg. 10. quæ Mantuæ dedit nomen.

Martius multo ante cladem Cannensem prædixit: Amnem Troiugena Cannam Romane fuge. Nec te alienigenę cogant in campo Diomedis conferre manus. Miltas Thessalus, diuinationis peritus.

Astiphilius Posidoniates, clarus in enodando Cimonis somnio: qui somniauerat, secum canem locutam voce humana.

Mopsus augur præstantissimus fuit, cui quum propositum esset ænigma à Calchante Troia redeunte, quot ficus haberet caprificus vna: atque numerum quem Mopsus dixerat ille inuenisset. præ pudore atque dolore illicò expirauit. Pherecides verò ait, prægnante sue oblata rogasse Calchantem, quot procellos illa haberet: Mopsum respondisse tres, atque in iis vnam fœminam: quum Mopsus vera locutus esset Calchantem illicò efflasse animam. Euphorio carminibus hanc rem complexus est, quæ Gallus latinitate donauit.

Thrasyllus celebratus, qui quum aliquando nauem procul venientem vidisset: prędixit quęcunq; nunciatũ veniret: meminit huius Suetonius.

nius.Celebris est & Cassandra,regis Priami filia.

Helenus,qui Polycratē secutus est, celeberrimus.Sunt & apud Scythas,qui ex virgarum fascibus saliguis diuinant. Socrates apud Platonem lib.3.Bacim Emedapum & Amphilitum vates ponit.

Aristander Thelmisseus apud Arrianum:quamuis omnes Thelmissei,tam mares quàm fœminæ,vaticines fuerit. Theeneti Tolmidis vatis meminit Thucydides lib.4.Percosius,in capite de Fato,celebris.

Mulier Syra celebris, quæ Alexandrum commonefecit, atque per eam conspirantium insidias euasit.Polybia , quæ filio ad bellum Troianum eunti,mortem prædixit.

Enaries, qui Androgyni à Venere sibi traditam aiunt vaticinationem,tiliæ fronde vaticinantes.eam enim trifariam scissam digitis implicant,ac resoluunt. ex iis a grotante rege probatos treis iubent vocari , atq; hos aut hunc aut illū ciuem dicunt peierasse per regis solium, quod apud Scythas maximū est sacramentum:protinúsq; ad regē iubēt adduci.quod si ille inficiatur,alios vates rex accersit.ij si cum prioribus conueniāt,reus capite mulctatur:si absoluitur ab ijs atque ab aliis supplicium,de primis vatibus sumitur.Anius celebris,in capite de Fato.

Cleander vates apud Herod. qui suasit seruis, vt contra Argiuos arma mouerent.Item Onomacritus sortilegus, qui Xerxem impulit ad bellum in Græciam inferendum : item propheta Acerato , in templo Delphici Apollinis. item Euenius Apolloniata nobilitatus vaticinio, quòd vigiliam obdormiuisset occæcatus.Et eius filius Deiphonus , celebris vaticinio in exercitu Corinthiorum. Apud Homerum & Platonem Theoclymenus vates,ex genere Melampodorum, & in sympolio Diotima mulier fatidica.Celeberrimus nostra memoria Lucas Gauricus in philosophia mathesiq; qui non modò exitum rerum hominúmque ob cœlestium cognitionem siderum prænunciat,sed diem quoque in quo futura eueniunt prædicit,in nullo penè vnquam falsus:vir præterea bonus,& mihi penè conterraneus.

Bacchis Bœotius,& Epimenides Cres , item apud Romanos Martij fratres,& apud Gallos Druidæ ,apud Persas Magi , apud Syros Chaldæi,apud Athenienses.sacerdotes mantes dicti item vates Polides.

Daphni Tyresiæ Thebani filia , cuius ex versibus multa suis scriptis Homerus inseruit.

Diuinatores imperio digni iudicabantur,vt Tyresias, Amphiaraus, Trophonius,Orpheus,Museus,& Getarum deus olim ,& Amolxis Pythagoreus , Decineus , & apud Bosphoranos Achaicarus.apud Indos Gymnosophistæ,Brachmanique:apud Iudæos Moses : apud Romanos Etruriæ aruspices.

Apud Lygureos in Thracia ex adyto Bacchi oracula reddebantur: sed vaticinabantur plurimo mero sumpto,apud Clarium Apollinem, aqua pota effabantur oracula.

Aureliani imperatoris mater fatalia etiam dicitur sciisse. Nam aliquando

quando cum viro quum iurgaretur,vilitate illum increpans : En, dicebat,imperatoris patrem.alludens ad Aurelianum , qui quamuis ortus modicis parentibus,imperator tamen fuit.

Septem annis antequam Hierosolyma euerteretur, Iesus Anani filius plebeius, rusticúsque, quum dixisset, Vox ab oriente , vox ab occidente,vox à quatuor ventis,vox in Hierosolymam & templum, vox in maritos nouos,nouásque nuptas, vox in omnem hunc populum, atque hæc per plura oppida vicósque:ductus est ad Albinum Romanum magistratum,atque vsque ad ossa laceratus.vt aperiret,cur ista diceret.Nihis aliud nisi Veh,veh Hierosolymis dicebat:Obsidionis igitur tempore supra muros veh veh ciuitati,ac templo,populóque magna voce inclamitans : quum verò tandem addidisset , Veh etiam mihi , lapis tormento missus illam occidit.

Chalcidensis vir quidam,qui cum Orobazo descenderat, Syllæ vultum sæpius contemplatus , ingenium motúmque corporis inspiciens: Necesse est , ait , hunc fieri magnum virum , mirórque cur omnium adhuc primus non sit.

Diuinandi artem Themim reperisse, Diodorus ait. Theangelida in Libano Syriæ , Dictæo Cretæ montibus , & Babylone & Susis Persidis nasci,qua pota Magi diuinant.traditur ex Plinio 24.

Plato in Timæo : Quod autem dementiæ humanæ deus diuinandi vim dederit,illud argumentum esse nobis potest,quòd nemo, dum sanæ mentis est,diuinum & verum vaticiniū vllum assequitur.sed quum vel somno prudentiæ vis præpedita est,vel oppressa morbo,vel diuino aliquo raptu è suo statu dimota,fieri diuinatio solet.Ac mox subdit, vaticiniandi gratiam esse in iecoris sede collocatam.

DE VERA NOBILItate. XXI.

NObilitatem Plato quadrifariam diuidit. Prima eorum, qui claris,bonis,iustísque maioribus fuerint orti. Secunda , quorum parentes principes , potentésve fuēre. Tertia eorum,qui sint aut fama aut opinione celebres,quum ex rebus bellicis,præclaris gestis vel certaminibus coronas reportauerint.Quarta ac præstantissima , quum quis per se animi ingenuitate excellit.illum enim verè dici nobilem,cui non aliena, sed sua virtus ad nobilitatem opitulatur.Arist.libro 4. Politic. præterea, ait,sunt aliæ nobilium differentiæ,quosdam enim genus,quosdam virtus extollit.Socrates rogatus quid esset nobilitas?animi,inquit,corporísque temperantia.

Platonem,ait Seneca,non accepit nobilem philosophia, sed fecit. & subdit:Plato,ait neminem regem non ex seruis esse oriundum, neminem non seruum ex regibus. Omnia ista varietas miscuit, & sursum deorsum

deorsumq; fortuna versauit. quis est generosus? ad virtutem bene à natura compositus. Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus. Nemo in nostram gloriam vixit, neque quòd ante nos fuit, nostrũ est. Marius apud Salustium ait: mihi noua nobilitas est, quam certè periisse melius est, quàm acceptam corrupisse.

P. Decius Mus è plebe apud patres ait: En vnquam fando audistis, patricios primò esse factos, non de cœlo demissos, sed quia patrem ciere auúmq; possent: id est, nihil vltra quàm ingenuos. Consulem iam patrem ciere possum, auúmque iam poterit filius meus. Plato ait nobilem esse, qui patrem auumque honoratum habuerit.

Aegyptij existimant, omnes nobiles pariter esse: ordientésq; à pueritia vitæ institutionem, eruditionémque recensent.

Antisthenes, quum probro illi verteretur, quòd nõ esset è duobus liberis genitus: neq; inquit, è duobus luctatoribus, & tamẽ luctator sum.

Nobilitas, inquit Aristot. in Politic. apud omnes in honore habetur: quia consentaneum est, ex melioribus ortos esse meliores. est enim generis virtus, nobilitas. Et subdit: Nobilitas enim est antiqua, diuitiæ & virtus.

Euripides patri nobilitatem nuncianti, per deos, inquit, pater nobilitatem mihi noli enarrare, hæc enim in pecuniis est sita, eas mihi tantum relinque, nam ex seruo statim nobilis euadam.

Glorianti cuidã, quòd magnæ esset vrbis ciuis: Noli, inquit Aristoteles, hoc attendere: sed an dignus sis magna & illustri patria, inspice.

Anacharsis exprobranti Attico quòd Scytha esset: Atqui mihi, inquit, probro est patria, sed patriæ tu.

Iphicrates, quum sutoris filius esse putaretur, in Harmodium abnepotem illus prisci Harmodij, conuicia ingerentem in generis nobilitatem: meum, inquit, quidem genus à me incipit, sed tuum in te desinit.

C. Lælius, quum ei quidam malo genere natus diceret, indignum esse suis maioribus: At hercle, inquit, tu tuis dignus.

Leonidas Cleomenis frater, dicente quodam, nihilo nobis præstas, præterquàm quòd rex es: Atqui, inquit, nunquam, nisi vobis melior essem, rex fuissem.

Socrates dicebat, quemadmodũ patrẽ non ex optimo agro, sed ex arte fieri: ita nobilem non ex familia, sed virtute præstantem iudicamus.

DE VXORIBVS. XXII.

AGna est inter philosophos magnósque viros de ducenda vxore controuersia: aliis negantibus, nephásque penè ducentibus: laudantibus aliis, sanctúmque existimantibus. sed exempla in vtramque partem subtexam.

Epaminũdas Thebanus, vir ingẽtis animi, in cœlibatu vixit. quũ verò à Pelopida reprehẽderetur, quòd liberos nõ relinqueret, maléq; patriæ ab eo cõsuli diceret: Vide, inquit, ne tu peius cõsulas, qui talem ex te natum relicturus sis. Pelopidæ enim filius infamis erat.

Solon,

Solon, quum ad Thaletem Miletũ veniisset, admiratus dicitur, quòd nuptias filiorúmque procreationem contempsisset: Thaletem tacuisse. Interiectis verò diebus peregrinum subornasse, qui decimo post discessum die Athenis veniisse fateretur. Hic rogatus à Solone, nunquid noui Athenis esset? edoctúsq; ille à Thalete: nihil aliud, inquit, præterquam quòd adolescentis cuiusdã efferebatur funus, ciuitate omni subsequẽte, quòd eius pater virtute & admiratione inter ciueis primũ locum obtineret; quẽ tam abesse dixissent. O illũ miserũ, Solõ ait: sciscitanti verò de nomine, respõdit, excidisse memoria: sed ob iustitiã illius in omniũ ore versatũ. His Solon in metum coniectus est. postremo nomen peregrino subiecit, ab eóq; contẽdit, num illi Soloni nomen esset? Annuente homine: Solonem caput cẽdere cepisse, filium obiisse omnino ratus. Tum Thales ridens: Hæc me, inquit Solon, à nuptiis, procreandisque liberis dehortantur, quæ te hominem fortissimum & constantissimum infringunt. rémque esse simulatam nunciat.

Charondas in his legibus quas Thuriis tulit, scriptum reliquit, illud Philemonis comici, se non mirari qui semel mare esset ingressus, sed qui iterum: ita eum non admirari, qui vnã vxorẽ duxisset, sed qui alteram. Cicero rogatus ab Hircio, vt post Terentiæ repudiũ, sõrorem eius duceret, negauit: dicẽs, non posse se vxori & philosophiæ operam dare.

Cato Censorius admodum senex, Salonini sui villici filiam malè morigeram amans, quũ vxorem duxisset, rogatus in campo Martio à L. Portio Nasica, Num ex sui animi sententia vxorem haberet: Non hercle, inquit Cato, ex mei animi sententia. Scomma Nasicæ, in amorem Catonis fuit: Catonis in puellæ mores.

Martialis in vxorem:

Omnes quas habuit Fabiane Lycoris amicas
Extulit, vxori fiat amica meæ.

Idem in Petum:

Et esse me tristem me meus vetat Petus,
Pectusq; pulsans pariter, & comam vellens,
Deflere non te vernulæ pudet mortem.
Ego coniugem extuli, & tamen viuo:
Notam, superbam, nobilem, & tamen viuo.
Quid esse nostro fortius potest Peto?
Ducenties accepit, & tamen viuit.

Idem ad Philerotem:

Septima iam Phileros tibi conditur vxor in agro,
Plus nulli Phileros quàm tibi reddit ager. Idem:
Nubere Paula cupit nobis, ego ducere Paulam
Nolo, anus est: vellem, si magis esset anus.

Iacob quum Laban minorem filiam arderet, nomine Rachel, eámque vxorem expeteret, Laban epulas nuptiarum proposuit: nocte verò superueniente, Iacob ignoranti Lyan alteram filiam maiorem collocauit,

cauit,cui ob ebrietatem noctu permixtus est.Ouid.in Fast.

Nubere siqua voles,quamuisque probabis,amabò
Differ:habent paruæ commoda multa moræ.

Socrates adolescenti, vtrum vxorem duceret consulenti, an omni connubio abstineret:quodcunque egeris,pœnitebit, ait:hinc enim solitudo,hinc orbitas,hinc generis interitus,hinc hæres alienus.illinc perpetua sollicitudo, querelarum contextus, dotis exprobratio, affinium graue supercilium,garrula socrus lingua,subsesio alieni matrimonij, incertus liberorum euentus.

Nuceria Hebij vxor,quum filij denegassent,ipsa priuignum occidit.

Bion rogatus an ducenda esset:Siquidem, ait, turpem duxeris, pœnam habebis: si pulchram, communem.sed & Antisthenem id etiam respondisse memoriæ proditum est.

Diogenes Cynicus laudabat,qui ducturi essent vxores, nec ducerẽt: & qui nauigaturi,non nauigarent:quíq; accessuri ad Rempub. non accederent:& qui pueros in deliciis habituri,se continerent:& qui se componerent ad conuiuendum regibus,neque tamen accederent.

Idem rogatus quo tempore vxor ducenda esset: iuuenibus, inquit, nondum,senibus autem nunquam.

Aureolus philosophus rogatus, Num pauper an diues esset vxor ducenda pauperem,ait,alere difficile est,diuitem verò ferre tormentum. Iuuenalis.

Semper habet lites,alienáque iurgia lectus,
In quo nupta iacet.

Veteri prouerbio iactatum est.Qui non litigat,celebs est.

Thales vrgenti matri, vt vxorem duceret: Non est adhuc, inquit, tempestiuum.Emensa ferè ætate acrius illi instanti,iam,inquit,intempestiuum est.

Tria philosophorum genera erant apud Iudæos:Phariseorum,Saducæorum,& Essenionum.nuptias hi contemnunt,quia cauendam putant fœminarum intemperantiam, nullam earum viro fidem seruaturam existimantes.

Phoronius legumlator,moriens fratri dixit: Ad summam felicitatem nihil mihi deesset,si vxor defuisset.L.Sylla felix fuisset,inquit Hieronymus,si non habuisset vxorem.

Vetius Falasius proscriptus, ad vxorem confugiens: non receptus ab illa,mortem sibi consciuit.

Agrippina Claudij imperatoris vxor, venenum non quidem præsentaneum,sed quod paulatim per tabem conficeret,viro in boleto, adiutrice Locusta ministrauit:atq; insuper dissimulandi gratia pennam veneno illitam,ad vomitum eliciendum illius gutturi infundebat.

Cleopatra Demetriũ virum & Seleucum filium,quòd occiso eius patre diadema sumpsisset, interemit:vt dictũ est. Scipio Nasica à Cornelia vxore putatus est suffocatus: quia Gracchũ illius fratrẽ confecisset.

Metell

Metellus ex Syllæ proscriptis,clàm capite adoperto ad posticum Bastiæ vxoris se recepit,sed non admissus ab illa,gladium in se vertit, scelestæque vxoris portas sanguine suo respersit.

Septimij vxor in Antonij Lepidique proscriptione corrupta à quodam Antonij necessario,Antonium precata est,vt virum proscriberet. quod de proscriptione vt Septimius intellexit,domestici ignarus scelestis,ad fugam se apparabat.Illa veluti mariti cupida,fores occlusas tandiu tenuit,quoad percussores venèrent.eadémque die & maritus occisus est,& ipsa impias celebrauit nuptias.

In eadem proscriptione Salassus quum in vrbem se recepisset,quia iam sæuitia deferbuisse videbatur,iussit vxorem ad se quò diuerterat venire:vxor assimulat ideo noctu ad se non ire,quia non posset ancillas fallere,sed manè affuturam.Illa verò summo manè percussorẽ ad virum conficiendum accersit.quod speculatus infelix maritus,è tecto quod conscenderat,se præcipitem dedit.

Fuluius in eadem proscriptione à serua proditus est,quàm primò pellicem,postea vxorem duxerat,ob alterius zelotypiam quæ Fuluio nupta erat.

Polynices suscepturus bellum contra Eteoclem fratrẽ,in Amphiaraum vatem,eundémque principem,Thebanã expeditionem,quia ibi se moriturum acceperat,recusantẽ,insidias per vxoris illecebras struit. nam torquem aureum à Venere Hermione datum magnæ taxationis,Eriphilæ illius vxori pollicetur,si viro suadeat,cogátve ad expeditionem.quum igitur inter Adrastũ ipsius Eriphiles fratrẽ.Amphiaraúmque virum de regno esset contentio:iudicium ad illã ambo detulerunt.illa nacta occasionem mariti prodendi,regnum Amphiarao adiudicat:sed ea lege,vt ad Thebanam expeditionem proficiscatur. Amphiaraus existimans se ab vxore proditum,Alcmæoni filio mandat,vt si ipse Thebano in bello moreretur, Eriphilem occidat.quod vtrunque secutum est.

Agrippina,quum Claudium boleto(vt dictum est)occidisset,cum conscíis plurimum lachrymata est: funúsque mira impensa,ac quale Augusto collatum est,cõtulit.quin etiam in cœlum detulerunt Claudium.quamobrem Nero vrbanè ait,boletum cibum esse deorum.

Amyntæ Macedonum regis vxor Eurydice,in generi amorem lapsa,pacta cum genero de viro perdendo,déque regno adultero tradendo erat.sed filia prodidit & pellicatum,& scelerum consilia.

Lemniæ mulieres graueolentiam maritorum quum ferre nollent, Thoantis auxilio vniuersos sustulerunt.

Sampson conspectam puellam in Thamna Palestinorum vrbe ardens,vix exoratis parentibus vxorem ducit.Ea igitur ducta,quum frequenter ad parentes accederet inermis,leonem obuium suffocat.rursúsque ad puellam reuertens fauos in ore leonis mortui cõperit,quos defert puellæ.sed quum in nuptiarum celebritate quæstionem Tham-

H nitis

nitis proposui isset, daturus multa munera soluturis, quæ fuit huiusmodi: qui cuncta vorat, cibum genuit de semetipso suauem, licet ipse nimis sit insuauis. triduo illis frustra super ænigmate coniectantibus, ad vxorem illi accedunt, rogántq;, vt à viro rem ediscat, illíq; impertiat. Ille verò diu defatigatus vxoriis precibus, lachrymísq;, tandē rē aperit vxori. Illa illis venientes igitur illi septimo die quæstionē exoluturi dixerunt, neq; à leone compræsis quicquam insuauius esse, neq; dulcius vrentibus melle. quibus Sampson: Non, ait, est quicquam muliere dolosius.

Theophrastus in libro quærit, an vir sapiens ducat vxorē: Et quum definisset, si pulchra, si bene morata, si honestis parentibus, si ipse sanus, si diues, si sapiens, inire aliquando matrimonium: statim intulit, Heu quàm rarò nuptiis vniuersa concordant.

Cleostrata Stalionis vxor in Plauti Casina, ob mariti cum ancilla concubitum, ad vicinos perturbata se cōtulerat. euocata per Chalinum seruum à marito, Face (ait) Chaline, me certiorem quid meus vir me velit. vrbanè Chalinus, ille ædepol ardentem te videre extra portam Metiam credo ecastor vellet. Quum verò illa dixisset: At pol ego haud credo, sed certò scio: festiuè subdit Stalio, Plus artificum est mihi quàm rebar: Ariolum hunc habeo domi.

Arthemone Demeneti vxor in Asinaria Plauti, quum deprehendisset virum cum Philenio meretrice colloquētem, parasito dixit: Illum ecastor miserum habeo. festiuissimè parasitus: Ego istuc scio, ait, ita fore illi, dum quidem cum illa nupta eris.

Idem Demenetus, quum absente vxore dixisset Philenio meretrici sciscitanti, an fœteret vxoris anima suæ: Nauseam, ait, malim si necesse est quàm illam osculari. Deprehensus ab vxore cū Philenio meretrice, ac obiectāte illi vxore: Fœtétne anima vxoris tuæ? Respondit, nō sine pauore, Myrrham olet. Parthi vxores non ducunt ad conuiuia.

Aelius Verus imperator, conquerenti vxori de extraneis voluptatibus, dixisse fertur: Patere per alias exercere me cupiditates meas: vxor enim dignitatis est nomen, non voluptatis.

Cyanippi Thessali vxor, noua nupta, suspicata alterius mulieris cōcubitum esse in causa, vt vir identidem ad venatum iret, pedetentim illum secuta, quum inter densas arbores speculatrix viri delituisset, à canibus, qui feram putabant, dilaniata est. Cyanippus adeò indoluit, vt mortem sibi consciuerit.

Aemilij adolescentis vxor, apud Sybarim noua nupta, idem quod Cyanippi vxor suspicata, delitescens à canibus dilaniatur: Aemiliúsq; adolescens gladio incubuit.

Amyntor Helladius, Phœnicis pater, pellicem ardens, vxorem contemnebat. cæterum vxor noctésque diésque instabat Phœnici filio, vt cum pellice patris concumberet (putabat enim, in Phœnicis complexu fore nem protinus fastidituram) quo facto, Amyntor adeò in filium iratus

iratus est, vt in illum imprecatus sit filiorum orbitatem.

Lanassa Pyrrhi vxor, ei infensa, quòd deditior aliis videretur vxoribus, in Corcyram abiit: Demetriúmque, quem mulieribus indulgentissimum sciebat, ad nuptias vocauit.

Cephalus ab Aurora in concubitum sollicitatus, denegauit, se mutuo cū vxore pudicitiæ sacramento districtum dicens: Tum aurora, pudicitiam vxoris facile expugnari posse ait: & periculo facto, impudicā sine controuersia cōperturum. sumpto igitur mercatoris habitu Cephalus, Procrim vxorem sollicitat, plurimis magnísq; muneribus expugnat. Illo sese vxori indicante, impudicitiámq; exprobrante, Procris in syluas se recepit, víxque à viro reuocata est. sed accedēte quotidie ad venatum Cephalo, auramq; in medio æstu vocante, rusticus quispiam Procri retulit, Cephalū adamare Aurā nympham, inq; syluis illa potiri. Procris igitur fide adhibita, vt etiā in viro impudicitiæ crimen deprænderet, clam illū secuta, propè in syluis latitabat. sed vocāte de more Cephalo Auram, quum vellet illa speculari certiùs, mouēs se, syluas etiam mouit. Cephalus ferā esse putās, sagittis petit, vxorémq; inscius occidit: illa verò moriens, orauit Cephalum ne vxorē Auram duceret.

Agis Lacedæmoniorum rex, quum in expeditionem esset profectus, Timeam illius coniugē blanditiis adulationibúsque Alcibiadis pellectam, primùm familiariter cum eo fuisse versatā aiunt. Deinde impudicitia simul cum amore crescente eò temeritatis processit, vt quum infantem peperisset, ipsum etsi foris Leotychidem, domi tamē præsentibus ancillis Alcibiadem vocitaret. sed is tamen ab Agide regni hæreditate excluſus est: quia quum 10. mensibus ab vxore abesset, filius ex se generari non poterat.

Aruns Tyrrhenus, vir præstans, quum curam pueri orphani Lucumonis suscepisset: postquam puer adoleuit, Aruntis vxorem ardēs, assimulauit vitam velle viuere cum eo omnem. Diu vtriusq; amor Aruntem latuit: sed crescente indies amore, in Aruntem impetum faciunt, domóque pellunt. Sed de hac re in capite de Iniuriis plura dicta sunt.

Glaphyra Alexandri Herodis filij vxor, mortuo marito, Iobatæ Libyorum regi nubit. sed hoc etiam mortuo, Archelao nubit. sed illi in somnis Alexander visus est astare, dicens: ô Glaphyra, nempè affirmare videris vetus prouerbium: Fidem mulieribus non esse habendā, tu enim virgo mihi iureiurando sociata, suscepti etiam filiis, secundis nuptiis tertiisque sine pudore torum polluisti, Verùm ego te reddam mihi meam stabilem. atque intra paucos dies Glaphyra occubuit.

Clytemnestra Agamemnonis vxor, occupato in Troiana expeditione viro, in Aegisti amorem incidit: redeuntémque maritum cum adultero occidit. Quapropter apud Hom. Agamemnon Vlyssem apud inferos admonet, ne vxori confidat. Eryphile Amphiarao viro insidias struxit, occisa à filio Alemeone.

Alcibiades Xantippes Socratis vxoris iurgiosissimæ insolentiam

admiratus,rogauit Socratem,quamobrem vxorem tam acerbam domo non exigeret?quoniam,inquit,quum illam domi talem perpetior, insuesco cæterarum quoque foris iniuriarum petulantiam facilius ferre.Varro in Satyra Menippea,vxorem ait vitium aut tollendum,aut ferendum:qui tollit vitium,vxorem commodiorem præstat: qui fert,se meliorem facit.Hadrianus vxorem morosam quum haberet: dimissurus esset,dicebat,si essem priuatus.

Eadem Xantippe,quum domi conuiciis iurgiisque Socratē omnibus incessisset,exeuntem domo aquis sordidis respersit.At ille:nónne, inquit,dicebam,Xantippem tonantem quandoque pluuiam emissuram?Solomon ait in Prouerbiis:Domus & diuitiæ dantur à parentibus à Domino verò vxor prudens.Diuus Hieronymus omnes maritorum calamitates enunciat in epistolis eleganter & vere. Ex Theophrasto illud vnum placuit mutuare:Pauperem,ait,alere difficile est,diuitem ferre tormentum.

Hactenus ostendi ex iis,ducendam non esse:deinceps ostendā exempla eorum,qui aut ducendam censuerint,aut duxerint.

Cato maior,maiori laude dignum censebat,qui bonum se gereret maritum,quàm qui in ordine senatorio magnus esset:qui verò vxorē aut filios verberassent,quasi in sanctissima deorum templa manus intulissent,impios putabat.

Quum senatus decreuisset,summam rerum omnium,quæ fuerant sub Sylla,futuram sub Pompeio:quum istæc absens ille accepisset,circumgratulantibus amicis supercilium ille contraxit,vtpotè quod principatum abhorresceret,atque inquit:Heu infinita certamina,quàm satius fuerat ignauum nasci,si nunquam à militari cura desinendum est, atque si hac exutus molestia cum vxore in agro degere fas non sit.

Menedemus sciscitanti cuidam,an vxor esset ducēda sapienti: Num ego tibi sapiens videor.inquit? Annuente illo:At,inquit,ego duxi.

Socrates,qui oraculo Apollinis omnium sapientissimus est iudicatus,quum vxorem Xantippem,mulierem morosissimam, amisisset, Myrthonem Aristidis iusti filiam authore Aristotele duxit.Alij tamē dicunt prius Myrthonem,postea Xantippem.Hic vtranque vno tempore habuisse ait,additque ambas aliquando manu Socratē mulctasse,fugientémque esse insecutas.

Metellus Numidicus in oratione ait:Si sine vxore possemus Quirites esse,omnes ea molestia careremus:sed quoniam ita natura tradit, vt nec cum iis satis commodè,nec sine illis vllo modo viui possit,saluti perpetuæ prius quàm breui voluptati consulendum est.

In secundo capite legis Iuliæ fasces priori ex coss.sumēdi potestas erat:non qui plures annos natus esset:sed qui plures liberos,quàm collega aut in sua potestate haberet,aut bello amisisset.sed si par vtrique numerus liberorum esset,maritus,aut qui in numero maritorum est, præferebatur.Plat.de Legibus ait,is qui cælebs.35.annis vixerit,si de maximo

maximo censu est,drachmis centum mulctetur:si de secundo,70.si de tertio,60.si de quarto,30.

Massilienses,apud quos leges præcipuè obseruantur,sexcentos viros in consilio instituunt.tres eligunt præsides,quibus summa potestas ascribitur:sed ex iis nemo creatur,qui liberos non habeat,ait Strabo.

Camillus,Posthumiúsque,censores æra pœnæ nomine eorum qui ad senectutem cœlibes peruenerint,in ærarium deferri iusserunt.

Orgilaus Cratis Famidis filiam ducturus,dum rem sacram de more facit,craterem repente ruptum animaduertit.portētum ratus,infectis nuptiis è vestigio abit.Cæterùm Crates sacrificantem postea imparatúmque adortus,Orgilaum cum fratre ad præcipitium coēgit.

Genutius Cybelis sacerdos testamento hæres relictus à Surdonij liberto,à Gn.Oreste prætore impetrauerat in hæreditatis possessionem mitti.cæterum Mamercus Aemilius consul testamentum rescidit,dicens:amputatis virilibus Genutium neque virum neq; mulierē esse.

Apud Lacedæmonios ex Lycurgi legibus à ludis gymnicis arcebātur cœlibes.Per hyemem verò principes iubebāt eos in orbem nudos forum circuire,honore autem & obsequio seniores à iunioribus priuabantur. Vnde Dercillidæ duci probato superuenienti,nemo iuuenū à subsellio assurrexit.dicebant enim,neque tu mihi qui cederet genuisti.

Pythagoram ad inferos descendisse ferunt,ibique notauisse,excruciari qui vxoribus congredi nollent.

Ex coniugio bonam famam nasci,ait Minerua Nasicaæ Alcinoi filiæ apud Hom.Apud eundem Vlysses Nasicaæ ait:Dij tibi dent virgo quicquid optaueris,coniugiúmq; ac pacem æternam:nam nihil est melius,nihil dulcius mortalibus,quàm si vir vxórq; concordes in coniugio viuant.id mutuatus Aristoteles in Oeconomicis.Nihil enim,ait, homini potest esse melius,quàm si vir & vxor pari concordia domum gubernent.Homerus etiam Abios,id est minimè viuos à mulieribus disiunctos appellat.Vnde Prothesilai domum,quia foret absque coniuge,semiperfectam vocat.

Deiotarus,quum ex Stratonica vxore filios vxoris quidē vitio non susciperet:bona coniunx viro permisit,vt alterius congressu vteretur. quin ipsa ex ancillis Electram delegit,viróque copulauit,ex qua filios susceptos clementissimè educauit.

Pithei vxor reuertenti ex peregrinatione marito,mensam auream apponi iussit,in qua omnia ex auro erant obsonia.Gauisus ille primo aspectu est:sed mox satiatus auri aspectu,iussit dapes inferri.quæ quū ex auro identidem apponerentur,illéque iratus se esurire diceret,neq; aurum ad id tēporis expetere,vxor.Tu nullius rei,inquit,præter hanc vnam habendæ facultatem præstas:omnis virorum cura occupata est in auro tuo iussu fodiendo,vt nemo agros colat,frugésque serat.Hac castigatione Pitheus motus,quintam ciuium partem in aurifodinis, reliquos in agros colendos destinauit.

Indorum fœminæ, quum patrio more plures eidem nubant, mortuo marito in certamen iudiciúmque veniunt, quæ fuerit ab eo magis amata. victrix gaudio exultans, deductáque à necessariis, lætum præferens vultum coniugis se flammis superiniicit, superatis in vita cum mœrore remanentibus.

Lacæna quædam virgo paupercula rogata, quam dotem marito allatura esset: patriam, inquit, pudicitiam. Alia rogata, Num ad virum accessisset: nequaquam, inquit, sed vir ad me.

Pythagoræ mater rogata, quando mulier à viro munda sit: A suo quidem, ait, continuò, ab alieno verò nunquam.

Lacedæmoniæ, quum Minias maritos corruptis carceris custodibus adiissent: commutatis cum viris vestibus, maritos abire passæ sunt, séque morti exposuere.

Annia à propinquo admonita, vt alteri nuberet, esse enim ei ætatem integram & venustatem: Nequaquam, inquit, hoc faciam. Si enim virum inuenero qualem habui, nolo timere ne perdam: sin malum, quid necesse est non abstinere?

Portia minor, quũ celebraretur moribus quædam, quæ secundò nupsisset: Pudica, inquit, matrona nunquam præterquam semel nubit.

Elissa Dido, ne Hiarbæ regi Aphrorum cogenti nuberet, viróque extincto fidem violaret, in ardentissimum rogum se proiicit.

Camma mulier Galata nupta erat Sinato: cœpit eam ardere Sinorix, Sinati necessarius. quam quum non posset ad concubitum pellicere, Sinatum è medio tollit, sperans facilè mulieris animum ad concubitum pellicere. Mortuo igitur Sinato, connubium Cammæ petit. restitit paulum illa: sed mox ceu amore allecta concedit. degebat ea in templo Dianæ: inuitat igitur connubij die virum ad sacrificandum deæ, quo ratum esset connubium. venit ille: libamen Camma Dianæ prima ebibit: erat autem venenum in phiala, reliquum viro propinauit: atque ita se de Sinorige vindicauit, mortémque fecit parui, vt scelestus etiam moreretur.

Ptolemæus Philadelphus Arsinoen sororem vxorem duxerat. Sotades cum sanctum trudere aculeum in rimulam, quum pro scomma dixisset, in vincula coniectus ibi contabuit.

Admetus Thessalorum rex grauissimo correptus morbo, quum per legatos Apollinem cõsuluisset: responsum est, sanitatẽ recuperaturum, si quispiam pro illo moreretur. negantibus cognatis, amicis, clientibus, seruis omnibus, sola Alcestis vxor pro mariti salute vitam exponere non dubitauit: ait Phedrus apud Plat. in Symposio, & Valer. Iunen. Spectant subeuntem fata mariti Alcestim.

Iulia Pompeij vxor, quum vestem viri è campo relatam, cruore conspersam vidisset: territa metu, de viróque sollicita, exanimis concidit, partúque eiecto expirauit.

Artemisia Cariæ regina, extinctos Mausolei viri cineres ebibit. Hypsicratea Mitridatis vxor habitu virili sumpto, omnibus viri bellis periculisque interfuit.

Dionysius senior Thestem sororem Polyxeno in matrimonium collocarat. is procedente tempore metu perculsus, è Sicilia profugit. Tum tyrannus vocatam ad se sororem increpat, quòd fugam mariti sibi non prodidisset. Illa verò intrepida, Adeóne Dionysi, ait, vilis & virilitatis indiga visa tibi sum mulier, vt si coniugis mei fugam præsciissem, eiusdem nauigationis comes & fortunæ particeps esse noluissem? An non satius mihi fuisset Polyxeni vel exulantis vxorem, quàm tuam dominantis sororem appellari?

Masinissa, quũ increpitus à Scipione, Sophonisbæ vxori nuper ductæ venenum misisset (vt dictũ est in ca. de Amore) Accipio, inquit illa, nuptiale munus, neq; ingratum, si nihil maius vir vxori præstare potuit. Hoc tamen nuntia, melius me morituram fuisse, si non in funere meo nupsissem.

Panthea vxor, quamuis à parentibus custodiretur, ne exulem virum sequeretur: falsis tamen custodiis noctu Tenarũ primum peruenit. Inde nauigans in Aegyptum, ad virũ exulantem se recepit. Euadne Capanei vxor, in ardentem mariti rogum doloris impatiens se præcipitauit.

Chilonis, Leonidæ filia, Cléombroti vxor, virum à Leonida proscriptum quũ accepisset multis lachrymis patrem de viro precata est: quæ quum non profecisset, quamuis à Leonida rogaretur, vt relicto viro secum degeret, abnegauit, virúmq; secuta, consortem se quoq; fecit exilij

Michol Saul filia, Dauid vxor, quum virum in angustiis circundatum à Saul satellitibus videret, per fenestram fune demisit.

Lentuli vxor Sulpitia in Antoniana proscriptione, quum accepisset, virum ad Pompeium in Siciliam aufugisse: decepta matris custodia, cum duobus seruis magno labore summáque inopia Messanam ad virum se recepit.

Apulei vxor, in eadem proscriptione viro comminata est, nisi secum adducat, prodituram esse.

Reginum in cloaca noctu vxor deposuit. ad quam quum interfectores non essent descendere ausi, altera nocte asinum allia ferentem in habitu rustico illi agendum tradidit: breui illa sequente interuallo, lectica vecta. è custodibus autem portarum, quum lecticam quidam perscrutaretur, conuersus Reginus custodem rogat, vt mulieribus parceret. sed ab illo cognitus est (militarat enim custos sub eo, quum Syriæ præesset) Et abeas hilarè, inquit, imperator mi: iuuat enim te hoc nomine etiam præsentem appellare.

Anciũm coniux iniecta culcitra simul inuoluit, impositúmque mercenariis ad mare delatum, atque vnà in Siciliam nauigasse aiunt.

Laodamia occiso ad Troiam viro Protesilao, noluit superuiuere.

Valeria Messalarũ soror, amisso viro Seruio rogata cur secũdas nuptias aspernaret ac vitaret: semper enim, ait, viuere sibi Seruiũ maritũ.

Ex Horatiis Tergeminis vnus victor occisis Curiatiis, quorum vni Horatia soror nupta erat, vt Romam venit, à sorore asperis verbis imprecationibúsque exceptus affectúsque est: quæ pluris vnum virum, quàm aut salutem patriæ aut duos fratres occisos faceret.

Idem aiunt contigisse Critolao filio Rheximachi, pugnanti pro Tegeatis contra Tergeminos Iheneatas.

Oenone, quæ primò Paridi nupta fuerat, dein ducta Helena ab illo contempta: viso Paridis cadauere adeò consternata est, vt paulatim præ mœrore deficiente animo conciderit, vnóque atque eodem funere cum Alexandro sepulta sit.

Polyxena regis Priami filia, ob Achillis viri mortem in eius funere gladio incubuit.

Panthea Abradatæ vxor, quum virum esset hortata, vt Cyro obsequeretur, in seruitióque esset, ac mox vir eius in bello contra Aegyptios occubuisset, diu lachrymata questáq;, quòd eius causa videretur maritus extinctus: arrepto acinace, qui gladius Persicus est, se ipsam confodit, capútque in viri extincti pectus moritura collocauit.

Seruio Tullio à Tarquinio genero occiso, vxor eius, Tarquinij superioris filia, cum paucis amicorum per noctem corpus extulit, veluti vulgaris alicuius: multúmque deflens suam viríque fortunam, diráque omnia Tarquinio ac Tulliæ filiæ quæ virum ad id sceleris impulerit imprecata, cadauer terra occuluit: domúmque rediit, nocte sequenti moriens: quo genere mortis, ignoratur.

Fannia Heluidij vxor bis maritum in exilium secuta: tertiò ipsa propter maritum relegata.

Cæyx Luciferi filius, quum ad consulendum oraculũ accessisset Claron, pollicitúsq; esset vxori Alcyonæ se intra bimestre rediturum, naufragio in reditu periit. vxor sollicita de viro, quum diis vota faceret, per somnos admonita est virum submersum esse. Excitata, quum summo mane lachrymans, dolénsq; eò vnde ille soluerat venisset, cadauer viri quod fluitabat cõspicit, impulsa & amoris & doloris vi, quum inconsulto se ad virum proriperet, in auem Alcyonem conuersa, in os mariti oscula fixit, qui & ipse in eandem auem commutatus est.

Ligarium in Antoniana proscriptione vxor contegens, vnicam secreti participem ancillam admiserat. prodita deinde ab ea, viri caput qui deferebat prosequebatur exclamãs: Ego hunc suscepi, par mihi & suscipiẽtibus pœna debetur nullo in eam succẽsente, ipsa ad principes de se nuncia peruenit: spernẽtibus iis, vt mariti cupidam, inedia vitã finiuit.

Martia Catonis filia minor, quum ab ea quæreretur, cur post amissum maritum secundò non nuberet, respondit: se non inuenire virum qui se magis vellet, quàm sua, id est, dotes & diuitias.

Qualis verò sit ducenda, Pittacus philosophus optimè ostendit. Is enim quum ab Aeternete adolescente compelleretur, vt moneret è duabus vxoribus, quas cuperet ducere, altera sibi genere opibúsque pari, altera

altera vtraque in re excellentiore, vtram duceret, baculo elato admonuit, vt à pueris in triuio super ea re edoceretur. Id vt fecisset, puerorum omine admonitus est, vt parem duceret.

Martialis:

Vxorem quare locupletem ducere nolim.
Quæritis? vxori nubere nolo meæ.
Inferior matrona suo sit Prisce marito,
Sic etenim fiunt fœmina virque pares. Ouid. in epist.
Quàm male inæquales veniunt ad aratra iuuenci,
Tam premitur magno coniuge nupta viro.

Demetrius, quum Philæ Antipatri filiæ nuptias vitaret, quia esset ætate prouecta, ipséque illa iunior, à patre adhortationibus ad nuptias impulsus est, illud Euripidis dicente: Vbi lumen est, supra naturam nubendum est: loco præterea & tempori seruiendum.

Cetilius quòd vxorem turpem diuitémque duxerat, lamentans dicebat: Dum eius mortem inhio, egomet viuo mortuus inter viuos.

Chrysantas apud Xenoph. in Pædia Cyri, quum consuluisset Cyrum de vxore ducẽda: Primùm, inquit Cyrus, paruam duxeris, paruus enim etiam ipse es. nam si magnam duxeris, vbi velis eam stantem osculari, prosilire te oportebit, anserulorum more. Rectè mones, inquit Chrysantas: ad saltum enim non sum aptus. deinde, inquit, sima vehementer sit: quoniam quum tu sis adunco naso, ad similitatem nasi succurritas optimè accommodatur.

Vxor ætate 18. annorum ducenda à viro 30. annos agente est, inquit Aristot. in Polit. quia quum concipiendi finis in muliere sit anno quinquagesimo, & generandi in viro sit septuagesimo, vnà desinet generatio: connubij autem tempus ait in hyeme esse debere. Hesiodus etiam monet, vxorem puellam ducendam esse.

Cui verò sit collocanda, Themistius philosophus ostendit. Is enim rogatus, cui viro filia copulanda esset: Malo, ait, hominem indigentem pecuniis, quàm pecuniam indigentem viro.

Pauli Aemilij filia Tuberorum famulo inopi nubere voluit, nec viri paupertatis puduit: sed virtutem, per quam pauper erat, admirata est. Plato de legibus, ait optabiliores esse ad nuptias pauperes, quàm diuites: illósque sequendos, hos fugiendos.

Sp. Carbilius primus apud Rom. cum vxore diuortium fecit, dictus ante Ruga. repudiauit autem, quòd liberi ex ea corporis vitio non gignerentur, coss. M. Attilio & P. Valerio, authore Gell. anno vrbis conditæ 523. Valer. verò ait 150. Dionys. Halicar. ait nullum Romæ fuisse diuortium intra 520. annos, primúsque Sp. Seruilius propter coniugis sterilitatem vxorẽ dimisit, coss. M. Pomponio & Papyrio. Plutar. in Numa, Sp. Coruinium vocat, aítque factum diuortium anno vrbis 230. sed pro Coruinio & Seruilio, Carbilium reponendum esse omnino censeo.

Iulius Cæsar in P. Clodium, vxoris eius, vt putabatur, adulterum

atque eadem causa pollutarum cerimoniarum reum(nam muliebrem Clodius indutus ornatum, domi Cæsaris, vbi noctu Bonæ deæ sacra celebrarentur à solis de more mulieribus, deprehensus est) testis citatus, negauit se quicquam comperisse. Interrogatúsque, cur igitur repudiaret vxorem: quoniam, inquit, meos tam suspicione quàm crimine iudico carere oportere.

Paulus Aemilius Papyriam vxorem repudiauerat. familiaribus verò diuortium grauiter improbantibus, dicentibúsque, Nónne hæc modesta? nónne formosa? nónne facunda? porrexit ille pedem, & calceum ostendens: Nónne pulcher hic calceus? nónne nouus est? inquit. sed nec quisquam vestrum nouit, qua ex parte meum contorqueat pedem.

L. Antonius virginem, quam duxerat, nullo amicorum in consilium adhibito, repudiauit.

Sulpitius Gallus, quum cognouisset vxorem foris capite aperto versatam, repudiauit. Q. Antistius, quòd viderat vxorem secretò cum libertino loquentem. P. Sempronius Sophus vxorem, quòd eo ignorante ludis interfuisset.

Romulus sanxit, vt matrimonium minimè dissolui posset: vtque vxor viro hæres esset, vt patri filia. & si filij essent, vnà essent hæredes. Delinquentes verò vxores maritus cum affinibus iudicabat.

Apud Thurios, quum ex lege Charondæ, vxor, quæ cum seniore marito fecisset diuortium, iuniori nuberet, multæq; exemplum sequerentur: sancitum est iterum ab illo, vt illa mulier quæ cum marito fecerit diuortium, seniori nubat. ea lege, mulierum petulantia compressa est.

Quum Philippus Macedo Olympiæ vxori, alteram vxorem Cleopatram superinduxisset, quam immaturam virginem adamauerat: ea res & Olympiæ & Alexandro filio magnam inuidiam curámque ingessit. Attalus verò Cleopatræ auunculus, quum in conuiuio temulentus, Macedonas esset exhortatus ad deos rogandos, vt ad regni successionem legitimus ex Philippo & Cleopatra crearetur hæres: excandescens Alexander, ô improbum, inquit, caput: nos verò tibi nothi videmur? simúlque in eum raptum immisit poculum. Insurgens verò Philippus contra Alexandrum nudato ense, tum furore, tum vino ictus inanis occidit. Tum Alexander conuiciis adortus: Hic est, ait, ille vir, qui ex Europa in Asiam transitum instituens, & ex toro in proximum transgressurus, pronus concidit.

Vxorius fuit Pompeius magnus. Item Herodes in Mariannem vxorem: item Ferora Herodis frater, qui iussus ab Herode, vt vxorem relinqueret, se mallè mori respondit. Apud Hom. Melegarum indignatum ob Altheæ matris imprecationem, ob idque nolentem pro Aetolis pugnare, sola Cleopatra vxor flexit. item Cleomenes, qui in medio victoriarum cursu ab exercitu discedens, Spartam ad coniugem euolabat. Menelaus in Troiæ excidio singulos orabat, Græcos, vt Helena incolumis redderetur.

Amasis

Amasis Aegypti rex vxorem duxit Lacodicen Græcam, quam quum nullo pacto valeret comprimere, quamuis alias posset: tu, inquit, mulier veneficio mel æsisti, quare nunquam effugies, quin terrima pereas morte: sed ea Veneri vouit missuram coronam Cyrenas, modò vir posset, impetrauitque: atque ita & sibi & viro satis factum est.

Ariston Spartæ rex titillatus amore vxoris Ageti formosissimæ, pactus est cum Ageto, vt vterque ab altero pro voluntate peteret, ac non liceret sacramento interposito negare. Agetus nihil de vxore suspicatus vt amicitiæ faceret satis, pollicitus iureiurando est. Ariston igitur illius vxorem petit, qui & si tergiuersaretur, ob sacramenti tamen ius coactus est præstare.

Solon legibus cauit, vt si vir ad rem veneream minus esset idoneus, vt eius vxor à mariti propinquis tractaretur, nec alienum esse quod nasceretur putaret. nam generis necessitatem attingere. sanxítque etiam, vt ter in mense omnino vir cum vxore congrederetur.

Moses sanxit, vt quæ sine liberis à marito mortuo relicta esset, illius fratri nuberet, & natum filium mortui nomine nuncuparet.

Armenij in Tanaidis templis omnes etiam nobilissimi filias dedicant, ea lege, vt diu apud deam prostitutæ nuptias expetant, nuptui que dentur nullo renuente illis copulari. Lydi meretricantur, authore Hesiodo, ita vt amatores & hospitio suscipiantur, & dona plura quam acceperint dent. ex Strab. 12.

Apud Taxilos, qui filias præ inopia viro locare non potuerunt, in ipso ætatis flore in forum perducunt, cum tuba & classicis, quibus bella significari solent. tum multitudine conuocata puella primùm posteriora humero tenus detegit. Postea verò anteriora, quę quum placuerit, approbatáque fuerit, cuicunque arriserit, nubit. ex eodē: Apud Garamantes nullum est matrimonium. sed omnibus veneri indulgere licet.

Ichthyophagi nudi: per omnem vitam degentes. vxores habent communes. Solomon 700. duxit vxores: Herodes 9. Troglodítæ vxores etiā habent communes. Apud Aegyptios sacerdoti vnam ducere licet, reliquis pro arbitrio & facultatibus. Apud Persas cum matribus sororibúsque coëunt. Apud Athenienses sorores ducebantur. Cimon Elpinicem sororem germanam duxit. Monobazus rex Adiabenorum cognomento Bozeus, vxorem duxit Helenam sororem, cuius amore captus fuerat. In Ibernia vxores communes, matribúsque ac sororibus se etiam miscent. item apud Scythas, Massagetæ in proparulo cum aliorum vxoribus coëunt. Apud Derbicas & Hyrcanos, qui fortissimus iudicatur, quam vult ducit. Apud Medos vxores plures habere regibus peculiare est, qui mos ad omnes permanat, pauciorésque quàm septem ducere non licet. Eodem modo proditum est, mulieres pulchrum sibi existimare, vt viros habeant quàm plurimos, pauciores quinque calamitatem ducere, E Persis nemo vxorem ducit, nisi prius hostis caput amputatum ad regem pertulerit: rex caluaria integra collocata, linguam minutatim

minutatim secans pane permiscet:postea degustatam ei qui attulit, & familiaribus edendam præbet.atque ille præclarus est,cui plura capita sunt allata.Apud Assyrios, puellas nubiles in mediam multitudinẽ producunt: locandásque per præconem significant, ac primo quæ digniores sunt collocant.secuto coniugio,quoties à coitu surgunt, mane priusquam aliquid attingant lauantur.

Limyrinij populi vxores habent communes, filios educant vsque ad quinq; annos communiter,in sexto omnes congregatos inspiciunt: atque similitudinis filiorum parentúmque comparatione, singuli singulis attribuuntur.

Babylonicas puellas nubiles in vnum coactas,à præcone vendi,licitaríque pro venustate aiunt.

Apud Arabas consanguineis fratribúsve vna vxor est, atque eadem soror.qui prior ingreditur,posito ante ianuam baculo,cum illa cõgreditur.Nocte verò cum grãdiore pernoctat: coëunt etiam cũ matribus. Regis Arabi cuiusdam filia quum 15.fratres haberet,qui omnes miserè ob venustatẽ eam ardebant,& ob id alius post alium sine causa ingrederetur:defessa rem huiusmodi machinatur.Baculos facit illorũ baculis persimiles,& modò hũc,modò illum ad fores apponebat:ne quisquã ex illis ingrederetur.quum verò omnes fratres in foro essent, accedẽs ex iis vnus,conspecto baculo,admiratus rem,quum fratres omnes vnà reliquisset, adulterum intus esse putauit.currens ad patrem, ad eámq; adducens,re comperta,commento falsum se essẽ reperit.

Britanni deni duodeníve inter se vxores habebant communes,præsertim fratres cum fratribus,parentésque cum liberis.ex Cæsaris comment.lib.5.

Apud Thebanos virgo aliqua genere formáque clara,sacrata à Græcis,Pallas nuncupata, virgo pellicis more cum quibus vult coit, vsque ad naturalem corporis purgationem. post purgationem, viro datur: sed priusquam nubat, post pellicatus tempus vt mortua lugetur. ait Strab. Ex Amazonibus nullæ nubebant puellę, priusquam aliquem hostium interemissent.

Apud Nasamonas mos est,quum quis primùm ducit vxorem,prima nocte vt sponsa singulos cõuiuas obeat Veneris gratia:& vt quisq; cum ea concubuit,donum det illi,quod secum habet domo allatum.

Isis fratri nupsit: quamobrem apud Aegyptios lege permissum est, vt frater vxorem ducat sororem.

Apud Baleares cum noua nupta omnes qui ad conuiuiũ nuptiarum vocabantur concumbebant,posterior verò vir potiebatur.

Apud Sicamin Africa,in Fano Veneris matronæ quęstum dotis corporis prostitutione comparabant.

Augylæ vxores suas primis nuptiarum noctibus adulteriis cogunt patêre,mox ad perpetuam pudicitiam legibus stringunt seueriſsimis.

Apud Talchlees Lybiæ populos,proci apud socerũ futurum coëunt: & ex iis

& ex iis cui puella inter facetias quas recitat arriserit, vxor destinatur.

Tapyri,susceptis ex vxoribus filiis duobus tribúsve, eas aliis concedunt ad procreandos filios.

Cypriis mos erat,virgines ante nuptias statutas,dotalem pecuniam quæstu quæsituras,ad littus maris mittere,pro reliqua pudicitia libamenta Veneri soluturas.

Nuptiæ primæ celebratæ sunt à diis Cadmi & Harmoniæ,Iasij sororis.Apud Spartam nouæ nuptæ à pronuba crines ad cutem capitis amputabantur, virilíque amictu & calceamentis instructa in torum sola sine lumine declinabat.spõsus verò sobrius, postquam in Phiditiis cœnatus esset, ingressus sponsæ cingulum soluens, eam sublatam in lectum transferebat:ibíque secum haud diu moratus abibat,cum æqualibúsque diem trahebat. Reliquum verò noctis quod supererat, quum à coniugio diuerterat,cum æqualibus dormiebat.

Catheis,qui in India sunt,proprium est, vt vxor & sponsus vnà se alligent.Item,vt vxores cum viris defunctis comburantur, hanc ob causam,quòd quum aliquando adolescentulos adamarent, à viris secedebant, vel eos veneno necabant. Quoties inter virum vxorémq; iurgij aliquid apud Rom.interceſsisset,in sacellum deę Viriplacę, quod erat in palatio,veniebant,atque ibi locuti quę voluerant,contentione deposita concordes reuertebantur: Consueuerant præterea nupturæ in aliquod sacellum ominis causa capiendi accedere.

Apud Indos in nuptiis vnguentum adhibetur ex arboribus,quæ circa Hypasim fluuium oriuntur, collectum:quo nubentes nisi vncti fuerint,imperfectæ nuptiæ putantur.

Vxorum ducendarum tres erant modi apud Rom. vsu, farre, & coemptione.Quæ in manum per coemptionem conueniſsetˌhęc tantum materfamilias dicebatur, eráteq; viro loco filiæ. quæ autem farre vel vsu,non erat materfamilias,Confarratio verò solis pontificibus conueniebat. Sed farracea matrimonia, ideo dicta à farre, quia quum vsus farris apud Rom.fuerit antiquiſſ.fertili ad id Rom.solo, vtebantur in sacris. Quin & sacris nihil religiosius confarrationis vinculo erat, nouæque nuptæ farreum præferebant. Nubenteis præterea virgines comitabatur colus compta, & fusus cum stamine:lana nubẽtes postes attingebant.Vtebantur item nuptæ tunica recta:adipe item, suillo præsertim & lupino postes nouæ nuptæ vngebantur,ne quid mali medicamenti inferretur:vnde vxores dictæ. Sponsæ præterea annulus ferreus mittebatur. Spargebantur in nuptiis nuces iuglandes:quoniam iis honor naturæ peculiaris,gemino protectis operimento puluinari,primũ calicis,mox lignei putaminis:quę causa eas nuptiis fecit religiosas,tot modis fœtu munito.quod est verisimilius, quàm quòd cadentes tripudium somnúmve facerent,ait Plin.Varro verò ait rationem esse,vt Iotis omine,cui iuglans sacra est, matrimonium celebraretur: Alij ideò

spargi

spargi aiunt,vt à rapientibus pueris fieret strepitus, ne puellæ virginitatem amittentis vox audiretur.Adhibebatur & spina alba,nuptiarum facibus auspicatissima:quoniam idem fecerint pastores qui rapuerunt Sabinas.Item, vtebantur flammeis luteis. præcingebatur etiam nouæ nupta cingulo,quod vir in lecto soluebat,facto ex lana ouis:quòd sicut illa in domum sublata,coniuncta inter se fit,sic vir suus secum cinctus vinctúsque esset.Hoc Herculaneo nodo vinctum vir soluit ominis gratia,vt sic ipse fœlix sit in suscipiẽdis liberis,vt fuit Herculanus,qui 70. liberos reliquit. Cælibari præterea hasta nubentis caput comebatur, quæ in corpore gladiatoris abiecti occisiq; stetisset:vt quemadmodum illa coniuncta fuerit cum corpore gladiatoris,sic ipsa cũ viro esset. vel quia matronę Iunonis Curetis in tutela esset,quę à ferẽda hasta ita sit nuncupata: vel quòd fortes viros genituras ominaretur, vel quod nuptiali iure imperio viri subiiceretur nubens:quia hasta summa armorum & imperij esset. Facem item in honorem Cereris in nuptiis præferebant.aquáq; noua nupta spargebatur,siue vt casta puráq; ad virũ accederet, siue vtignem atque aquã cum viro cõmunicaret. Rapi solebat virgo ex gremio matris:aut si ea non esset, proxima necessitudine quum ad virum traderetur,quòd videlicet ea fœliciter Romulo successit. Rapi etiam solebat fax qua prælucente noua nupta deducta est ab vtriusque amicis,ne aut vxor eam sub lecto viri ea nocte ponat, aut vir in sepulchro comburendam curet:quo vtroq; mors propinqua alterutrius captari putatur.Solebat item noua nupta in pelle lanata considere,vel propter vetustum morem, quoniam antiquitus pellibus homines erant induti:vel quòd testaretur,lanificij officium se præstaturam viro.Noua nupta,nouúsq; maritus primũ porcum immolabant.De facibus Varro ait,nuptas ideò præire, quòd antea non nisi noctu à sponsis ducebantur,quæ etiã limen non tangebat, ne sacrilegio inchoarẽt, si limen Vestæ calcarent. In nuptiis tres pueri matrimi patrimiq; adhibebantur,vnus qui facem præferret ex spina alba, duo qui nubentes tenebant.Apud Priscos,C & C.id est, Caius & Caia, pro dominis vsurpabantur.Itaq; in nuptialibus sacris nouæ nuptæ ante ianuã mariti interrogatæ,quænã vocarentur, respondebãt se esse Caias: dicebantque, vbi tu Caius,& ego Caia:& vbi tu dominus,& ego domina.Nuptiis prę terea celebrandis ferias,calendas,nonas,idus religiosis,id est vitandas censuerunt. Mense item Maio vxores ducere inauspicatum erat. Talasium inuocabant in nuptiis, quia id nomen fuit signum militibus Romuli in Sabinarum raptu, quod res bene vertisset: vel quia in illa rapina,quum puella raperetur, atque ab aliquibus nobilibus in illam impetus fieret, conclamatum est, Talasio illam deferri, iuueni quidem gratioso.atque ita parsum puellæ.vel quia Talassum,id est lanificium,Latini Græcique vocabant.

Apud Persas nuptiæ initio verni æquinoctij celebrabantur, sponsus in thalamum procedebat comesto prius malo, vel cameli medulla; præt

ter id nihil eo die.

Apud Romanos non licebat secundò nubere,nisi peracto decimo viduitatis mense:vnde nuptiæ inter Antonium & Octauiam, quæ adhuc erat in luctu ob virũ C. Marcellum mortuum , ex decreto senatus copulatæ sunt, vt scilicet Antonius propter vxorem Octauiam , Octauij sororem,in amicitia Octauij perstaret.quæ verò nubebat ante 10.menses,vaccam prægnantem ex Numæ legibus immolabat.

Sciendum , inquit Spartianus, à doctissimis quibúsque id memoriæ traditum,atque ita à Carrenis nunc quoq; præcipuè haberi , vt qui lunam fœminino nomine ac sexu putauerit nuncupandam , is addictus mulieribus semper inseruiat:qui verò marem deum esse crediderit , is dominetur vxori.

Cicero obiurgantibus quibusdam, quòd repudiata Terentia sexagenarius Publiam duxisset:Cras,inquit,erit mulier. In Quintiliani codice corruptè Pupillam pro Publia legitur. Duxit enim Cicero , authore Plutar.Publiam,quam repudiauit,quia Tulliolæ morte visa est lętari.

Sed libet ascribere vxorum astutias in decipiendis viris,ex Apuleio: Pauperculus,inquit,fabriles operas præbendo pueris illis mercedibus vitam tenebat.Erat ei tamen vxorcula etiam satis quidẽ tenuis & ipsa, veruntamen postrema lasciuia famigerabilis. sed dum quadã die matutino ille ad opus susceptum proficiscitur, statim irrepit eius hospitiũ temerarius adulter.ac dum veneris colluctationibus securius operantur,maritus ignarus rerum , ac nihil tum tale suspicans , improuisus hospitium repetit. iámq; clausis & obseratis foribus , vxoris laudata continentia,ianuam pulsat,sibilo etiam præsentiam suam denunciante.Tum mulier ad huiusmodi flagitia parastuta , tenacissimis amplexibus expeditum hominem dolio quod erat in angulo semiobrutum, sed aliàs vacuum,abscondit.Et patefactis ædibus, adhuc introeuntem maritum aspero sermone accipit : Siccine vacuus & ociosus insinuatis manibus ambulabis mihi , nec obito consueto labore vitæ nostræ prospicies,& aliquid cibatui parabis? atque ego misera per noctem & per diem lanificio neruos meos contorqueo,vt intra cellulam nostrã saltẽ lucerna luceat.quanto me fœlicior Daphne vicina, quæ mero & prandio matutino saucia cum suis adulteris volutatur. Sic confutans maritus,Ecquid istuc est , ait. nam licet forensi negocio officinator noster attentus ferias nobis fecerit,tamen hodiernæ cœnulę nostræ prospexi: vides istud dolium,quod semper vacuum,frustra locũ detinet tantum, & re vera præter impedimentum conuersationis nostræ nihil præstat amplius. istud ego quinq; denariis cuidam venditaui:& adest , vt dato precio secum rem suam ferat. quin itaq; præcingeris , manúmq; mihi tantisper accommodes,vt obrutum protinus tradatur emptori.ẽ re nata fallacia mulier temerarium tollens cachinnum:Magnum , inquit, istum virum,ac strenuũ negociatorem nacta sum, qui rem quam mulier ego,& intra hospitium contecta , iamdudum septem denarijs vendidi,

didi, minoris distraxit, additamento precij lætus maritus: Ecquis est ille, ait, qui tanto præstinauit? At illa, Olim inepte, inquit, descendit in dolíũ, sedulò soliditatem eius probaturus. nec ille sermoni mulieris defuit, sed exurgẽs alacriter: Vis, inquit, verũ scire materfamilias? Hoc tibi doliũ nimis vetustum est, & multifariam rimis hiantibus quassum. Ad maritúmq; eius dissimulanter conuersus, Quin tu quicũq; es homuncio, lucernam, ait, actutũ mihi expedis, vt erasis intrinsecus sordibus diligenter aptum vsui possim dignoscere, nisi nos putas æs de malo habere. Nec quicquam moratus, ac suspicatus acer & egregius ille maritus, accensa lucerna: discede, inquit, frater, & ociosus assiste, donec probè procuratum istud tibi præsentẽ. Et cum dicto nudatus ipse, delato lumine scabiem vetustam carioſæ testæ occipit excalpere. At verò adulter bellissimus ille pusio, inclinatam dolio pronam vxorem fabri superincuruatus secure dedolabat. At illa capite in doliũ demisso maritum suum astu meretricio tractabat ludicrè: hoc & illud, & rursus illud purgandum demonstrans digito suo, donec vtroq; opere perfecto, acceptis septem denariis calamitosus faber collo suo gerens dolium, coactus est ad hospitium adulreri proferre.

Philisiterus adolescens apud eundem, Decurionis cuiusdam, quem scorpionem ob mores vulgus appellabat, vxorem deperibat. sed barbarus ille vir zelotypusq; cum necessariam profectionem pararet, pudicitiámq; charæ coniugis cõseruare summa diligentia cuperet: seruulũ suum Myrmecem fidelitate præcipua cognitum, secretò commonet: suæq; dominæ custodiam omnem permittit, carcerem & perpetua vincula, mortem denique violentam & famem comminatus, si quisquam hominum vel in transitu digitotenus eam contigisset. idq; deierans etiam confirmat per omnia diuina numina. Igitur summo pauore perculsum Myrmecem, acerrimum relinquens vxori secutorem, securam dirigit profectionem. Tunc obstinato animo vehementer anxius Myrmex, nec vsquam dominam suam progredi sinebat, & lanificio domestico districtæ inse parabilis assidebat, ac tantum necessario vespertini lauacri progressu adfixus atque conglutinatus extremas manu perendens lacinias mira sagacitate commissæ prouinciæ fidem tuebatur. sed ardentem Philisiteri vigilantiam matronæ nobilis pulchritudo latére non potuit. atq; hæc ipsa potissimum famosa castitate & insignis tutelę nimietate instinctus atque inflammatus quiduis facere, quiduis pati paratus, ad expugnandam tenacem domus disciplinam totis accingitur viribus, certusq; fragilitatis fidei, & quòd pecuniæ cunctæ sint difficultatis peruiæ, auróque soleant adamantinæ etiam perfringi fores, opportunè nactus Myrmecis solitatẽ, ei amorem suum aperit, & supplex eam medelã cruciatui deprecatur. Nam sibi statutã decretámq; mortem proximare, ni maturius cupito potiatur. nec eum tamen quicquam in re facili formidare debere: quippè quum vespera solus fide tenebrarũ contectus atque absconditus intrò repere & intra momẽtum temp

temporis remeare posset. His & huiusmodi suadelis validum addens aculeum, qui rigentem prorsus serui tenacitatem violenter diffinderet, porrecta enim manu sua demonstrat ei nouitate nimia candẽtes solidos aureos, quorum 20. quidem destinasset, ipsi verò 10. libenter offerret. Exhorruit Myrmex inauditum facinus, & occlusis auribus effugit protinus: nec auri splendor flammeus oculos ipsius exire potuit. sed quanquam procul semotus, & domum celeri gradu prouectus, videbat tamen illa decoræ monetæ lumina, & opulentam prædã iam tenebat animo, miróque mentis salo & cogitationis dissensione misellus in diuersas sententias carpebatur ac distrahebatur. illic fides, hîc lucrum, illic cruciatus, hîc voluptas. ad postremum tamen formidinem mortis vicit aurum, & saltem spacio cupido formosæ pecuniæ leniebatur, sed nocturnas etiam curas inuaserat pestilens auaritia, vt quamuis herilis eum comminatio domi cohiberet, aurum tamen foras euocaret: tum deuorato pudore, & dimota cunctatione, sic ad aures dominæ in auditum perfert, nec à genuina leuitate desciuit mulier. Sed execrando metallo pudicitiã suam protinus auctorata est. Ita gaudio perfusus, ad suæ fidei precium Myrmex non modò capere, verum etiam contingere saltem quam exitio suo viderat pecuniam cupiens, & magis suis laboribus perfectum desiderium Philisitero lætitia percitus nunciat, statímque præstinatum precium reposcit, & tenet nummos aureos manus Myrmecis, quæ nec æreos norat. Iámque nocte promota solum producit ad domũ: probéque capite contectum amatorem strenuum infert adusque dominæ cubiculum. Commodũ nouis amplexibus amori rudi litabant, commodum prima stipendia veneri militabant noui & nudi milites, & contra omnium opinionẽ captata noctis opportunitate improuisus maritus assistit, suæ domus ianuam iam pulsat, iam clamitat, iam saxo fores verberat, & ipsa tarditate magis magísque suspectus, dira minatur Myrmeci supplicia. At ille repentino malo perturbatus & misera trepidatione ad inopiam consilij deductus, quod solũ poterat nocturnas tenebras causabatur sibi obsistere, quin clauem curiosè absconditam reperiret. Interdum Philisiterus cognito strepitu raptim tunica intectus, sed planè præ turbatione pedibus intectis procurrit cubiculo. Tum Myrmex tandẽ claue pessulis subiecta repandit fores, & recipit: tunc etiam fidem domini boantem dominum, eóque properè cubiculũ petente clandestino transcursu dimittit Philisiterũ. quo iam pro limine liberatus, securus sui clausa domo rursum se reddidit quieti. sed dum prima luce maritus procedit cubiculo, videt sub lectulo soleas incognitas, quibus indutus Philisiterus irrepserat, suspectúsq; è re nata, quæ gesta sunt non vxori, non vlli familiarium cordolio patefacto, sublatis his & in sinu tantum absconditis, iusso Myrmece per conseruos victo forum versus detrahit: tacitos secum mugitus iterans, rapidum dirigit gressum, certus soleárum indicio vestigiũ adulteri posse se perfacilè indipiscí: sed ecce per

plateam dum barbarus vultu turgidus subductisque supercilijs incedit iratus, ne propè eum Myrmex vinculis obrutus: opportunè Philistio occurres, quanquam diuerso quodam negocio destinatus, repentina tamen facie promotus, non enim deterritus, recolens festinationis pœ familiari constantia, dimotis seruis inuadit cum summo clamore Myrmecem, pugnisque malas eius vehementer obtundens: At te, inquit, nequissimum & periurum caput, dominus iste tuus & cuncta cœdant, qui de balneis soleas hesterna die defuratus es: dignus, Hercules, dignus, qui ista vincula conteras, & insuper etiam carceris tenebras perferas. Hac opportuna fallacia vigoratus iuuenis, subductus, immò sublatus & ad credulitatem delapsus barbarus postliminio domum regreditur, vocato Myrmece soleas illas offerens, & ignouit ex animo, & vti domino redderet, cui surripuerat, suasum est.

Maritus cuiusdam mulieris apud eundem, donec cum vicino cœnaret, adolescens adulter domum eius irrepit, exceptus ab eius vxore multis suauiis, iusus est etiá parata cœna accumbere: sed vt primùm accursoriam potionem & inchoatum gustum extremis labiis contingebat adolescens, rediens maritus aduenerat. Tunc vxor egregia diras deuotiones in eum deprecata, & crurũ eius fragium abominata, exanimi formidine trepidãtem adulterum in alueo ligneo temerè propter iacente supposititum abstondit: intrepidúmq; mentita vultum percunctatur de marito, cur vtique contubernalis arctissimi relicta cœnula præmaturus afforet? At ille, dolenti prorsus animo suspirans assiduè, Nefarium, inquit, & extremum facinus perditæ fœminæ tolerare nequiens, fuga me proripui. His instincta verbis mariti vxor percontatur, ac non cessat maritum obtundere, vt rem aperiat, donec succumbens maritus incipit: Contubernalis mei fullonis vxor, alioqui seruati pudoris, vt videbatur, fœmina, occulta libidine prorupit in adulterũ quempiam: cúmque furtiuos amplexus obiret, assiduè ipso illo deniq; momento quo nos lauti cœnam petebamus, cum eodem illo iuuene miscebatur in venerem: ergo nostra repentè turbata præsentia, subitario ducta consilio, eundem illum subiectum contegit viminea cauea: eóque iam, vt sibi videbatur, tutissimè celato, mensam nobiscum secura participat. Interdum graui acerrimóque odore sulphuris, quo laciniæ cauea inalbatæ erant, obnubilatus intercluso spiritu difluebat: vtque est ingenium viuacis metalli, crebras ei sternutationes commouebat. atque vt primum è regione mulieris ponè tergum eius maritus somum sternutationis accepit, quum putaret ab ea profectũ, solito sermone salutem ei fuerat imprecatus: sed reiterato sæpius ac frequentato rem reperit, & impulsa mensa protinus, remotáque cauea producit hominem, crebros anhelitus ægrè efflantem, inflammatúsq; gladium efflagitans iugulare illum gestiebat: ni respectato communi periculo,

viz

vix enim ab impetu furioso cohibuissem, affeuerans absque noxa nostri breui illum periturum sulphuris violentia. hæc quum recenseret ille vxori, procax temerariáque mulier fullonis vxorem execrabatur, perfidam, impudicam vocitans, quæ suo pudore postposito, toriique genialis calcato fœdere, larem mariti lupanari maculasset infamia: iámque perdita nuptæ dignitate, prostitutæ nomen asciuerit. addebat, tales oportere viuas exuri fœminas. sed suæ sordidæ conscientiæ commonita, quo maturiùs stupratorem suum cruciatu tegminis liberaret: identidem suadebat, maritum temperiùs quieti recedere. at ille, vtpotè intercepta cœna ne profugeret prorsus ieiunus, mensam potius comiter postulabat: sed Apuleius asinus calcans, penitúsque obterens adulteri pedes, illum intolerabili dolore commotum, flebiliter clamantem alueo abiecto prodidit, domúmque omnem conturbat.

Apud eundem Psyches sorores, sororis fortunæ inuidentes, conqueruntur: at ego misera, primum patre meo seniorem maritum sortita sum: dein cucurbita caluiorem, & quouis puero pumiliorem, cunctam domum seris & cathenis obditam custodientem. Incipit alia: ego verò maritum articulari etiam morbo complicatum, curuatúmque, ac per hoc rarissimè Venerem meam recolentem sustineo, plerunque detortos & duratos in lapidem digitos eius perfricans fomentis oliuis, & pannis sordidis & fœtidis, cataplasmatibus manus tam delicatas istas adurens.

HAbes septem Facetiarum exemplorúmque Libros Mecœnas, tanquam primitias vigiliarum studiorúmque meorum: habiturus posthac fruges, si quæ maturuerint, vberiores: præsertim si tibi charas meas lucubrationes cognouero, charas, inquam: nam tuæ dignitati magnitudinique pares neque à me, neque à quopiam fortasse alio expectabis. Vale.

FINIS. I 2 TITV

TITVLORVM, SIVE LOCORVM COMMVNIVM L. DOMITII BRVSONII INDEX.

*

A

Aedificandi ratio 38
Abstinentia 33
Accusatio 43
Adulatio 30.364
Adolescentia 41
Adulterium 22
Aduocati 387
Agricultura 32
Aliena 42
Allusio 459
Ambitio 42
Amici 16
Amicitia 16
Amor 16
Anus 40
Artem quam quisque norit, exerceat 37
Artium & literarum vtilitas 240
Aspectus 473
Assentatio 30
Astus 72.96
Auaritia 1
Aucupium 82
Audacia 29
Auditus 47
Aulicorum officium 26
Aures 47

B

Basiatio 56
Bellum 119.311
Beneficentiæ 54
Beneficia 54
Bibendi ratio 49
Boni pauci 48

C

Cœnæ. cœnipetæ 92
Calliditas 72
Caluicies 94
Calumnia 83
Casus 91
Causidici 91
Clamor 458
Clientes 81
Cogitandi ratio 94
Comessationes 68
Concordia 81
Confessio 92
Consilium 94
Consolandi ratio 95
Constantia 57
Copia 465
Consuetudo 82
Contentiones 229
Continentia 33
Contumelia 207
Conuictus 82
Coturnices 82
Crepitandi licentia 91
Crudelitas 84
Cura 114

D

Deorum cultus 113
Deformitas 442
Desperatio 106
Detractio 43
Difficile 96
Diligentia 110
Dissensio 102
Discipuli 107

Disci-

Disciplinæ. ibid.
Discordia 102
Diuinatio 474
Diuitiæ 111
Dolus 96
Dolor 114
Donandi ratio 103
Duces militum 109

E

Ebrietas 49
Educatio 121
Elatio animi 416
Electio 119
Eruditio 240
Euentus 91
Exercitatio 116
Exercitus 119
Exilium 115
Exitus 120

F

Fames 150
Familiaritas 82
Fastus 416
Fatum 137
Fœlicitas 129
Fides 127
Fiducia 164
Filij 121
Fœnus 165
Forma 162
Fortitudo 57.152.399
Fortuna 131
Fratres 142
Frigus 166
Fucus 152
Fugitiuus 163
Furta 146

G

Genitura 171
Gibbus 174
Gloriæ cupliditas 42
Gloria 251
Gratitudo 54.191
Gula 167

H

Histriones 430
Honores 180
Hospitalitas 177
Hospitium ibidem
Humanitas 175
Hypocrisis 405

I

Iactantia 221
Idola 217
Ignauia 193
Immanitas 84
Imperium 195
Improbi 215.308.
Impudentia 213
Inconstantia 226
Inducia 219
Inertia 193
Infœlicitas 222
Infortunium ibid.
Ingratitudo 191
Inimicitiæ 211
Iniuriæ 207
Inobedientia 333
Intemperantia 225
Inuidia 180
Ira 218
Iudices 188
Iustitia 185

L

Laudes 251
Legati 238
Leges 250
Lenitas 175
Lenocinium 253
Liberalitas 229
Libertas 243
Libido 233
Licentia 255
Linguæ ratio 223
Literæ 240
Lites 229
Loquacitas 228
Ludus 253

Lusti 251
Luxuria 167.245

M

Macri 314
Mœniæ 311
Magistratus 271
Magnificentia 38
Maioribus cedendum 268
Mala sibi apportans ibid.
Maledicentia 43
Male olere 322
Mali 308
Malitia ibid.
Mansuetudo 175
Mariti 309
Medici 280
Memoria 270
Mendacium 317
Meretrices 318
Metus 441
Militaris disciplina 109
Militia 119.311
Minæ 309
Miraculæ 282
Mulieres 256
Mollicies 274
Morbi 320
Mores 278
Mors 300
Munificentia 103
Musici, cantores 314
Mutua 324

N

Natura 324
Nauigatio 326
Necessitas 328
Nobilitas vera 477
Nouerca 325
Nuncij. 329

O

Obedientia 333
Obesitas 451
Ocium 193.330
Oculi 473
Odium 180
Omen 331
Oratio 409
Oratoria 335
Ostentatio 221

P

Patientia 340
Pœnæ 361
Parasiti 364
Parentum indulgentia 346
Par pari referre 382
Pastoralis vita 32
Patriæ amor 351
Patroni 387
Paruo contenti 393
Paupertas 384
Pax 81
Peccatorum ratio 371
Pecuniæ 366
Pædicatio 378
Peregrinatio 377
Perfidia 127
Petitiones 398
Pictura 394
Pingues 451
Philosophia 388
Pigritia 193
Poetæ 375
Portenta 282
Potentia 387
Præceptores 342
Proceri 344
Prodigia 282
Proditores 353
Promissa 360
Prospera 370
Pulchritudo 182
Pudor 391
Pumiliones 344

R

Rapina 146
Reip. administratio 275
Religio 113.400
Risus 403

S

Sacrilegium 424
Sagittarij 434
Sapientia 430
Scelesti 215
Scortum 318
Scripta 410
Scurræ 354.430
Secreta 426
Senectus 419
Sermo 409
Serui 411
Seueritas 431
Silentium 417
Similitudo 435
Simulatio 405
Sitis 150
Somnus 421
Sorores 142
Speculum 433
Spectacula 253
Spes 428
Stili exercitium 116
Studium 110
Stratagemata 72
Stultitia 433
Sumptus 429
Superbia 416
Supplicum ratio 434

T

Taciturnitas 417
Temeritas 29
Temperantia 33
Tempus 444
Testamentum 444
Testes 443
Timor 441
Tonsor 445
Triumphi 433
Turpitudo 442
Tyrannis 436

V

Vates 474
Vbertas 465
Velocitas 472
Veneficia 462
Venter obesus 451
Vera nobilitas 477
Verba 459
Verbera 450
Verecundia 391
Vetula 40
Vestitus 464
Vicinorum ratio 452
Victoria 453
Vnanimitas 81
Vini immodica ingurgitatio 49
Vir bonus 48
Viri 470
Virtus 447
Visus 473
Vita 466
Vtium 446
Vota 468
Voluptas 167.245.451
Vsura 165
Vsus 116
Vox 458
Vtilitas 449
Vulgus 470
Vxor 478

LVGDVNI,
Excudebat Symphorianus
Barbierus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca